



2 plates

MUSEI CAPITOLINI ANTIQUAE INSCRIPTIONES

A FRANCISCO EUGENIO GUASCO
Ejusdem Musei Curatore P.

NUNC PRIMUM CONJUNCTIM EDITAE
NOTISQUE ILLUSTRATAE

TOMUS SECUNDUS



ROMAE ANN. JUB. MDCCLXXV
EXCUDEBAT JOHANNES GENEROSUS SALOMONIUS
Praesidum Facultate



LECTORI ἈΝΕΠΑΧΘΕΪ́

FRANCISCUS EUGENIUS GUASCUS

ἘΥΤΥΧΊΑΝ



Ntiquorum MUSEI CAPITOLINI lapidum Volumen ſecundum in lucem proditurus, in ſuſpicionem venio, immo quam maxime vereor, ne cum animadverteris diligentiam, & anxietatem, qua in commentariis meis res ipſas lippis, ut in proverbiis eſt, atque tonſoribus tritas fruſtulatim explicare aggreſſus ſum, me id egiſſe putaveris veluti magiſtrum diſcipulis. At me profecto non latet pleriſque, ne ſingulis dicam, ad quorum manus volumina iſta pervenerint, elucubrationes meas omnino ſupervacaneas fore. Sane quid reconditum, quidve obſcurum tot rerum antiquarum cultoribus, præſertim Romanis, quorum plerique hoc ſtudiorum genus, ab ineunte ætate ſunt ſecuti? quique auſpice Sanctiſſimo Domino Noſtro PIO SEXTO Pont. Opt. Max. in veteribus monumentis elucidandis diu noctuque verſantur? quid novum poſt tot editos libros a præclariſſimis viris, ut de Italis tantum loquar, Manutio, Urſato, Fabrettio, Blanchinio, Donio, Gorio, Muratorio, Lupo, Maffejo, Bonada, Mazzocchio, Gallettio, Oderico, Paſſionejo, Paſſerio, de Vita, Juvenatio, Raffæjo, Zaccaria, qui in priſcorum lapidario ſermone interpretando toti fuere? Non igitur is ego ſum qui in mare aquam, aut in ſylvam ligna deferre præſumam, neque quem inſanabilis teneat ſcribendi cacohetes. Exiſtimes potius velim me tot commentaria, atque hæc interdum (quod ingenue fateor) præter neceſſitatem hiſce inſcriptionibus adjeciſſe, non equidem animo alios docendi, quibus omnia venerandæ antiquitatis arcana patent, aut quod lectorum eruditione diffiderem: ſed ut ingenio meo indulgerem, ſimulque Antiquariorum ſtudia obſecundarem. Poteram quippe (nil enim facilius) quoties in ſcopulos ſyrteſque, quæ in marmorum fragmentis ſunt frequentiſſima, offendebam, aut vertere vela, uti ajunt, aut ad ſummum Auctorum conſulendorum legentibus elenchum tradere. Verum compertum eſt ſatis, grave prænimis pleriſque atque moleſtum fore, intia Antiquariorum volumina (idque nonnunquam ob nimiam interpretum inertiam) evolvere. Revera nemo non ſcit eas tantummodo lapidum collectiones ut plurimum probari, pacatoque vultu ab eruditis excipi, quæ magis adnotationibus inſtructæ ſunt, adeoque ut nihil ad eorumdem intelligentiam deſideretur, nullaque conſulendi Auctores neceſſitas interſit. His igitur perpenſis, res ipſas minutiores, ſiglas omnes, formulas, dictiones, vocabula, cognomina, ortographiam, ſyntomiam elucidare, exteroſque earumdem muſei Capitolini inſcriptionum deſcriptores emendare, ac illorum exemplarium epanorthoſim his paginis conſignare curavi. Inde muſei noſtri ſaxa colligendi, conjunctimque edendi neceſſitas magis magiſque apparebit. Nam quid hercle veterum marmora proſunt tumultuarie congeſta, nullis roborata elucidationibus, innumeris craſſiſque mendis referta? Hinc ſcriptorum in differendo de muſei Capitolini lapidibus ambiguitates, hæſitationes, erroreſque, frequentiaque inter litteratos Viros diſſidia. Indignabitur fortaſſe aliquis me nimia moroſitate nonnullorum collectorum, potiſſimumque doctiſſimi Ludovici Muratorii ſphalmata recenſuiſſe, nimiaque forte ſeveritate adno-

notasse. At tantum est Muratorii nomen, totque ejus in Rempublicam litterariam merita, ut meis in eum querelis (ceteroquin observantissimis) ne hilo quidem ipsius famæ jamdudum immortalitati donatæ imminui queat. Nam

Humanæ superos nunquam tetigere querelæ

Insuper isthæc neque in me cudenda est faba, sed in quemdam potius cacologum, antiquariæ reipublicæ scurram, qui insana ruptus invidia, laborem hunc, a quo me nullum reclinat otium, inanem esse huc illuc mussitavit: *Qui enim inter doctos nihil valent*, inquit in *Hippolyt. coron.* Euripides, *gratior apud vulgum est eorum oratio*. Quamobrem his licet ineptis omnino sermonibus extimulatus, muneris mei esse putavi ostendere a cl. Muratorio præ cunctis, ex tot musei nostri inscriptionibus, typis eo vivente mandatis, ne unam quidem mendis prorsus expertem reperiri. Verum de his jam satis in primi voluminis præloquio. Hoc unum scio, nonnullos Viros eruditissimos, non (ut Archilochus ille simius) in antiquariorum cætu gregarios, sed facile principes, elucubrationes has meas, quæque sint, perhumaniter approbasse, præsertim eo quod mendosa exterorum exemplaria diligenter accurateque expurgaverim. Quapropter benignum istud propitiumque suffragium a te pariter, eruditissime Lector, tanquam vigiliarum mearum insigne præmium me consecuturum spero. At priusquam sequentium Marmorum explanationem suscipiam, advertendum est ex tabulis officia minora, studia, & artes enunciantibus, quasdam extare in musei cubiculo quod *Herculis* vocant; quasdam vero inter laterculos ad Liviæ Augustæ columbarium pertinentes: idcirco, ut singulas ejusdem classis inscriptiones simul conjunctimque reperias, illas quoque quæ in prælaudato Liviæ columbario comprehenduntur, in eodem capite V. inserui. Ad tuam vero commoditatem, Livianas, his == appositis lineolis == in indicibus distingui curavi. Ceterum nemo vetustorum lapidum studiosus ignorat Liviæ Augustæ servorum libertorumque ossuarium (anno 1726. in via Appia detectum) a præclarissimis viris Blanchinio, & Gorio (ab isto nempe latino, ab illo patrio sermone) eruditissimis fuisse commentariis illustratum. Perperam ergo cl. Muratorius hujusce collectionis editionem, in sui *Thesauri* volumine I. p. CLXXVII., tribuit doctissimo Cardinali *de Polignac*. Cum igitur epitaphia iisdem servis libertisque posita essem editurus, illustrium horum virorum animadversiones singulas, asterisco * signatis interpretum nominibns, integrasque adnotationes singillatim in meum volumen transferre constituerem. Verum hic mihi omnino παιδαγωγικός, nimisque prolixus labor videbatur. Alienas elucubrationes, dedita opera perturbatas, veluti meas evulgare, plagium fuisset homine, ex animo a versutiis abhorrente, prorsus indignum. Mutilas, vel ad compendium arbitrarie redactas edere, meæ in tantos viros observantiæ repugnabat; eum enim qui alieno choro pedem imponit, ridiculum æque atque impudentem reipublicæ litterariæ censores jure meritoque declarant. Has vero Inscriptiones nullis prorsus interpretationibus instructas lectoribus tradere, eruditorum sententia monstruosum foret, ob id præcipue quod reliquas in hac collectione contentas, secundum tenues ingenii mei vires, explanatas ediderim. Quædam igitur nostris marmoribus elucidationes adjicientur, quatenus rei antiquariæ tyronibus obscura clarescant, & tamen doctis quæ adjecimus inania omnino non videantur. Sic majorem quærentes lucem, egregios interpretes Blanchinium, & Gorium adibunt; encyclopedici vero (sunt enim qui sibi rerum omnium scientiam adsciscunt) mea libere confidenterque præteribunt. Id saltem lectoribus præbebo, quod in Blanchinii, Goriique exemplaribus frustra quæreretur; fidissimam videlicet lapidum restitutionem, atque ab omnibus sphalmatibus depurgatam; quod certe supervacaneum haud erit iis, qui ab antiquorum

rum

rum marmorum exſcriptoribus fidem præ omnibus, ſummamque diligentiam expetunt. Advertendum eſt inſuper titulorum ſepulchralium Liviani conditorii numerum apud Gorium eſſe CCCIV., apud Blanchinium CCXX., in muſeo vero CXCIII. Tanta hæc numeri inter eos diſcrepantia oritur ex eo, quod Gorius libertorum ſervorumque Liviæ epitaphiis, alia non pauca ſociavit, quæ licet ad libertos ſervoſque domus Auguſtorum pertineant, non in noſtro columbario, ſed alibi reperta ſunt. Blanchinius vero, oculatus teſtis, ea tantummodo evulgavit, quæ deteĉta fuere, uti diximus anno 1726. extra portam Capenam, primo ab urbe lapide. Quæ tandem in muſeo viſuntur, ſexdecim comprehenduntur tabulis, quarum prima inſcriptiones continet XIII.

Secunda XII.	Tertia XII.	Quarta XII.
Quinta XII.	Sexta XII.	Septima XII.
Octava XIII.	Nona XIV.	Decima XII.
Undecima XIII.	Duodecima XII.	Decimatertia XII.
Decimaquarta XII.	Decimaquinta XII.	Decimaſexta VIII.

Summa igitur CXCIII. Reliqua ejuſdem ſepulchreti marmora, cum & mole, & forma ornamentiſque longe a ceteris differrent, clariſſimus Gregorius Alexander Marchio Capponius primus muſei Capitolini curator, huc illuc ab his tabulis diviſa collocari juſſit. Scripturæ demum inconſtantia, quam in autographis columbarii lapidum (quamquam eodem Auguſti ævo inſculptorum) animadvertimus, probat ſane veterem ſcribendi normam, a majori potius minorive quadratarii diligentia atque peritia, quam ab ævi conſenſu, præceptiſve grammaticalibus dependiſſe. Si enim Auguſti ætate una tantum fuiſſet ſcribendi methodus, unaque effingendi litteras norma, hujuſce columbarii ſaxa eiſdem conſimilibuſque ſiglis, & characteribus exarata viderentur, quod profecto de his quæ noſtri monumenti inſcriptiones ordiuntur dici nequaquam poteſt. Nonnullæ enim nitidiſſimis, permultæ rudibus conſtant elementis; quædam juxta rectæ ortographiæ præcepta inſculptæ, quædam vero turpiſſimis erroribus refertæ notantur: ipſam denique litterarum formam, modo Romanam, modo barbaram reperies.

IM-

IMPRIMATUR;

Si videbitur Reverendissimo Patri Magistro Sacri Palatii Apostolici.

F. A. Marcucci Episcopus Montisalti Vicesg.

QUUM jubente Reverendissimo P. Fr. Thoma Augustino Ricchinio S. P. A. Magistro Opus *Musei Capitolini Antiquæ Inscriptiones a Francisco Eugenio Guasco illustratæ &c.* inscriptum, animo imprimis attento perlegissem, nihilque in eo reperissem, quod cum sacris dogmatibns, rectaque morum institutione pugnaret, Eruditis puto optime consultum fore, si tot, tantaque monumenta singulari diligentia descripta, summaque perspicuitate explicata quamprimum prælo committantur. In quorum fidem hoc meum qualecumque judicium adponendum curavi. Ex ædibus S. Callixti die 24. Aprilis anno 1777.

D. Petrus Aloysius Galletti Ordinis S. Benedicti Congregationis Casinensis Abbas SS. Salvatoris & Cyrini de Insula.


UT Reverendissimi Patris S. P. A. Magistri jussis obtemperarem, legi præclarum volumen, cui titulus: *Musei Capitolini antiquæ Inscriptiones a Francisco Eugenio Guasco conjunctim editæ* &c. Tom. II. Nihil enimvero in illo aut orthodoxæ fidei decretis, aut bonis moribus repugnans offendi, immo præstantissimas Ethnicæ vetustatis Inscriptiones eadem, qua primi voluminis monumenta a Clarissimo, eruditissimoque Editore in suas opportune classes tributa, explicataque habuimus, multiplicis antiquitatis peritia illustratas. Quod igitur Antiquariorum Reipublicæ bene vertat, in lucem prodeat nobilissimum opus, quo sane veterum Inscriptionum præstantia, atque ad optima quæque studia utilitas magis magisque confirmabitur. In quorum fidem ex ædibus meis dabam VI. kal. Majas MDCCLXXVII.

Franciscus Antonius Zaccaria.

IMPRIMATUR;

Fr. Thomas Augustinus Ricchinius Ord. Prædicatorum Sac. Pal. Apost. Mag.

CA-



CAPUT IV.

Militaria.

141.



D M
M . VALERIVS . MF
SERGIA QVINEIA
NVS SENI . MIL . CO:::
I PR 7 . SILVANI VIX:::
ANN . XXI . MIL
ANN . III
H . F . C



COHORTES duodecim Prætoriæ nominantur in Musei Capitolini lapidibus; nimirum

PRIMA	SEPTIMA
SECVNDA	OCTAVA
TERTIA	NONA
QVARTA	DECIMA
QVINTA	UNDECIMA
SEXTA	DECIMAQVINTA

De his, deque cæteris rebus bellicis in his marmoribus indicatis (licet quicquid militare sapit, ægrè feram) ad inscriptionum illustrationem, brevissime tamen, agendum censeo.

MF. Marci filius.

SERGIA. Ex tribu *Sergia*, quæ fuit vicesima. Hanc, lib. 1I. *de Aquæduct.* nominat Frontinus: ex eadem fuere C. Rasinius Tettianus, A.Gabinius Pontianus, Oct.Junius Faustinianus in saxis Panvinii C. R. p. 227. A gente Sergia sic appellatam asserunt historiographi, ex qua Sergius ille Catilina, cui ab adolescentia bella intestina, cædes, ra-

rapinæ, discordia civilis grata fuere; Sergius Paullus, in Actibus Apostolorum *vir prudens* appellatus, & Sergius Galba Imperator. Cum autem in militaribus hisce marmoribus, crebra sit tribuum Romanarum mentio, eas heic ordinate recensere consentaneum puto. Præmittam vero antiquæ Urbis tribus fuisse quinque supra triginta, quod alibi notavimus, duplicique ratione discretas; scilicet in Urbanas, quæ fuerunt Libertinorum, & in Rusticanas, quæ Ingenuorum. Præter has, reliquas in saxis huc illuc enunciatas, dinumerabo

Urbanæ

SVBVRANA	PALATINA
ESQVILINA	ROMILIA
COLLINA	

Rusticæ

CLVSTVMINA	VETVRIA
LEMONIA	STELLATINA
PVPINIA	TROMENTINA
VEIENTINA	SABATINA
GALERIA	ARNIENSIS
POLLIA	POMPTINA
VOLTINIA	POBLILIA
CLAVDIA	MAECIA
AIMILIA	SCAPTIA
CORNELIA	OVFENTINA
FABIA	FALERINA
HORATIA	ANIENSIS
MENENIA	TERENTINA
PAPINIA	VELINA
SERGIA	QVIRINA

Extra numerum

OCRICVLANA. PINARIA. SAPINIANA

Incertæ

CAMILLIA	AELIA
CESTIA	CLVVENTIA
MINVCIA	IVLIA
CLVVIA	TAVR... f. *Taurina*
PAPIA	FLAVIA
DVMIA	VLPIA

Attamen de plerumque ex istis initio, & incremento plane inter se non consentiunt auctores, quorum varias conciliare sententias difficillimum autumo, donec Varroniani de Tribubus libri calamitose deperditi, reperiantur. Interim, ut mei longe repetam sermonis initium, advertendum esse arbitror, universum populum in Tribus dividere antiquissimæ fuisse institutionis. Israeliticum, sic in duodecim Tribus discretum, sacræ litteræ testantur. Earum nomina

IVDA	EPHRAIM
ISSACHAR	MANASSES
ZABVLON	BENIAMIN
RVBEN	DAN
SIMON	ASER
GAD	NEPHTHALI

Numerus duodenarius, duodenario respondet Apostolorum numero, quibus æterna Veritas dixit: *cum sederit Filius hominis in sede majestatis suæ, sedebitis & vos super sedes duodecim, judicantes duodecim tribus Israel.* Tribus enim Levi, quam *sanctam* vocabant, a cæteris distinguebatur. Civitas Atheniensis in decem Tribus divisa est: Tribuum denominatio, ex Regum qui imperaverant nominibus; videlicet tribus Cecropis, Egis, Erichthis, Pandionis, Athamantis, Antiochis, Leontis, Oenis, Eantis, Hipocoontis: his, duæ additæ fuere, Antigonis, & Demetrii: mox duabus istis, octo; nempe Alopecia, Athenonea, Peanica, Decelensis, Sphecia, Acharnas, Agraleuta, Alimusos. Decem pariter fuerunt Tribus Thuriorum, duodecim Hylearum, octo Corynthiorum, quatuor Hyberorum, quinque Megarensium, septem Indorum. Adi Alex. ab Alex. Gen.dier.lib.1. cap.17. & Jo.Meursium de Populis Atticæ lib. sing. Sed ut ad rem redeamus, quamvis Tribus in Inscriptionibus communiter ponatur ante cognomen, non tamen desunt exempla, quibus probatur aliquando post cognomen locum habuisse, uti liquet ex sequenti, ubi

PRI. RVTILIVS VITALIS VOT

Ita apud cl. Zachariam in *Inst. Lapid.* p.126.

T. ANTISTIVS SABINVS. STEL

in

in Museo Veronensi

TERTIVS VERCOBIVS . SVRVS .
ARNIENSE

demum in agri Alexandrini lapide

T. CALVENTIVS
LIBERTVS PRIMITIVVS
PAP. VI VIR IN SVo VF

item, quamquam Tribus *sexto* casu posita passim reperiatur, nonnunquam (rarissime vero) *primo*, aut *secundo* insculptam legimus: ex Fabrettianis

C . MVRRIVS . C . F . ARNIENSIS

& in nostris inferius cap.v.

L . CAECILIVS . L . F. SATYRVS
ARNENSIS

SENI. *Senis*. Senas, urbem Etruriæ nobilissimam, *nimis Florentiæ vicinam*, ab Augusto coloniam deductam fuisse, sententia doctorum virorum fretus, asserit cl. Gorius. Potest æquè explicari SENIA, ex Plinii *lib.* III. *cap.* 21. recensione, Illyrici oppidum, cujus memoria extat in Inscriptione Gruterii p. 372.

L . AVRELIO . L . L .
VICTORI
DOMO . EQVO . AVG . ET
SENIE . SACER . PRIM
CORP . AVGVSTALIVM
ORNAT . ORNAM
DECVRIONALIB
PLEB . SENIENSIVM
AERE . CONLATO
CVRANTE . SECVNDO

Verum *Senis*, vel *Senia* legi debeat, patria hic profecto M. Valerii Quinejani indicatur, eaque post cognomen, ut in omnibus fere saxis, ac ablativo casu, ut in sequentibus numeris, in quibus *Domo Heraclea*, *domo Florentia*, *Domo Arretio*. Patriam tamen in nostris invenies genitivo casu, *Domo Altini*, *Domo Bononiæ*; interdum accusativo, L. ATILIVS VERCELLAS, & apud Gorium CLEMENS PISAS. At de patria in lapidibus confer eruditissimos Ursatum M.E. *ep.*VII., Reinesium p. 529., Gorium *Inscript.* T. I. p. 301. præque cunctis, Zaccariam *op.cit.*, a quo omnia disces, quæ ad hoc argumentum pertinent.

MIL. *Miles Cohortis primæ*. Legiones, decem constabant cohortibus, testibus Vegetio, & Modestino, quarum tamen *prima* (uti hæc in nostro lapide enunciata) reliquas, & numero militum, & privilegiis, dignitateque præcedebat. *Hæc enim*, inquit Modestinus, *suscipit Aquilam, quæ præcipuum signum in Romano est semper exercitu, & totius Legionis insigne: imagines Imperatorum; has enim imagines, tamquam divina, & præsentia signa, singuli venerantur. Habet pedites mille centum quinque, equites loricatos centum triginta duos, & appellatur* Cohors miliaria, *quæ caput est totius Legionis; ab hac, cum pugnandum est, prima acies incipit ordinari.*

CO. *Cohortis*. Cohortes dictæ sunt, quasi invicem cohortarentur ad prælium.

PR. *Prætoriæ*. Quos *Celeres* olim Romulus vocavit, mox *Prætoriani* dicti sunt. Hi in urbe, proximiores Imperatori adsistebant, ejus corporis custodiam habebant, eumque ad bellum prodeuntem, sequebantur. Julius Prætorianos elegit, natione Hispanos; Germanos Nero, uti docent Svetonius *in Julio cap.* 86., & Tacitus *Annalium lib.* XIII. Veteribus scilicet Reip. temporibus, una tantum fuit Cohors Prætoria; postea per Bella civilia auctæ, quod tradit Lipsius, a quo insuper discimus, Augustum circa se IX. retinuisse Prætorianorum cohortes, firmamentum quondam Imperii, postea pestem, potissimum a quo die Prætorianis istis militibus Imperatorem eligendi jus est traditum, aut ab iis, regnante adhuc Galba, usurpatum: confer si vacat Svetonium in Galba *cap.* 16., rerumque Romanarum, præsertim historiæ Augustæ scriptores.

tores. Interim lectoris gratia, ac istorum lapidum, quorum plerique ad Prætorianos spectant, anaglyphi fragmentum, ex Trajani columna desumptum exhibeo, in quo Prætoriani scutati atque baltheati visuntur, ante Castri Prætorii vestibulum excubantes



7. *Centuriæ* Silvani, miles nimirum *Centuriæ*, aut *in Centuria* Silvani: sic alias *miles in Cohorte* IIII., *miles*, seu *militavit in Legione* III., *Centuriæ*, inquit Varro, *sub uno Centurione sunt, quorum centenarius justus est numerus*. Cincius autem apud Gellium *lib.*XVI. *cap.*IV. scribit in Legione Centurias esse sexaginta, manipulos triginta, cohortes decem. De hac nota plura dixerunt Lipsius, Sponius, Muratorius, ac *in Antiquit. Benevent.* eruditissimus Præsul Johannes De Vita amicus meus carissimus, cujus pretiosam in conspectu Domini mortem merito hisce diebus, effuseque luget Reatina diœcesis. Is igitur, rejecta Lipsii sententia (qua doctissimus Belga notam 7. in marmoribus originem traxisse ex Vite, quæ Centurionum erat insigne, comprobare conatus est) attentisque Vegetii verbis *Centuriones transversis Cassidum cristis litteras habuerunt, ut facilius noscerentur*, ita concludit. *Nihil itaque de eodem numero* (septenario, quem in Sigla 7. Sponius recensuit) *in ea nota expresso cogitandum, sed potius litteræ* C. *inversæ formam agnoscendam putaverim, qua ipsum Centurionis vocabulum exprimeretur. Notissimum est in antiquis lapidibus ejusdem litteræ inversæ usus, ut mulieres, quæ Cajæ prænomine gauderent, intelligerentur, nam qui Caii erant viri, per consuetum* C., *mulieres verò per* Ɔ. *scribebantur*. Hactenus doctissimus vir, qui consulendus etiam in notis *ibid.* ubi validiori argumento suam tuetur sententiam. Diversimode tamen signari liquet

quet ex quadam Vinciolii Epist. inter Calogeriana T. XI. pag. 381. ubi istas congessit notas, quibus æque Centurio, seu Centuria indicatur

His adde istas, quas in nostris lapidibus comperimus, hoc pacto effictas

Nec desunt marmora (rarissima quidem) in quibus suppressa nota, legimus CENTVRIO per extensum, uti in *Antiquit. Aquilejæ* cl. Jo. Dom. Bertolii p. 155., & apud laudatum de Vita *loc. cit.*

MIL. ANN. III. Notandum, per MIL. intelligi *Miles*; sed cum anni enunciantur militiæ, scriptum hoc pacto reperitur MILIT. aut per extensum MILITAVIT. Hic tamen & alibi MIL. pro *Miles*, & pro *Militavit*.

H. F. C. *Heres faciundum curavit*.

De Corona in Urnæ tympano effìcta vide inferius num. 144.

142.



PRI RVTILIVS VI
TALIS VOT PLACEN
TIA . MIL. COH. IIII
PR. 7 VALENTIS VIX
ANN. XXXII. MIL. AN.
VI . H . F . C

PRI. *Primus*. Sic profecto legendum censeo, quicquid in contrarium senserit Franciscus Robortellius, qui *Primum*, *Secundum*, *Tertium*, *Quartum*, *Quintum*, *Decimum*, nunquam fuisse prænomina, sed cognomina tantum, probare adversus Sigonium conatus est. Ast modo cognominis, modo prænominis loco ea usurpata testatur Varro de Analogia lib. 2., ubi *in prænominibus*, inquit, *ideo non fit idem quod hæc instituta ad usum singularium, quibus discernerentur nomina gentilicia, ut a numero Secunda, Tertia, Quarta; in viris Quintus, Sextus, Decimus*. Constat id etiam ex vetustis lapidibus. Apud Gruterum enim p. 873. *Primus Auleus Vitalis*, & apud Maffejum p. 136. *Primus Pamphilus Secundus*, ubi notandum est *Primum* prænomen esse; *Secundum*, cognomen. Perlege, si vacat, *Juveniles* Petri Servii *Ferias* cap. VII. Ceterum, sicut prænomina Manius, Sextus, Cneus, Tiberius, scribebantur M' vel NV SEX. CN. TI. vel TIB. non vero M. S. C. T. ne confunderentur cum *Marco*, *Sestio*, aut *Servio*, *Cajo*, *Tito*; ita *Primi* prænomen, non P, sed tribus expressis elementis PRI signasse opinor Romanos, ut discerneretur a *Publio*.

VOT. *Volt*. h. e. ex tribu Voltinia, duodecima; quam VOLT. VOLTIN. VOLTI-

TINIA inſcriptam in ſaxis reperio. *Volitiniam*, perperam hanc Tribum nominarunt Nicolaus Grucchius, & Georgius Fabricius. Ab ignoto nobis loco, authore Panvinio, denominationem obtinuit. An a *Volturno*, ſeu *Vulturno*, agri Campani oppido, nunc *alla Civita*; aut a *Volturno* fluvio inter Sinveſſam, & Linternum decurrente, hodie *fiume di Capoa*? An a *Volſinio* nunc *Bolſena* antiquæ Etruriæ urbe? an tandem a *Fano Voltunæ*, ſeu *Volturnæ*, Etruriæ pariter oppido? Confer eruditiſſimum Pratillum in *viæ Appiæ deſcript.* lib. II. cap.7. atque Dempſterum in *Etrur. Reg.* lib. IV. cap.75. Panvinius tamen ſuſpicatur legendum eſſe VET. interpretandumque *Veturia*, aut VOT. *Voturia*, loco *Voltinia*.

PLACENTIA. Inſignis Italiæ urbs, quæ olim inter urbes Galliæ Togatæ, atque in tribu Voltinia cenſebatur. Extat, uti compertum eſt *Placentia* altera in Hiſpania Tarraconenſi; cumque extranei in tribubus Italicis aliquando admitterentur, hinc de Hiſpanica heic fortaſse agi haud diſsentio.

143.

INNOCVVS.APER.ECCE.IACES.NON.VIRGINIS.IRA.NEC.MELEAGER
ATROX.PERFODIT.VISCERA.FERRO.MORS.TACITA.OBREPSIT.SVBITO.FECITQ
RVINAM.QVAE.TIBI.CRESCENTI.RAPVIT.IVVENILE.FIGVRAM

T. STATILIO.VOL.APRO.MENSORI
AEDIFICIOR.VIXIT.ANN.XXII.M.VIII.D.XV
T.STATILIVS.VOL.PROCVLVS
ACCENSVS.VELATVS.ET.ARGENTARIA
EVTYCHIA.PARENTES.FILIO.OPTVMO ET
ORCIVIAE.ANTHIDI.VXORI.EIVS.SIBIQ.ET.SVIS
LIBERTIS.LIBERTABVS.POSTERISQVE EORVM

Innocuus Aper ecce jaces, non Virginis ira,
Nec Meleager atrox perfodit viſcera ferro:
Mors tacita obrepſit ſubito, fecitque ruinam,
Quæ tibi creſcenti rapuit juvenile figuram

Ara marmorea, in cujus tympano ſtemma fæmininum in concha, duos inter Delphines ſculptum eſt. Paulo inferius in media ara ſtat Juvenis togatus, cui, a dextris, adſtat Genius, & inter utrumque Aper ſubjacet. A ſiniſtris autem capſula obſerata, & ſuper ipſa chartæ convolutæ. Ad pedes Juvenis inſcriptio hujuſmodi

MENSORI AEDIFICIORVM

Ædificiorum Menſores, quorum oblitus eſt Jo. Calvinus in *Lex. Jurid.* nominat Plinius in Trajano lib.x. ep.28. *Inſpice Domine, an neceſſarium putes mittere huc menſorem. Videntur enim non mediocres pecuniæ poſſe revocari a Curatoribus operum, ſi menſuræ fideliter agantur:* cui Trajanus: *Menſores vix etiam his operibus, quæ aut Romæ, aut in proximo fiunt, ſufficienter habeo, ſed in omni Provincia inveniuntur.* Extat & inſcriptio quam nuperrime vidimus in hortis Juſtinianorum.

DIIS
MANIBVS
CAECILI
MAXIMI
MENSORIS
AEDIFICIORVM

Ab his, ambitus decempeda, aut quincupeda dimetiebatur tam operum, ædificiorumque antequam conſtruerentur, vel locarentur, quam in caſtris ſpatium, in quo ten-

tentiora milites figebant, atque in agris area ſepulchrorum, de quarum pedatura Menſores renunciaſſe conſtat ex pervetuſto, rariſſimoque Reineſii lapide

VII. KAL. APR.
MARTIALIS . AVGG . LIB . PROX . TABVLAR.
SCRIBSI ME . ACCEPISSE . AB . AEL . CHRE
STO . PRO . PODISMO . STRVCTIONIS . SCA
LARIS . QVOD . EST . VIA . OSTIENSI . PAR
TE . LAEVA . INTER . MIL . I . ET . II . QVOD
CONDVCTVM . HABET . SVLPICIANVS
E . BONIS . AELIORVM . ONESIMI . ET
FORTIS . IN . PRAEDIS . AMARANTIA
NIS . SECVNDVM . RENVNCIATIONEM
MENSORVM . PRO . AREAE . PID . S. N. S.

Præter iſtos, alios habebant, Romani, Menſores, ſcilicet Machinarios, Frumentarios, Olearios, Vinarios, Riparienſes &c. de his omnibus, at potiſſimum de Frumentariis, egregie diſſeruit eruditiſſimus vir Paulus M. Paciaudus apud cl. Jo. de *Vita Antiq. Benevent. Tom.* I.

ACCENSVS VELATVS. Velati.. quod veſtiti, inermes ſequerentur exercitum, ait Feſtus, quem ſequutus eſt Salmaſius. Hac igitur de cauſſa Inſcriptionem iſtam inter Militares expoſui. At Feſti verbis adverſatur doctiſſimus Raph. Fabrettus, qui Accenſos Velatos ad Sacra pertinuiſſe arbitratus eſt, innixus potiſſimum cujuſdam lapidis teſtimonio ab ipſo (*Cap.* VI.) tranſcripti, ac Velatos in Collegium, ut ipſe opinatur, & ſodalitium coaluiſſe enunciantis.

T. VELATIVS. ACCENSORVM VELATORVM. L. GANIMEDES. SIBI. ET CLAVDIANO

Sed primo quare hic (quod præſumit Fabrettus) reijcienda ſit Feſti authoritas non video; hoc tantum argumento, quia ſcilicet, cum iſtius Grammatici ætate Miniſtri Sacrificiorum jam obſoleviſſent, poterat Velatos cum antiquiſſimis Accenſis Militaribus confundere, quod nimis probat; Nam, ſi Feſti ſententia reſpuitur, ubi agit de Accenſis velatis, contemnenda eadem eſt ratione, quoties loquitur de cœteris Ethnicorum Sacerdotiis: num Feſtus tanto dignus contemptu? Secundo; quo pacto ex relato lapide conijcere poterat Fabrettus, quod Accenſi Velati ad Sacra potius, quam ad militaria pertinuerint? an quia Velatos indicat in Collegium, & Sodalitium coaluiſſe? Tunc idem de Suariis, de Naupegiariis, de Sagariis, de Aurigis, de Piſtoribus, de Præficis dicam, e quibus totidem conſtabant Romæ Collegia. Tertio, cl. Vir Velatorum dignitatem inter inſigniores enumerat, ex eo quod in Gruteriana L. Valerii Junioris inſcriptione titulus Accenſi Velati ultimus, ſummuſque reponitur: quæ ſane animadverſio haud aſpernenda foret, dummodo probari poſſet, ordinem, in Titulorum honorabilium enunciatione, hoc eſt ab exiguis ad præclariores procedentem, numquam fuiſſe præteritum. Quarto, ſi Velatorum munus tanti fuiſſet momenti, & honoris, ut Equitum, Juratorum ad ſacra Etruſca, Pontificum, Ædilium, duumvirorumque dignitatem antecelleret, quis quæſo credat T. Statilium Aprum, T. Statilii Proculi Accenſi Velati filium, protritam, atque mercenariam Ædificiorum Menſoris artem exercere voluiſſe? Denique Feſti temporibus, ut ipſe ait, Miniſtros Sacrorum jam obſoleviſſe, qua authoritate afferat, libenter audirem. Quis enim unquam novit quo Feſtus ævo floruerit? Non equidem Scaliger, non Baylus, non Ant. Auguſtinus, non Hieronymus Marnefius

fius &c. qui, *de Festi quidem ætate*, inquit, *certi quod dicam non habeo*.

MELEAGER. De Meleagro, Apri Calydonii interfectore, Ovidius *Metam.* lib. VIII. & Laur. Begerus in opusc. *Meleagrides*.

MORS TACITA. Videtur T. Statilium repentina morte expirasse. Non enim subita mors ætate tantummodo nostra, ut quidam ajunt, grassata est. Compertum est Plinium legentibus C. Julium Cæsarem virum prætorium, & C. Cæsarem Julii Dictatoris patrem, matutino dum calcinantur, hunc Pisis, illum Romæ, subita morte obiisse; inopinato pariter fato perierunt C. Vulcatius Gurges, Q. Fabius Maximus, Q. Æmilius Lepidus, C. Aufidius cum in Senatum iret, Legatus quidam Rhodiorum in limine Curiæ, Cn. Bebius Pamphilus cum a puero quæsisset horas, A. Pompejus in Capitolio, cum Deos salutasset, M. Juventius Talva Cos. cum sacrificaret, C. Servilius Pansa cum staret in Foro ad tabernam, Bebius judex, dum vadimonium diferri jubet, M. Terentius Corax dum tabellas scribit in Foro, L. Manlius Torquatus cum in cœna placentam appeteret, M. Saufejus cum ovum sorberet, P. Quintius Scapula cum apud Aquilium cœnaret, Decimus Saufejus cum domi suæ pranderet, L. Durius Valla dum mulsi potionem haurit; Cornelius Gallus prætorius, & T. Æterius eques in venere, aliique.

VOL. Ex tribu *Voltinia*. Inter Lapides in quibus parentes & liberi nominantur, quidam Tribum indicant solius patris, quidam solius filii; noster vero & T. Statilii Apri filii, & T. Statilii Proculi patris, uti in quibusdam aliis apud Clar. Maffejum in Mus. Veronen. videre est.

EVTYCHIA. *Fortunata*.

ORCIVIA. *Orcivus*, sepulcrum, sive locum infernum significat. *Orchius*, idem ac Pluto apud Gellium.

ANTHIDI. *Anthos* flos est: *anthesis*, florum emissio; *antherus* idem ac *floridus &c*.

144.



M. PROPETIVS
M. F. ROM
FIRMVS ATESTE
MIL. COH. V. PR.
MILITAVIT. ANN XVI.
VIX. AN. XXXVI
I. F. P. V. I. A. P. II

PROPETIVS. Forte *Propertius*.

ROM. Ex tribu *Romilia*, quæ fuit quinta; sic dicta, *quod sub Roma esset*, inquit Varro de L. L. lib. IV. Festus itidem. *Romilia tribus dicta, quod ex eo agro censebatur, quem Romulus cæperat ex Vejentibus*: agrum porro quem cæpit in Tuscia fuisse, atque a Janiculo vel Vaticano usque ad mare se extendisse, refert, ex Dionysio, & Strabone, Panvinius. Itaque Ovidius Fast. lib. 2.

Nec dum ultra Tiberim belli sonus.

& lib.

& lib.6.

Jamque suburbanos, Etruscaque contudit arma
Spes erat in cursu.

ATESTE. Nobilissima quondam Romanorum colonia, quam Plinius lib. III. cap.19. in agro Venetorum ponit. Hodie ESTE, *cui* honorem addidere (inquit Muratorius) præclarissimi Principes, & Marchiones *Estenses* sive *Atestini*. De puerili quorumdam pædagogorum, circa hujusce familiæ denominationem, dissidio, vide (ridebis enim, deinde indignaberis) Cœlii Calcagnini dialogos.

Marmor alterum prodidit Panvinius, in quo fit mentio L. Cassii Nigri ex eadem Tribu, ex eademque patria Ateste, qui uno anno conterraneum suum M. Propetium in militia superavit, duobus vero ætate: iste enim militavit ann. XVI. ille XVII. iste vixit an.XXXV. ille XXXVII.

Quid de Coronis in harum Urnarum tympano frequenter effictis dicam? Opinio quorumdam litteratorum est Coronas indicare defunctorum Militum præstantiam, & virtutem, nimirum militare præmium ab eisdem, ob egregia in præliis gesta, a Ducibus obtentum: Verum si Coronæ insculpebantur, quare non etiam Hastæ puræ, e. g., Torques, Armillæ, Phaleræ, Cornicula, Vexilla, quæ militaria æque munera fuerunt? Si militare quoddam donum per coronas indicabatur, quomodo in Mulierum quoque tumulis, multorumque virorum, qui nunquam Militiam professi sunt, conspiciuntur insculptæ? Itaque censeo defunctos Milites fuisse ab Ethnicis corona honoratos eodem ritu, eademque consuetudine, qua eas in reliquorum defunctorum cippis effingebant. Recte igitur opinatur doctissimus Ciampinius in *vet. Mon.* Cap. XIV. viguisse antiquitus ritum coronandi quæque cadavera, & floribus coronisque sepulcra spargendi. Si quis enim virtute aliquam sibi coronam adeptus esset, eadem etiam fato functus decorabatur, id indistincte permittente lege XII. Tabularum, cujus meminit Plinius lib.21. cap.3. docetque Cicero lib.2. de Legib. his verbis: *illa jam significatio est laudis, ornamenta ad mortuos pertinere, quod coronam virtute partam, & ei qui peperisset, & ejus parenti, sine fraude esse Lex impositam jubet*. Clemens item Alexandr. lib.3. Pædagog. cap.3. *A turba*, inquit, *& negotio remotæ securitatis, signum est Corona, quare ea & mortuos coronant*. Quò, quantoque in pretio essent apud Gentiles flores, frondesque, nemini est incompertum. Floribus coronabantur simulacra Deorum, Templa, Aræ, Victimæ; Floribus Sacerdotes, Duces, Triumphatores: floribus, & frondibus Naves, Januæ, Vestes. Flores in nuptiis; flores, & frondes spargebantur in sacrificiis, inter epulas in festis: hinc Flora illa, ex pellice Dea, hinc Floralis flamen, Florales ludi. *Nullam gratiam floris*, ait in libro *de Corona* Tertullianus, *nullam lætitiam frondis, nullum cespitem, aut palmitem non alicujus capiti invenies consecratum. Quo satis instruamur, quam alienum judicare debeamus, coronati capitis institutionem, ab eis prolatam, & in eorum deinceps honorem dispensatam, quos seculum Deos credidit*. Nil igitur mirandum flores, frondesque locum in funeribus etiam habuisse, atque in sepulcris. *Quid enim* (ejusdem sunt Tertulliani verba) *tam indignum Deo, quam quod dignum Idolo? quid autem tam dignum Idolo, quam quod & mortuo? Nam, & Mortuorum est ita coronari, quoniam & ipsi Idola statim fiunt ex habitu, & cultu consecrationis*. Hinc revera Encarpi illi, floribus oppleti, quos defunctis offerebant, quibusque eorum Aræ, & Sepulcra coronabantur. Erantque idcirco Fœminæ coronariæ, quæ florea frondeaque serta vendebant; hinc comædia quædam (non Cleobuli uti cl. Gorius) sed Eubuli juxta Athenæum lib.XIII. Στεφανοπώλιδες, *Venditrices Coronarum* inscripta. De Coronistarum, sive Coronariarum mendicitate loquitur apud laudatum *Deipnosophistarum* Scriptorem *lib.* VIII. Pamphilus Alexandrinus: loquitur & quædam Mulier, Aristophanis in *Thesmoph.*, verbis, quibus se quinque parvulos a viro relictos, quæstu coronario, in myrteis nectendis, nutrivisse testatur.

Ἐμοὶ γὰρ ἀνὴρ ἀπέθανεν ἐν Κύπρῳ
Παιδάρια πέντε καταλιπών, ἃ 'γὼ μόλις
Στεφανηπλοκοῦσ' ἔβοσκον ἐν τοῖς μυῤῥίναις.

Istæ in plateis publicisque viis vendibiles exponebant Coronas. Hinc in quibusdam Epitaphiis floribus ornari jubetur monumentum, uti apud Latium de R. R. lib.1. quidam DONAVIT &c. SVB HAC. CONDITIONE. VT. QVOTANNIS. ROSAS. AD. MONVMENTVM. EIVS. DEFERANT. & in Romano apud eumdem DO &c. VT. QVOTANNIS. SVPER. ARCAM. PLOTONI. ET. OXORI. PROSERPINAE. OMNIBVSQVE. SACRIFICENT. ROSISQVE. EXORNENT. Apud Pierium *Hierogl.* lib. 55. ITEM CORONAE. MYRT. TERNAE. ET. TEMPORE. ROSAE. IVLIO. TERNAE. EIS. PONANTVR. Ex Bellorio in *Nason. sep.*

LONGIVS . PATROCLVS . SECVTVS . PIETATEM . COL . CENT
HORTOS . CVM . AEDIFICIO . HVIC . SEPVLCR . IVNCTO
VIVOS . DONAVIT . VT . EX . REDITV . EOR . LARGIVS
ROSAE . ET . ESCAE . PATRONO . SVO . ET . QVANDOQ
SIBI . PARENTETVR

Horum Testatorum insaniam irridet Lucianus: *Quidam*, inquit, *etiam Cippos suos floribus coronari jubent, stolidi etiam post mortem manentes*. Irridet hos etiam Minucius Felix *in Octavio* cap. XII. *Ego vos in hoc satis miror quemadmodum tribuatis exanimi, & non sentienti coronam, cum & beatus non egeat, & miser non gaudeat floribus*. Virgilii insuper in Marcelli funere carmina, quis non novit? nimirum *Æn.* lib. VI.

——— manibus date lilia plenis
Purpureos spargam flores, animamque Nepotis
His saltem accumulem donis, & fungar inani
Munere.

Eleganter Basilius Zanchius in obitu Jacobi Sannazarii

Jamque vale, vale, o Vates: vos saxa valete:
Terra, tibi violæ sint, o sit perpetuum ver,
Quæ cineres Vatis servas, felicis, & ossa.

Eloquentissimus denique Sebastianus Pauli in laudibus Alarci P. A. seu Marchionis Josephi Ursi: *Frattanto i Pastori delle campagne Erinnidie sovra alto, e verdeggiante colle, cui gli alti cerri, ed i fronzuti abeti facciano eterna corona, ergano di cedri, e di allori magnifica tomba, sovra di cui nel ritorno di ogni Olimpiade si spargano fiori, e s' intreccino corone, e a quelle onorate ceneri preghisi riposo, e pace.* Fœminis vero coronas post obitum tradere non consuevere Romani, nisi illis, quæ se secundis nuptiis addicere religioni habentes, in uno tantum matrimonio fuerant: putabant enim mariti defuncti Manes, secundis nuptiis contristari: *quæ uno*, inquit Valerius Max. II. 1. 3. *contentæ Matrimonio fuerunt, corona pudicitiæ honorabantur*. Anno 1763. sepulchrum inventum est juxta viam Sublacensem, in quo, cadaver mulieris, capite, aurea corona, redimito, uti in nostra Annalium Italicorum continuatione, an. 1770. Lucæ edita, retulimus. At tumuli lateritium Inscriptionem, avari Fossores, laboris impatientes frustatim comminuerunt, atque huc illuc ineptissimè dissipavere: ineptissime quidem; Epitaphium enim ignotæ Mulieris unius contentæ Mariti nomen, laudesque evulgasse pro certo habeo, quemadmodum in Paulli uxoris saxo legimus apud Propertium lib. IV. el. 12.

Jungor, Paulle, tuo, sic discessura cubili
In lapide hoc, uni nupta fuisse legar.

In superiore Marmoris parte bina visuntur Leonum capita, Militis, ut opinor magnanimitatem, & fortitudinem indicantia.

Q. CLO-

145.

Q. CLODIVS . CF
AN . SECVNDVS
VERCELLIS MIL.
COH . IIII PR . MILIT.
ANN . XV VIX . ANN . XXXV
H . S . EST

CF. AN. Caii filius ex tribu Anienſe, ab *Aniene* amne uti exiſtimat Panvinius, fuitque trigeſima ſecunda. De hac bis mentio fit in vetuſto Saxo Sermonetæ reperto

DIIS MANIBVS
M. ANTONIO. M. F. ANIENSI
MATRINIO. EVOK. AVG
VIX. ANN. XXXIIX. M. VIII
M. ANTONIVS. M. F. ANIEN
PRIMIGENIVS
MEDICVS. FACT. RVSSAT
FRATRI. SANCTISS. FEC

VERCELLIS. Interdum *Vercellas*, quarto caſu. Tres ejuſdem nominis, ſcilicet Vercellæ, extabant in Italia urbes. VERCELLAE, ſive *Vercellum Padanum*. VERCELLAE, fortè *Vercellum* Ravennatium. VERCELLAE urbs Pedemontii inſignis. *Pagum* item *Vercellenſem*, in agro Placentino ſitum, indicat celebris Trajani tabula. Hic vero de *Vercellis* Pedemontanæ regionis agi reor; potiſſimum, quia abſque cognomine enunciatur. De multiplicibus hiſce *Vercellis*, adi eruditiſſimum J. B. Paſſerium in Diſſert., ſeu *Memoria* &c. Cæſen. impreſſ.

146.

SEX. LAELIVS. SEX. F. SCA. FVSCVS
FLORENTIA. V. ANN. LX
MILITAVIT IN CoH IIII. PR
ANN. XVII. EMERITIS
SVIS

FVSCVS. *Fuſcus*. Litteræ CVS hoc pacto, ad ſupplendas laterculi anguſtias intextæ, hic primum obſervamus.

SCA. Scaptia, tribuum vigeſima nona. Ad hanc, notas mihi commodabit cl. Vulpius, qui in ſuo de Præneſtinis, & Gabinis libro, *cap.* XII. hæc de Scaptinis vulgavit. *In Agro Præneſtino*, inquit, *aut certe in ejus finibus* Scaptia *oppidum fuit a Plinio* (lib. III. cap. 5.) *inter exciſa, ſine veſtigiis relatum. De illo Feſtus*: Scaptia Tribus a nomine urbis Scaptiæ adpellata, quam Pedani incolebant. *Prope Pedum ergo fuiſſe prudenter exiſtimabimus. Quamquam Baudrandus (qua fultus neſcias auctoritate) Scaptiam inter Soram, & Fabrateriam in Novo Latio collocatam tradiderit.* Scaptini *Populi apud Dionyſium leguntur. Tribus etiam* Scaptenſis, *ſive* Scaptienſis, *ſeu potius* Scaptiæ *tribus*, *tribules* Scaptienſes *dicti*. Cluverius Scaptiam ponit ad *Vareſim*, ſive *Oſam* amnem, ubi Pagus vulgò *Paſſerano* in Barberinorum ditione. *Miror tamen* (Vulpii pariter verba) *clariſſimum virum, alioſque plures, Oppidorum, quorum ab ipſa jam Plinii ætate, ejus teſtimonio, nulla amplius extabant* ve-

vestigia, tamen tot post sæcula vestigia adhuc quærere, & situm eorumdem stabilire conari. Adi etiam Leonardum Cecconium *St. di Palestrina* lib. I. cap. 1. N. 67. & Kircherium a quo Scaptia tribus collocatur ubi nunc Strozziorum Villa, Anieni proxima, vulgo *Lunghezza*.

EMERITIS SVIS. Emeriti dicuntur Milites, qui impletis stipendiis labore militiæ solvuntur, nimirum, qui post multos militiæ annos justam missionem obtinent. Unde Isidorus *in Orig.* lib. 9. cap. 3. *Emeriti*, inquit, *dicuntur Veterani solutique militia, qui jam in usu prælii non sunt, quia mereri militare dicitur, a stipendiis scilicet, quæ merentur. Iidem & Veterani dicuntur, quia jam in usu prælii non sunt; sed post multos militiæ labores quietis suffragium consequuntur.* Emeritum Classis Prætoriæ Misenatis fuisse quemdam Q. Silicium Silvanum testatur lapis Gorianus T. III. p. 64.

147.

Q. CASSIVS . P . F . GAL
VALENS . PISIS
MILIT . IN COH IIII . PR.
ANN . XVIII EVOCATVS ANII
VIX . ANN . XXXX HIC SITVS EST
MONVMENTVS HIC EST .

GAL. *Galeria* tribus X., quam ab ignoto loco nomen duxisse asserit Panvinius; *nisi eam*, inquit, *a Galeso Tusciæ flumine dictam velimus*, cujus meminit Virgilius *Æn.* lib. VII.

Corpora multa virum circa seniorque Galesus.

& paulò post

——————— *cæsosque reportant*
Almonem puerum, fœdatique ora Galesi

Verum quare a *Galeso* potius, quam a *Gallesio*, hodie *Gallese* Ducis ab Althemps oppido, inter Tiberim, & Hortanum sito? Oppidum, inquam, antiquissimum, a Gallis fortasse conditum, quod deinceps Episcopalem sedem obtinuit, cujusque Episcopum *Dominicum*, Concilio Romæ a Martino I. habito A. D. 863., subscripsisse, ex Fastis Ecclesiasticis liquet.

PISIS. De Coloniæ Juliæ Pisanæ nobilitate innumeri pertractarunt Historici, & Antiquarii. V. Gorium in *Inscript.* T. 1. In tribu Galeria Pisani suffragia ferebant.

MILIT. *Militavit* in Cohorte; alias *militavit in Legione*.

EVOCATVS. De Evocatis, jam satis in Inscript. T. Albanii Principiani Vol. I. Cap. I. Num. 58. in not.

MONVMENTVS. Pro *Monumentum*: ita *Collegius* pro *Collegium* apud Gorium in Fœsulana p. 116.

D M
L . TERENTIO FIDO
ET NOVICIAE
CONTVBER
NALI EIVS
COLLEGIVS COM
PITALICIVS

Lapidem nostrum edidit etiam Odericus ex archetypo, qui extabat olim in Villa *del Cinque*; sed perperam MIL. pro MILIT. & ANN. II. pro ANII.

L. NA-

148.

L . NASVLEIVS
TERES . EMIT . OL . II
A . C . CASIDARIO . IMA

EMIT . OL . II. Ollas duas, ſepulcro, ſeu columbario inferendas.

CASIDARIO. *Caſſidario*. Caſſidarius vocabatur tum is qui caſſides fabricabat, cujus imago ex Tab. xv. Muſei Medicei, hic ponitur



tum qui in Armamentario caſſidum curam habebat: hic vero inter milites numerabatur, quod conſtat non ex rei militaris ſcriptorum teſtimonio tantum, ſed ex ſequenti inſcriptione apud Fabrettum de Columna Trajan. Cap. VII.

Q. NAEVIVS
MARINVS
MILES . EX . AR
MAMENTARIO
IMP . CAESARIS
DOMITIANI
GERMANICI
CASSIDARIVS
VIXIT . ANN . XXXX

IMA. *Imaginario* legendum cenſeo; nimirum *Supernumerario*. De Imaginariis militibus loquitur Svetonius in Claudio: *Stipendiaque inſtituit, & Imaginariæ militiæ genus, quod vocatur* Supra numerum, *quo abſentes, & titulo tenus fungeretur*. Equitis Imaginarii inſcriptionem habes, credo unicam, apud Muratorium

VIRIVS SVCCIVS
EQ . IMAG . COH . I
BRIT . TVR . MONT...
ANN . XXXV . STIP . XV.
H . S . E
BODICCIUS . IMAG . ET
ALBANVS H . P

At cum ex noſtro lapide nullomodo conſtet L. Naſulei *amicum cariſſimum* (ſiglas etenim A. C. aliter neſcirem, licet ſuppreſſum ſit amici nomen, interpretari) ex caſſidariis militaribus fuiſſe, eum inter caſſidarios artifices numerare licet, ex iiſque ſcilicet, qui imagines, & figuras in caſſidibus cælabant, quos *Barbicarios* quoque, & *Barbaricarios* dictos fuiſſe afferit Bulengerus *de I. R. lib.* VI. Virgilius de rege Turno *lib.* 7.

Cui triplici crinita juba galea alta chimæram
Suſtinet.

& Claudianus in IV. *Honorii Conſul.*

Quis decor, incedis quoties clypeatus, & auro
Squammeus, & rutilus cristis, & Casside major?

Erant enim cassides, docente Sponio, apud veteres aliæ simplices, aliæ literatæ, aliæ cristatæ, & Sphingibus, aut Chimæris, hiantibus animalibus, ad terrorem potius, quam ad ornatum insignes: aliæ insuper, in quibus, ut in clypeis, Deorum imagines, numique Cæsarum insculpebantur. Figuris diversis ornatissima, atque eleganter sculpta est cassis Pyrrhi Epirotarum Regis (Pyrrhi inquam, non equidem Martis, uti rei antiquariæ jejunus divulgat somniator quidam) cujus colosseum signum in Museo Capitolino adservatur. Ceterum primus cassidum fabricator, ac reliquis præstantior fuit procul dubio Vulcanus, Deorum faber, de quo Homerus *Iliad.* 22. *vers.* 380. ubi hæc, interprete elegantissimo Raymundo Cunichio, cecinit:

Nec minus Æacides contra volat igneus, altum
Incensus furiis pectus; lævaque micantis
Præportat clypei textum admirabile; nutat
Quatuor insignis conis in vertice Cassis,
Aurataque tremunt moto circum ære cristæ,
Quas apici densas aptarat Mulciber alto.

Vulcanum Cassidarium vide in hoc gemmæ antiquæ typo, ex illo excerpto, quem cl. Fabrettus in *App. ad Tab. consecr. Homeri* vulgavit.



Qui rerum omnium possibilium, temerè quidem, auctricem faciunt Etruriam, militarem cassidem Etruscum esse inventum prædicant: ex istis, præque cunctis Thomas Dempsterus id affirmavit in Regalis Etruriæ lib.III. cap.61. Verum egregii viri conjecturam, recitata nuper Homerica carmina apertissime refellunt. Rectius profecto Galeas, quamquam a Casside differat, sæpissime tamen ab antiquis scriptoribus prò cassidibus sumptas ostendit. Galeis igitur, sive casidibus usos fuisse milites ad aquam gestandam, constat ex Frontino, Lucano, Curtio Rufo, Tibullo, Propertio, Claudiano, atque Seneca, qui lib.VI. *de Benef.* cap.24. *Ire ad fontem proximum*, inquit, *non poteram, repere manibus volebam, nisi commilito, homo fortis ac strenuus, aquam mihi in galea sua attulisset*. Vide laudatum Dempsterum Op.cit. *ibid.*, ubi præcisa illorum Poetarum verba retulit.

Notandum interim apud Muratorium *Cassidarius*, nomen esse cujusdam Ampheristi: legimus enim p. 778.

C. PINARIVS ONESIMVS. ET
CASSIDARIVS AMPHERISTVS
OB MERITA

De quadam nota in Militum casidibus expressa, jam diximus in notis ad Inscript. sub numero 141.

D M

149.



D M

C . SPVRIO . C . F
MAXIMO . DOM:::.
::LORENTIA
MIL . COH . II . PR.
7 .::EBVLI IVSTI
MIL ANN . XVI . VIX
ANN . XXXVI.
A . SPVRIVS . FRAT . B . M

DOM . *Domo Florentia*. De Patria in Militum Epitaphiis locuti sumus in Notis ad Inscriptionem 141. quare hic rantum notabimus, pluribus modis hæc signari, nimirum.

1. Solum Urbis, sive Oppidi nomine, ut in nostris T. Vettius Seneca CORTONA. M. Propetius Firmus ATESTE. L. Lucilius Rufus VERONA.

2. NAT. pro *Natione*. M. Antonius NAT. *Capsa*. M. Julio Vivaniano NAT. *Delmatia*. Nonius Arusius NAT. *Corcyra*, inter Doniana.

3. Integre expressa nempe NATIONE; ita in Reinesianis T. Aurelio NATIONE *Ræto*. NATIONE *Noricus*. NATIONE *Dalmata*.

4. NATUS, vel NATO; ita Lapis Tudertinus a Gorio editus C. Edusius NATVS *Mevaniæ*. Aurelius Mucianus NATVS *Tremontiæ*.

5. ORIVNDVS, apud Donium. Q. Antistius Fuscus ORIVND. *Myriandro*. M. Julius Dionysius ORIVND. *Fabrateri*. L. Matrinio ORIVNDO *Lepti*.

6. DOMO, uti frequenter in Capitolinis.

Quidam putarunt Romanos, Romam tantum pro *Urbe* habuisse, reliquas veluti *Domos* existimasse: falsum id omnino dico, 1° quia Authores titulorum in quibus DOMO scriptum reperitur, Romanos fuisse non constat. 2° quia Cippos habemus, in quibus ipsa Roma DOMVS vocatur. Ita apud Gruterum C. *Terentius Philetus* DOMO ROMA. L. *Æmilius* DOMO ROMA, & ap. Muratorium *Tiberius Junius Quadratus* DOMO ROMA.

FRAT. B. M. Fraterni amoris argumentum est Lapis iste ab Aulo Spurio, Cajo Spurio Maximo fratri benemerenti positus.

L. SEM-

150.

L . SEMPRONIVS . C . F.
PVBL SEVERVS DOMO
VERONA . M . CHO II . PR
D . L . ALFI:: . VERECVN
DI . POSV IT HERES

PVBL. *Publilia Tribus*, quam & PVP. PVPIL. POP. POPIL. indicatam invenimus in ſaxis. Feſti fragmentum extat, ubi Tribus iſta nominatur: *Popilia tribus .... buum...., tot enim fu .... lici nomine a..... Pinaria a Sorori ...... mine*. Hujuſce fragmenti ſupplementum a Paullo, Feſti abbreviatore, vulgatum accipe: *Popillia tribus unaquinque* & triginta tri*buum*; *tot enim fu*erunt: a Popilliæ fœminæ fe*lici nomine a*ppellata, quomodo tribus quoque *Pinaria a ſororis* Pinarii. dicta ſunt. ab ejus no*mine*. Hinc Panvinius, concludit (quo argumento non video) Tribum iſtam non a gente Popillia, ſed a loco nomen habuiſſe, quæ ſane opinio, Feſti verbis, manifeſte repugnat. Livius hanc *Publiliam* vocat, ut in noſtro Marmore: *eodem anno duæ tribus* Pomptina, & Publilia *additæ*. Valerius Maximus vero *Popilliam*. *Quàm ob cauſam* inquit *Popillia tribus in qua* &c.: aliquando *Publicia*. Tribus conſtanter inſcribebatur ante cognomen, aut, hoc deficiente, immediatè poſt nomen, & conſanguinitatis notas, ſi quæ eſſent. Verumtamen cum nil novi extet, de quo exemplum aliquod in ipſis lapidibus non reperiatur, ita Tribum in ſequenti, poſt militare munus collocatam videbis.

CHO. Coh. *Cohorte*, ſeu *cohortis* II. *Prætoriæ miles*.

D. L. Siglas iſtas, hic, erroneas cenſeo, ac loco Centuriæ, aut Centurionis notæ incurioſe poſitas.

D.M

151.



D . M
T . FAESVLANVS
STATOR MIL COH
III PR . POLLIA
MVTINA . VIX
ANN . XXV MIL .
ANN . V . COMMA
NVPVLARIS
H . F . C

STATOR. Forte cognomentum T. Fæsulani. Dubium oritur ex loco, quo nominatur Tribus; nimirum post militarem gradum, quod mihi novum. Si vero hic, officium militare enunciatur, breviter notandum Statores esse Ciceroni Magistratuum nuncios, uti innuit *Epist. fam.* lib. 2. *Literas a te mihi stator tuus reddidit*: Manilio *latrones*, sive Laterones, quod domini *latus tegerent*: Petronii antiquo interpreti, Georgio Erhardio, aliisque, modo servos qui prope herum, aur patronum stant, eorum nutus, & jussa executuros; modo carcerum, aut ædium custodes. In militia vero Apparitores a quibusdam vocantur, sed rectius Th. Reinesius eos Statores dicit, quibus Prætorii custodia tradebatur, unde ad posticam Prætorii portam excubabant. Diomedis *Statoris Prætoriani*, seu *a Prætorio*, meminit inscriptio apud eumdem p. 540. Verum cum huc illuc occurrant Statores Augustorum, Statores ex Domo Augusti, Stator Annibalbaliani, Præfectus Statorum, Statorum Evocati, Statorum Centuriæ, Stator Civitatis, & inter Donianas L. *Rufus Stator Primipilus legionis* II., ideo quodnam proprie in Militia fuerit statoris officium, non satis assequor.

POLLIA. Tribus Pollia, quæ undecima fuit. Hanc non semel nominant Livius, & Valerius Max. Alterius militis ejusdem Tribus, ejusdemque patriæ laudat inscriptio Colotiana apud Panvinium de C. R. p. 213.

M . BALLONIO
M . F . POLL . PAVLLO
MVTINA
MIL . COH . X . PR . 7
FRONTONIS . MIL
ANN . VIII . VIX . ANN
XXXVI . T . P . I

MVTINA. Galliæ Cisalpinæ urbs, quam firmissimam, & splendidissimam P. R. coloniam appellavit Cicero. Notandum hic, perperam a Quadratario signatam fuisse Tribum, nempe T. Fæsulani patriæ conjunctam. Muratorius facile Polliam cognominatam asfereret Mutinam. Cum enim vir doctissimus legisset apud Vignolium

D . M
M . ATILIVS MAXIMVS
VETERANVS . AVG
NATIONE
OFFENTINA . MEDIOLAN
&c.

hæc in notis affirmare non dubitavit. *Medio-*

diolanenses in Oufentina scripti fuere. Propterea heic Mediolanum Offentina *dicitur. Alibi in eam sententiam inclinavi, non aliunde descendisse nomen* Papia *inditum Civitati Ticinensi; quam ex Tribu Papia, cui Urbs ipsa fuit addicta. Scilicet* Papia Ticinum *ea fuerit appellata; ut heic* Offentina Mediolanum. Idem juxta Muratorii sententiam asserere liceret de singulis civitatibus, quæ in saxis post Tribum immediate nominatæ reperiuntur. Placentiam ergo *Voltiniæ*, Cellejam *Claudiæ*, Tarraconiam *Galeriæ* nomina prætulisse dicemus, hac tantummodo ratione ducti, quod nempe in marmoribus Capitolinis nuper relatis legatur

PRI. RVTILIVS VITALIS VOT. PLACENTIA &c.
P. AELIO. P. F. SVRO. CLAVDIA CELLEIA &c.

& apud eumdem Muratorium p. XXII.

L. MINICIVS. APRONIANVS. GAL. TARRAC

At Muratorii verba veluti nugas refellit eruditissimus Zaccarias in *Inst. Lap.* lib. I. cap. I. p. 141. egregiumque virum illum Tribum cum patria perperam confundisse ostendit.

COMMANVPVLARIS. Commanipularis. *Idem ac contubernalis*, inquit doctissimus Odericus, *siquidem lego* apud Vegetium, *Contubernium autem Manipulus vocabatur, ab eo quod conjunctis manibus dimicarent*. Commanipulones nominat Spartianus in Pescennio Nigro, ubi *Commanipulatio*, pro *Contubernio* scribit: *addito eo, ut tota in expeditione, in Commanipulatione nemo focum faceret*. Vocantur & *Commaniculi* in quodam marmore Beneventanto apud de Vita *Diss.* IX., ubi Præsul eruditissimus, Vegetianam nuper allatam, de *Commanipularis* vocabuli etymologia, sententiam respuit. Ex lapide tamen a Jacobonio edito p. 236. conjicere liceret aliquod inter Commanipulos, & Contubernales fuisse discrimen, nam in eadem inscriptione & Contubernalem legimus, & Commanipulum

AVRELIVS. SEXTIANVS. COMMANIPVLVS. ET. HERES
EIVS. CONTVBERNALI. RARISSIMO

L. AE-

152.

L AEMILIO · L · F · CAM · kARO·CO
LEG · AVG · PR · PROVINCIAE · CAPPADOCIAE
LEG·AVG·PR·PR·CENSITORI·PROVINCIAE·LVGDVNENSIS
LEG · AVG · PR · PR · PROVINCIAE · ARABIAE
CVRATORI · VIAE · FLAMINIAE · LEG · LEG · XXX · V·V
PRAET · TRIB · PLEB · QVAEST · AVG
TRIB · MILITVM · LEG · VIII · AVG
TRIB · MILITVM · LEG · VIIII · HISPANAE
X VIRO STLITIB · IVDIC
SODALI · FLAVIALI · XV VIRO · S · F
C · IVLIVS · ERVCIANVS · CRISPVS · PRAEF
ALAE . PRIMAE · VLPIAE · DACORVM
AMICO · OPTIMO

CAM. *Camilia*; cujusdam Tribus nomen: quidam legunt *Camilla*, quidam *Camillina*, quod notavit Panvinius. Hanc vero non fuisse ex xxxv. Tribubus Romanis, sed ex x. superadditis anno P. R. C. 664., omnes docent auctores. Notandum G. in hoc saxo sic G constanter sculptam.

LEG. AVG. PR. PR. *Legato Augusti Pro-Prætori*.

CENSITORI PROVINCIAE LVGDVNENSIS. Raro vocabulum hoc reperitur in saxis. Extat tamen inter Muratoriana p. 1119. ubi *Publium Verum* CENSITOREM habemus *Provinciæ Thraciæ*. De Censitoribus (qui & Peræquatores vocabantur) multi multa dicunt, sed ambigua nimis, & obscura. Istorum igitur flexiloquio Samuelis Pitisci sententiam præferendam opinor. *Censitor* (inquit Vir doctissimus) *erat vel Censuum impositor, ut patet ex toto titulo Cod. Theod.* de Censibus. *Vel qui Censum agebat, & præcipiebat præstationes tributorum, pignorisque jure prædia vendebat, si Census non solvebatur: vel tandem qui recipiebat præstationes Collectorum*. Vide Ursat. de Not. Rom. Bulengerum, Lazium, Gutherium, Calvinum &c.

CVRATORI VIAE FLAMINIAE. Ubi antiquus *Viæ latæ* terminus, ibi viæ *Flaminiæ* (quam Cn. Flaminius devictis Liguribus stravit) initium, unanimi ponunt Scriptores, nimirum ubi nunc area vulgo „ Piazza di Sciarra „ nuncupata. Per portam Flaminiam, pontemque Milvium, Ariminum usque duxisse tradunt pariter historici. Attamen Tullius eam ultra Ariminum, nempe Mutinam usque protendit his verbis *Philipp.* 12. *Tres viæ sunt ad Mutinam: ab infero mari* Aurelia; *a supero*, Flaminia, *media*, Cassia. An Romanus orator viarum publicarum excursum ignorabat? Istius insuper viæ egressum, quem è porta Flaminia, hodie „ del Popolo „ statuunt communiter antiquarii, Pinciæ seu Pincianæ adsignandum non invalidis argumentis opinatur in suo *Campo Martio* Cap. VI. ornatissimus Eques Piranesius, vir equidem ad præclariora veterum Romanorum monumenta illustranda natus. Ut ut res sit viam hanc celebrarunt certatim historici, & vates. Falso tamen asseritur a Volfango Lazio lib. II. Flaminiam viam locum fuisse sepulcrorum Cæsarum, qui post Augustum imperarunt. Nam *Caligula* conditus est in hortis Lamianis, qui in Exquiliis extabant: *Claudius*, sub Capitolio: *Nero*, in Colle

Colle Hortulorum: *Galba*, via Aurelia: *Otho*, Brixillo: *Vitellius* in Tiberis alveo, quo unco tractus eſt: *Flavius Veſpaſianus*, in Villa quadam Reatima, in qua & *Titus Domitianus*, via Latina: *Didius Julianus* via Labicana: *Severus* cum filio *Geta* in Septizonio inter Palatinum, & Cœlium: *Gallienus*, via Appia &c. De viarum Curatoribus ſuperius diſſerui in Not. ad Inſcript. 83.

LEG. LEG. XXX. V. V. *Legatus legionis triceſimæ Valentis Victricis*. Hanc quadruplicem fuiſſe monet laudatus Lazius; ſcilicet Hiſpanicam, Gallicam, Moeſicam, & Syriacam. Siglæ autem V. V. triceſimam illam Legionem indicant, quæ ſub Alexandro Severo militabat, noſtrique hinc lapidis ætas colligitur. Legatorum autem Cæſarum magna erat dignitas: habebant enim poteſtatem Imperatorum, venerationem vero Sacerdotis, uti, de L. Siccio adloquens, docet Dionyſius lib. XI.

X VIRO. STLITIB. IVDIC. Decemviro ſtlitibus (h. e. *ſuper lites* juxta Quintilianum) *judicandis*. Paſſim hos Decemviros nominatos in antiquis ſaxis reperimus; eos videlicet, qui lites, cauſaſque privatas judicabant, in quibus *de jure* controverſia erat: Unde Lucanus ad Piſonem

Seu trepidos ad jura decem citat haſta Virorum
Et firmari jubet centeno judice cauſa.

Ordinarium hunc fuiſſe Magiſtratum docent Dio, Pomponius, Sigonius, aliique, ex quibus diſcimus Prætorem, gravioribus curis diſtentum litium ad ſuum Tribunal pertinentium cognitionem, judicationemque Decemviris iſtis mandare conſueviſſe. Confirmat hæc Pomponius: *cum eſſet*, inquit, *neceſſarius Magiſtratus, qui haſtæ præeſſet, Decemviri in litibus judicandis ſunt conſtituti*.

SODALI FLAVIALI, De Sodalibus in genere egimus in Not. ad Inſcrip. 74. Collegium Flavialium inſtituit Titus Flavius Domitianus, Patrique, ac Flaviæ genti conſecravit, teſte Svetonio *in Domit.* Hinc Papinius de templo Flaviis ſacro,

————— eſt hic, agnoſco, Miniſter
Illius æternæ modo qui ſacraria genti
Condidit, atque alio poſuit ſua ſydera cælo

& Martialis lib. IX. Epigr. 82.

Templa Deis, mores populis, dedit otia ferro;
Aſtra ſuis, cælo ſydera, ſerta Jovi.

Conſona his ſunt Svetonii verba; *Natus*, inquit, *Domitianus ..... ad malum Punicum, domo, quam poſtea in templum gentis Flaviæ convertit*: ita P. Victor de Regionibus Urbis ait *Malum Punicum .... ad quod Domitianus dedicavit Templum Minervæ Flavianæ, ſeu Templum gentis Flaviæ, & erat domus ejus*.

XV VIRO. S. F. *Quindecimviro ſacris faciundis*, de cujus dignitate, & officio, alibi ſermonem habui.

C. IVLIVS. ERVCIANVS. CRISPVS. Nominum copia jam Alexandri Severi temporibus (ad quæ, ut innui, Inſcriptionem pertinere autumo) inoleverat: ad ſeptem uſque generice ſumpta nomina, percenſitoque prænomine, exhibet lapis Muratorianus in quo M. *Junius Cæſonius Nicomachus Anicius Fauſtus Paulinus*. Nomen autem hic quarto loco inſculptum, illud fuiſſe reor, quo communiter appellaretur *Cajus* iſte *Julius Erucianus*, quod laudati Imperatoris ævo uſitatiſſimum æque fuit. Hanc attamen ſententiam, ſi quis ſequi renuerit, doctiſſimos adeat Sirmondum *in Præf. ad Sidon. Apollin.*, atque in *Not. ad Ennodium*, & Odericum Diſſ. 8. p. 136. Phil. Bonarotam *Oſſerv. ſopra il Dittico di Baſilio*, Zaccariam *Inſtit. Lapid.* lib. 2. cap. 1.

PRAEF. ALAE. PRIMAE. VLPIAE. DACORVM. Quod in ætatis noſtræ Exercitibus „ Corno „ dicitur, *Ala* vocabatur in veteri militia equeſtri. Legionibus enim ex decem cohortibus conſtantibus ſemper, aut ſemper fere, trecenti adjiciebantur equites, qui in decem turmas diviſi alas componebant: turma vero quæque in tres decurias rurſus dividebatur. Alæ autem diceban-

tur,

tur, authore Vegetio *lib.* II., quod ad similitudinem alarum ab utraque parte protegerent agmina. L. Æmilius igitur Præfectus fuit *Alæ Primæ Ulpiæ Dacorum*, sic, ut reor, ab Ulpio Trajano Dacorum victore denominata. Hujusce muneris (scilicet Alæ Præfecti) meminit Svetonius *in Tib.* qui *Præfectum alæ, de vi, & rapinis reum, causam in Senatu dicere coegit*. Cajum Vibium Præfectum *alæ primæ Ulpiæ singularis* laudat Inscriptio quædam Arretina apud Gorium: apud Odericum vero T. Fl. Julium habemus *Equitem singularem Turmæ* ULPI ITALICI: at illud τὸ VLPI non profecto Turmæ, sed Ducis appellationem designat cui nomen, & cognomen VLPIVS ITALICVS; secus legeretur *Turmæ Ulpiæ Italicæ*, quod absit. V. laudatos Auctores.

153.



D M

T.SERANIVS PRIMIAN
VS. ɔ .LEGIONIS.V.MAC
EDONICE FECIT COLVG
ISVE ALAGRIE INGENVE
ET FILIS SVIS EX.XVPERA
TO ET COGITATO BEN
EMETIBVS
PIETISIMIS

Militarem hanc Inscriptionem, militariter exaratam, inveni anno elapso 1774. in quadam vinea juxta templum D. Agnetis extra muros; eamque mihi benignissime a vineæ domino Victorio Carlevati dono datam, in Museum Capitolinum transtuli. Licet in ea tot sint barbarismi, quot verba, facile sic emendatur. *T. Seranius Primianus Centurio legionis quintæ Macedonicæ fecit Conjugi suæ Alagriæ Ingenuæ & Filiis suis Exuperato & Cogitato benemerentibus pientissimis*.

LEGIONIS. V. MACEDONICAE. Legionis hujus antiquissimæ meminit Livius in Bello Punico secundo; & lib. 6. *Philippum inferentem bellum Ætolis in Macedoniam retro ab se compulsum, ad intima penitus regni abiisse, Legionemque inde deduci posse*. Ab Augusto tamen constitutam tradit Dio, locatam vero Memphi asserit Pancirolus. Una postea fuit ex novem Legionibus Comitatensibus Magistri militum per Orientem.

De Ascia, quam hic insculptam vides, disserui in opusculo; *I riti funebri di Roma pagana*. P. II. num. 29. Verum si me audies, adibis doctissimos viros Fabrettum, Mazzochium, Philippum a Turre, Valbonesium, Mabillonium, Muratorium, Massejum, qui egregie hoc argumentum pertractarunt. Interea nonnullas hic multiformes Ascias excipe, prout in saxis sepulcralibus visuntur.



Præter tritam SVB ASCIA formulam, alteram his diebus legi hujusmodi: A SOLO ET AB ASCIA, quam alias me vidisse haud memini. Inscriptio extat in ædibus Vaticanis.

HVNC . MVNIMENTVM
IN . FRONTE . PXIII . IN . AGRO
PXVI . A SOLO ET . AB ASCIA .
AELIA . ISIGENIATI . CRZENAII *sic*
MEMORIAM . MARITO . SVO .
DVLCISSIMO ET . SIBILIBERTIS
LIBERTATIBVSQVE SVIS . POSTERISQ
EORVM FECIT

Ideo Inscriptionem exhibeo (in qua literæ A & M, constanter λ & ⅄⅄.) quia nondum editam arbitror, cum anno tantum elapso 1774. eruta sit in quadam vinea, Via Ostiensi, ad D. Paulli *extra muros*. Hanc ego Clementi PP. XIV. dono dedi.

154.

D M
P. ÆLIO. P. F
SERVO CLAVDIA
CELLEIA. MIL. COH. IIII
PR. ϛ TRAEBELLI MAXSIMI MIL
ANN II VIX ANN. XXII. H. F. C

SVRO. Dativus *Suro*, nominatum indicat in *us*: unde in Museo Veron. p. 123. num. 7.

TERTIVS VERCOBIVS SVRVS

pagina vero 265. num. 1.

MEMORIAE
SEV SVRI
SABINI

Quapropter non assentior cl. Scipioni Maffejo, qui primum hujusce cognominis casum in indice deduxit, scripsitque SVRIVS. Porro additamentum litteræ I in fœminis ejusdem cognomenti admittimus, uti in eadem inscriptione.

ARBITRATV
SVRIAE ZOSIMES
COLLIBERTAE

Idem,

Idem, ſed deſinens in A remotaque littera I, hoc eſt SVRA cognomen fuit P. Cornelii Lentuli, quod Quæſturæ pecunia interverſa, cum rogaretur a L. Sylla, cujus Quæſtor erat, quam eſſet rationem redditurus, *præbebo* inquit *ſuram*: illic enim peccantes diſcipulos verberare, Magiſtri ſolebant, ut in noſtra belli Catilinarii verſione Not. 52. enarravimus.

CLAVDIA. Ex tribu Claudia, quæ fuit decima tertia, ſic a gente Claudia denominata. De hac Dionyſius apud Panvinium ſic: *Claudius opibus, & amicis aſſumptis ex Sabinis Romam migravit; quem* S. P. Q. R. *in Patricios conſcripſit, locumque in Urbe pro domo conſtruenda conceſſit. Agrum quoque ei publicum tradit, qui inter Fidenas* (hodie ,, Caſtel-Giubileo ,, via Nomentana) *& Piculiam erat* (plerique legunt *Picentiam*; verum neque *Piculiam* legendum, quæ nunquam extitit, neque *Picentiam*, Tyrrheni maris urbem ſatis notam, nimiſque a Fidenatibus diſtantem; ſed ΦΙΚVΛΙΑΣ, Latinis *Ficulia*, rectiuſque *Ficulea*, nunc *S. Baſilio*, oppidulum, eadem Via ſitum, XII. circiter M. P. ab Urbe diſſitum, atque Fidenatibus finitimum) *quem poſſet ſuis dividere, a quibus Tribus facta eſt, Claudia vocata, quæ uſque ad mea tempora manet, idemque nomen ſervat.*

CELLEIA. Norici olim urbs, Romanorumque colonia, noſtrique Publii Ælii Suri patria. Adi Volfangum Lazium in Comm. Reip. Rom. lib. XII. cap. 6. nunc *Cilla*.

TRAEBELLII. Diphtongus in Trebelli nomine error eſt marmorarii, uti liquet ex *Trebellio* Pollione, conſtanter in codicibus abſque diphtongo enunciato, atque in *Trebellia Enini, & Trebellia Hedone* inter Gorianos lapides.

MAXSIMI. Abundat elementum S. Ita in Gruterianis DEDVXSISTI. FAXIT. DIXSERVNT. Inter Gorianas BIXSISTI. Inter Chriſtianas BIXSIT. In noſtris VXSOR. EXSIMIAE. VIXSIT. DEXSTRI. In Chriſtiano lapide apud Muratorium, idem *Maximi* nomen cum S inſcriptum, accipe

. . . .

ANN PL M XLI D XIII KAL. NOB
PATERI ET MAXSIMI

155.

Q. VALERIVS. Q. F
FAB. EXORATVS
BRIXIA. VET. EX. SPEC
VIX. ANN. XLV
VODVSSIA LIBERAT ⁞
Q. VALERIVS IVCVNDVS
HERED. EX TEST. FECIT
IN. F. P. II. IN. A. P. II

FAB. Ex tribu Fabia, de qua alibi.

BRIXIA. Italiæ urbs inter Bergomum, & Veronam. Incolæ *Brixienſes*.

VET. EX. SPEC. Veteranus ex ſpeculatoribus. De his inferius.

VODVSSIA LIBERATA. Male Muratorius p. 866. VODVSIA LIBERTA.

M. PAC-

156.



M . PACCIVS
M . F . IVL . AVITVS
SCALLABI . MIL
COH . VI . PR . Ɔ:
IVLI . MIL . ANN
V . VIX . ANN . XXX
L . VALERIVS
COMMANIPVLAR
ET MVNICEPS
AMICO . DE SE . B . M
POSVIT

IVL . Tribus hæc, *Julia* authore Dione, in Augusti honorem a Senatu appellata est.

SCALLABI . Oppidum amplissimum Lusitaniæ ad Tagum, ab Ulyssipone XIII. circiter m. p. distans, cujus mentionem alias (de lapidibus loquor) fieri non credo; profecto in amplioribus lapidum collectaneis nominatum minime reperio. Plinius lib.IV. cap.22. *Universa Provincia dividitur in conventus tres, Emeritensem, Pacensem, Scalabitanum*, & mox: *quinta est Scalabis, quæ præsidium Julium vocatur*; Hodie *Santaren* a D. Irene denominatum: idest *Santa Irene*. M. Paccius Avitus fuit ergo (licet natione Lusitanus) ex tribu Julia; quod sententiam illorum confirmat, qui exteros populos, in Romanas fuisse tribus adscriptos, autumant. Hanc profecto Quiritum indulgentiam, ad conciliandos hominum animos, & ad augendam simul Romani imperii potentiam plurimum contulisse, ex Romana historia colligitur. Ea fuit Reip. Romanæ ratio, & consuetudo, ut peregrinas nationes societatis fœdere. Italicas vero gentes civitatis jure sibi conjungeret. *Nunquam enim*, inquit Tullius, *intermissa est communicatio civitatis*. Audi Gellium N.A. lib.16. *Municipes sunt cives Romani ex Municipiis, legibus suis, & suo jure utentes, muneris tantum cum populo Romano honorarii participes*.

COMMANIPULARIS ET MVNICEPS. *Contubernalis*, ut supra, & *Municeps*, sive *Municiparius*; qui videlicet, in civitatem Romanam receptus, munerum fiebat particeps. Saxum, nostro fere consimile, retulit Gorius T.1. p.406.

D . M
SEX . TITINIO
DORYPHOR
MIL . COH . V . VIG . 7 . IVLI
RVFI . L . VALER . PRIMVS
ET . C . LVCRETIVS . VERECVN
MVNIC . ET . COMMAN
B . M . P

C.IV-

157.

C . IVLIVS . DIZALAE sic
FAB . GEMELLVS
DOMO . HERACLEA
SENTICA
VIXIT ANN XVIII
MILITAVIT ANN II
IN COH . VII . PR

Aurelius Dizane apud Gruterum, & *Aur. Disza* inter Donianas.

FAB. Fabia tribus, de qua alias in Inscrip. Aquilii Felicis.

HERACLEA SENTICA. Urbs Macedoniæ, quam inter Apolloniam, & Æginium ponunt Geographi.
Sinticam scribit Plinius lib. IV. cap. 10. *Senticam* vero, uti in hoc marmore, Cæsar *de* B. C. lib. 3. ubi; *Domitius* inquit... *rei frumentariæ caussa ab eo discesserat, & Heracleam Senticam, quæ est subjecta Candaviæ, iter fecerat*. Heracleas Stephanus tres, & viginti numeravit, uti notavit doctissimus Alexius Mazzochius, quem miror, *in suis Tab. Heraclens.* de *Heraclea Sentica*, ne verbum quidem fecisse. Sane hoc unicum est marmor in quo urbs ista commemoretur.

158.

TIAVRELIVS
A F. PAP
CLEMENS
DOMO ALTINI
MILES COH X PR
Є ANTISTI
MILITAVIT
ANN . XVIII
VIXIT . ANN . XXXX
H . S . E

Titus Aurelius Auli Filius, ex tribu *Papia* cujus supra 22. inscriptiones se vidisse asserit Panvinius, quibus addendæ sunt nonnullæ, post Panvinium repertæ. Hæc forsan a gente Papia Italicarum nobilissima: modo PAP, modo PAPIA inscribitur

Q. SEVIVS Q. F . PAP

in Reinesianis, & apud eumdem Panvinium

Q. CAECILIVS - Q. L . PAPIA

aliquando PP. uti docet in *Inst. Lapid.* clar. Zaccarias.

ALTINI. *Domu Altinas* in inscriptione *Belini*, seu *Beleni* apud cl. Dominicum Bertoli in *Antiq. Aquilejæ* p. 92. Altinum, urbs fuit quondam in littore Venetiarum florentissima, quam bis nominavit Plinius lib. III.

Hæc namque civitas, ſcilicet, *Altinum* (ita in quodam *Paſſionario* apud laudatum Bertoli loc. cit.) *olim ex auro*, *& argento mire decorata*, *magnis viribus pollebat*, *atque inter cæteras Veneciæ Civitates nobiliſſima dicebatur*, *ubi inſuper Auguſti ſolium nuſquam precioſius habebatur*. D. Heliodorum Altini epiſcopum, qui una cum D. Ambroſio interfuit Concilio Aquilejenſi, & D. Theoniſtum Altini pariter epiſcopum ab Arianis occiſum commemorant Molanus in addit. ad Uſuardum, & Baronius in *Martyrol.*

MILES. Aliquando MILEX : ita apud Philip. a Turre in inſcriptione M. Aquilii

D . M
AVREL . DIZO . MILEX
LEG . XI

& ibid. pag. 135.

D . M
AVRELIVS SVDICEN
T . CVS . MILEX . LEGIO
NIS . XI . CALVIE

Notandum in noſtro hoc lapide nullas eſſe interpunctiones, niſi poſt AF.

159.



C . CALVIVS . C . F
POM . SABINVS
DERTONA . MIL.
COH III . VIG ::::
:::RAI . MIL . ANN . I.
M . X . VIX ANN . XX
IIII . D . XVII . CALVI
VS . IVSTVS . FRATRI
MIL . COH . I . PR . FEC

POM. Pomptina tribus XXVI. cæteris addita una cum Popillia A. V. 396. C. Fabio Ambuſto, & C. Plautio Proculo Coſſ. Feſtus, *Pomptinam a Pontia* urbe dictam tradit, a qua & ager, *Pomptinus* appellatus eſt: in Volſcis prope Tarracinas extitiſſe aſſerit Panvinius. *Pontina* legimus in inſcriptione Præneſtina

DIS MANIBVS
L . IVNIVS . L . F . PON
TINA ACVLNIVS
MIL . LEG . II . PARTH
MIL . AN . IX . VIX . ANN
X X X X V I
H . F . C.

DERTONA. Urbs Liguriæ antiquiſſima, Romanorum olim Colonia in Manutii ſaxo p. 402. IVLIA DERTONA & apud Cellarium

ORIVNDO EX ITAL . IVL . DERTONA

Tiberii nummum ſic C. I. A. D. ſignatum refert Harduinus, legitque *Colonia Julia Auguſta Dertona*. *Altiliam* denique, ſeu *Antiriam* temporibus mediis nominatam aſſerit cl. Jacobus Durandus in Opuſc. *dell' antica condizione del Vercelleſe*. Hodie *Tortona*, ſub ditione invictiſſimi Sardiniæ Regis, ad torrentem Seripiam, vulgo *Scrivia* ſita, X. ab urbe Ale-

Alexandria Statiellorum lapide. Urbem hanc (quæ secundæ viæ Æmiliæ a Scauro stratæ erat terminus) nominat etiam columna illa militaris primum a Grutero mutila, postmodum a Montfauconio mendis referta, postremo a cl. Gorio integra, atque emendata in inscriptionibus Florentinis edita.

HERCVLANVS	HERCVFAL
SEVERV S	OSTI A
SATVRNINVS	TARRACIN
VOCISCV S	STV . O . N
FVFICIV S	BONONI A
SEXTILIANVS	CLVSI O
ALCIMV S	ROM A
IVSTINV S	DERTONA

Aliam, ad Dertonensem militem pertinentem, inscriptionem mox dabimus.

COH. III. VIG. Septem fuisse, imperante M. Aurelio Antonino Vigilum Cohortes ex antiquis tabulis Florentinis colligitur; V. Gorium *in Inscriptionibus* Arretii Tom.1. p.194. De institutione, deque Vigilum officio egimus Tom.1. Num.21. pag.46. Hic tantum notandum horum mentionem fieri in sacris Litteris, *Cant.* III. 3. *Invenerunt me Vigiles, qui custodiunt Civitatem.*

CALVIVS. Legionem *Calviam* nominat saxum superius relatum in *not. ad Inscript.* 158. Calvium Vestiarium *ab luco Lubitinæ* laudat inscriptio, quam nuperrime in clivo Capitolino, vulgo *Salita di Marforio*, parieti affixam, vidi.

160.

DTIS MANIB
L . ENNII . F . POM
PTINA . OPTATO
DERTONA TRIB
SCAPTIA . VETERA
NVS . EX COH . II . PR
Ↄ . RVFI MILITAVIT
ANNIS . XVII . VIXIT
ANNIS . XL . TESTAME
NTO FIERI IVSSIT FE
CERVNT L . ENNIVS
THREPTVS . ET ENNIV::::
AIHICTVS PATRONO
PIENTISSIMO . ET . SIB:::
POSTERISQ . SVORV::::

OPTATO. *Optati*. Binæ in hoc saxo laudantur tribus: Pomptina, & Scaptia. De hac sermonem habui *in Not. ad Inscript.* 145. De illa *in Not.* pariter *ad lapidem* 159. Dertonam in tribum Pomptinam censitam fuisse non ambigo: cur ergo hic, Dertonæ Scaptia adsignatur, Dertonensi vero militi Pomptina? Ast ipsa Tribus geminatio haud contemnendum mihi præbet argumentum opinandi Dertonenses, ex quo deducti sunt Coloni ab Augusto, ex Pomptina tribu in Scaptiam transiisse. Ita in Scaptiam ex Pollia *Fæsulani*, ita *Hortani* in Quirinam ex Arniensi transierunt. Insuper, cur L. Ennius Optatus licet patria Dertonensis ex tribu Pomptina dicatur, verbis declarabo cl. Gorii, qui idem *in Vol.* 1. *Inscript.* pertractans argumentum, docet nobiles cives (ita & milites, ut mihi sua-

ſuadet ratio) Auguſti imperio in Coloniis deductos, tribuum Coloniarum ſuarum, in quibus primitus deſcripti fuerant, nomen præferre maluiſſe.

VETERANVS. De Veteranis militibus loquutus ſum Cap.1. ad Inſcript.14. Idcirco pauca hic addam, ut magis ac magis lectori Romanorum militaria clareſcant. Notandum ergo Veteranos, tum pedites, tum equites primis ipſis Reip. temporibus in Romanam militiam fuiſſe conſcriptos; nimirum cum adverſus Volſcos L. Æmilio Mamerco, & F. Cæſone Fabio Coſſ. præliaretur, ut his verbis Sigiſmundo Gelenio interprete tradit Dionyſius Halicarnaſſeus lib.8. *Primi omnium in eos* (Volſcos) *impetum fecerunt Romani Equites, pedibus ob loci naturam pugnantes, deinde Triarii denſatis cohortibus: Iſti autem ſunt* Veterani *ſpectatæ virtutis, quibus tempore pugnæ caſtrorum cuſtodiam credunt*. His, oneſta miſſione dimiſſis, coloniæ quæ ducebantur Agros cum cultura adſignabant. *Sueſſula*, inquit Frontinus in libell. *de Colon.* pag.8. *oppidum muro ducta: lege Sullana eſt deducta. Ager ejus* Veteranis *militibus Sullanis in jugeribus eſt aſſignatus; iter Populo non debetur*. Et *ibid.* pag.9. *Sora muro ducta, colonia deducta juſſu Cæſaris Auguſti: iter Populo debetur* p.xv. *Ager ejus limitibus Auguſteis, Veteranis* eſt aſſignatus. Inſuper nec ii, nec eorum liberi pœna metalli, vel operis publici afficiebantur, nec cædebantur fuſtibus, ſed ubi atrocitas criminis ita exegiſſet, relegabantur uti ex *leg.*1. & l.3. ff. *de privil. Veter.* Inviti, rurſus ad militiam adigi non poterant; quapropter Senatus, P. Sulpicium qui Veteranos, etſi honeſta miſſione dimiſſos, ad arma cogere auſus eſt, acriter reprehendit: id tamen in ſummo Reip. diſcrimine licebat: hinc Auguſtus, deprehenſa Antonii fraude, Veteranos, non in ſuum tantum, *ſed in Reip. auxilium* (narrat Svetonius) *quanta potuit largitione contraxit*. Errat quippe Lazius qui Veteranos in legione tantum *Alauda* (ſic a galearum inſignibus vocata) militaſſe aſſerit. Compertum enim eſt J. Cæſarem, priuſquam ad Legiones quas a Reip. acceperat, *Alaudam* privato ſumtu addidiſset, quaſdam alias ex Veteranis conſtantes effeciſse Legiones, quarum unam *Gemellam* appellavit. *Minervia* itidem prima, ſecunda *Italica*, quarta *Macedonica*, quarta pariter *Scythica*, quinta *Auguſta*, ſexta *Victrix* &c. Legiones fuerunt, in quibus Veteranos militaſſe certiſſimum eſt, uti abunde colligitur ex vetuſtis lapidibus apud Gruterum, alioſque. Sciendum denique Veteranos non eoſdem eſſe ac Veteres. Pædianus enim ad illud Ciceronis *in Verr. tres hi homines* Veteres Tribunos militum deſignatos ait, τὸ Veteres, *graves, & Severi* interpretatus eſt. Saxa revera non deſunt, in quibus Veterani a Veteribus aperte diſtinguuntur. Lazius lib.x. c.2.

C . VALENTI
HOSTILIANO
MESSIO QVINTO
NOBILISSIMO
CAES . PRINCIP
IVVENTVT
VALENT . VETERAN
Et VETERES

Gruterus p.

Q. HERENNIO
ETRVSCO
MESSIO . DECIO
NOBILISSIMO
CAES . PRINCIPI
IVVENTVTIS
VALENT . VETER:::
ET VETERES

Ita Philippus Paræus in *Lexic. crit.* Veteres ſumit pro *Senibus*, ſuamque probat ſententiam ſequentium inſcriptionum teſtimonio

ARCOBRICENSES IVVENES
ET VETERES STATVAM
IN FORO POSVERE

ARVNCITANI VETERES
ET . IVVENES
OPT . CIVI

At minus recte opinatur Auſonius Popma, ubi affirmat *Senes* vocari eos, qui etſi ætate pro-

provectos adhuc vivunt; *Veteres* vero, qui jam defuncti: in laudatis enim inscriptionibus *veteres* dicuntur tum Arcobricenses, tum Aruncitani, qui statuam posuerunt dum adhuc vitam agerent.

AIHICTVS. *Athictus*, ut in Muratoriana T. IVLI. ATHICTI &c. Inscriptionem istam, hoc ineunte anno 1776. ex ædibus Domini PETRI de valle egregii sculptoris, in Museum invexi.

161.

D M
IVL. C. F. FABIA. ROMA
SEIO. IVNIORI. VETERAN.:.:
AVG. MILITAVIT. IN CHORT.:.:
XI. VRB 7 VALERI. ANNIS. X.:.
MISSVS HONESTA MISSIO.:.:
V. IDVS. IANVARIAS. APPIO.:.
ANNIO. ATILIO. BRADVA
T. VIBIO. VARO. COS. VIXIT
ANNIS. XXXX. DIEBVS. XX
FECIT. IVL. PALESTRICE CO.:.:
IVGI. BENEMERENTI

Hæc Inscriptio illustrationem non desiderat; nam de rebus in ea laudatis, jam satis alibi egimus. Innuam tantummodo Braduam & Varum consules fuisse anno V.C. 913. Christi 160. Antonino Pio Imp. Notandum præterea Braduam (uti ex nostro lapide plane colligitur) cognominatum fuisse *Atilium*, quod omnes, præter Muratorium, ignorarunt fastorum consularium restitutores. Quod autem attinet ad T. Vibium, libenter audirem quo jure, quave ratione eruditissimus Almelovenius Consulem hunc VERVM, non VARVM cognominandum afferat, illosque reprehendat, qui VARVM legunt. Si enim pluris apud eum est testimonium Cassiodorii, atque Græcorum fastorum collectoris, qui *Verum* scribunt; singularis æque est apud me auctoritas fastorum Cuspinianæorum, Gruteri, Petavii, Muratorii, nostrique demum lapidis, qui *Varum*, aut *Barum* exhibent. Solus insuper (ideoque emendandus) Cassiodorus, Varum nostrum, bis (nulla tamen de anno, quo primo Consulatum gesserat mentione facta) hanc adeptum esse dignitatem affirmat. Cæteroquin Braduæ, & Vari consulatum in ann. Chr. 160. incidisse conveniunt eruditi.

HONESTA MISSIONE. Etsi de honesta Veteranorum missione verba fecerim *in Not. ad Inscrip.* 14. operæ tamen pretium arbitror insignem illam Petri Andreinii tabulam, honestæ Missionis formulas exhibentem, hic (præteritis vocum compendiis, quemadmodum eam edidit cl. Gorius) transcribere

Servius Galba Imperator Cæsar Augustus Pontifex Maximus Tribuniciæ Potestatis Consul designatus secundum.

Veteranis qui militaverunt in Legione Prima Adjutrice Honestam Missionem, & Civitatem dedit. quorum nomina subscripta sunt ipsis liberis posterisque eorum, & Connubium cum uxoribus, quas tunc habuissent, cum est Civitas iis data, aut si qui cælibes essent, cum iis, quas postea duxissent dumtaxat singuli singulas. ad (vel) *ante diem undecimum Calendas Januarias. Caio Bellico Natale. Bublio Cornelio Scipione Consulibus. Diomedi Artemonis filio Phrygio. Descriptum & recognitum ex Tabula ænea, quæ fixa est Romæ in Capitolio in Ara gentis Juliæ*

Tiberius Julius Pardala Sardianus
Caii Julii Charmi Sardiani
Tiberii Claudii Quirina Fidini Maoniani
Caii Julii Caii Filii Collina Libonis Sardiani
Tiberius Fontejus Cerialis Sardianus
Publii Graiti *Publii Filii Æmilia Provincialis Ipesius*
Marci Arii Rufi Sardiani

Eruditiſſimam hujuſce præclariſſimi monumenti elucidationem habes apud Gorium in *Inſcript. Florent.* Vol. I. p. 257. & *ſeq.* Interim notabo exempla honeſtas miſſiones comprehendentia, parietibus affigi ſolita, uti ex laudata Tabula liquido apparet.

162.



M . TROIANVS
M . F . MARCELLVS
LVC AVG . MIL
COH . X . PR . 7
SCIPIONIS
MEN . LIB VIX
AN . XXV . M . VIIII
MIL . AN . V . M . VII
FAC . C .
L . MAGIVS .
ADEIANVS . ET
C . IVLIVS
TIBERINVS .
AMICI.∴

LVC AVG. *Luco Auguſti*; urbs Cæpororum eſt Ptolemæo. *Turris Auguſti* Pomponio Melæ, in tractu Hiſpaniæ Tarraconenſis. Manutio vero *in Addit.* ad Calepinum *urbs Gallecia*, vulgo *Lugo*. Lucus alter Auguſti apud Plinium qui lib. III. cap. 4. hæc habet: *Vocontiorum civitatis fœderatæ duo capita, Vaſio, & Lucus Auguſtus*. Alterum denique extitiſſe Auguſti Lucum in Germania Superiori conſtat ex ſequenti Gruteriana inſcriptione, quam in Campo Martio, in ædibus Helenæ Urſinæ matronæ Romanæ, vidit Morillonius

T . NIGRIO
SIMILI . T . FIL
BOCO . EX . GER
MANIA . SVPERI
ORE . LVCO . AV
GVSTI . NIGRIVS
MODESTVS . FRA
TRI . OPTIMO
ET . PIISSIMO . CI
NERARIVM
FECIT

MEN . LIB. Omnibus conſultis antiquarum notarum interpretibus, ſiglas iſtas mendoſas judico. Sententiis etenim quorumdam eruditiſſimorum virorum acquieſcere nequeo. Horum igitur alter legendum eſſe cenſebat MEN . TRIB. *Menenia tribu*. At primo militum tribus poſt Centurionis nomen ſignatæ nul-

nullibi reperitur: ſecundo notum eſt Grammaticis Romanos quoties agebatur de Foris, de Theatris, de Domibus, de Montibus, de Pontibus, de Portis, ita de Tribubus ſcribere conſueviſſe *forum* Cæſaris, *theatrum* Marcelli, *domus* Scipionis, *mons* Quirinalis, *pons* Sublicius, *porta* Nævia, & *tribus* Menenia, Galeria, Fabia &c. non Cæſaris *forum*, Marcelli *theatrum* &c. neque Menenia *tribus*. Alter vero eaſdem ſiglas interpretabatur *Menſurarum Librator*, cujus officii meminit Frontinus *de Aquæduct.* Libratores quippe in Romanorum exercitibus, & claſſibus militaſſe non diffiteor: de his, quos funditores appellat in Jugurth. Salluſtius, hæc Tacitus Ann. lib. XIII. *libratoribus, funditoribuſque attributus locus, unde eminus glandes torquerent*. At libratores menſurarum in Romana militia quis unquam audivit?

163.

D . M
C . COMMAGIVS
SECVNDINVS
MIL . CHOR . X̄
PR . 7 . VETTI
MIL . ANN . III
VIX . ANN . XXII
HERES . OPTIMO
MVNICIPI . SVAM
VOLVPTATE POSVIT

CHOR. *Cohortis*: CHOR, pro COHOR, quod (tot aliis, quibus lapides iſti militares ſcatent, comparatum) leve eſt quadratarii mendum.

SVAM VOLVPTATE. *Sua voluntate*: ita apud Manutium, & Mazzochium p. 164.

D . M
EX VOLVNTATE M' ACILI
HILARIANI . ANTISTIA . PRIMA

ita apud Muratorium SI QVIS PRAETER VOLVNTATEM MEAM; quaſi dicat *præter diſpoſitionem meam teſtamentariam*. Teſtamentum enim ultimam teſtatoris continet voluntatem. Nimis libere ſcripſit Marcellinus lib. 28. *Ad voluntates condendas allicientes eos technis miris &c. Emolliiſſet ſaltem rem duriuſculam hoc modo*: (inquit Carolus de Aquino Miſcell. lib. III. cap. 10. *Ad ſupremas voluntates condendas*.

L. ATI-

164.

L : ATILIVS
F . ARN
:::SCVS
::ERCELLAS
MILES COH
VIII . PR
MILITAVIT : ANNOS XXI
VIXIT ANNOS . XLIIII
T.F.I H·S·E

::·SCVS. *Fuscus*, si placet.

::ERCELLAS. Superius, sexto casu *Vercellis*.

T. F. I. *Testamento fieri jussit*.

ARN. Ex tribu Arnense, sive Arniense, quæ sæpe, in *Narniensem* se transformaverat. Plinius *lib.* III. *cap.* 14. narrat quosdam extitisse populos, qui *Arnatas* (ab *Arna* Umbriæ oppido, uti vult Calepinus) nominabantur. Sigonius tamen lib. 1. *de ant. jure Civ. Rom.* Arniensem tribum nomen ab *Arno*, Etruriæ amne sumpsisse asserit. Ita ab amne Aniene, *Aniensis*. De Arniense, Livius *lib.* 29. C. *Claudius Nero censor, ex tribu Arniense*; & Cicero in Rullum, *a Suburana usque ad Arniensem*.

165.



M . FADIO
NOMANTINO
SPECVLATORI
MIL . COH . X . PR
7 PROCVLI
MIL . ANN . XVII
VIX . ANN . XXXVII
M . FADIVS . APELLES
PATRONO . B . M . FEC

SPECVLATORI. *Speculatores* in utraque militia navali, atque terrestri fuerunt. *Annibali jam terræ appropinquanti* (inquit Livius lib. 30.) *jussus e nautis ascendere in malum, ut* spe

specularetur quam tenerent regionem &c. A *speculando* igitur, hoc est *explorando* quæ ab hostibus fierent dicti sunt *speculatores*, & in saxo a Mazzochio p.145. edito corrupte, ut censeo, *speclatores*. Peculiare quoque nomen alterius muneris fuit in exercitu, militum videlicet, qui litteras, ac mandata Imperatoris secreto perferrent. Exempla præbet Svetonius in Calig. cap.44. *Quasi universa tradita insula* (Britannorum) *magnificas Romam misit litteras; monitis* speculatoribus, *ut vehiculo ad Forum usque, & Curiam pertenderent, nec nisi in æde Martis, ac frequente Senatu, Coss. traderent*: ita Tacitus Hist. lib.II. *Vix credibile memoratu est quantum superbiæ, socordiæque Vitellio adoleverit, postquam* speculatores, *Syria, Judæaque adactum in verba ejus Orientem, nuntiavere*. Speculatorem forte militem exhibet gemma hic ex *Thes. Med.* tab.64. N.III., apposita



Quidam opinantur hoc nomine appellatos etiam milites qui Principis corpus custodirent: verum ii *spiculatores a spiculo*, quod gestabant, dicebantur; non vero *speculatores*: Ita de Herode legimus: *misso Spiculatore præcepit amputari caput Joannis in carcere*. qua propter in Taciti Hist. lib.II. ubi legitur: *ipsum Othonem comitabantur* speculatorum *lecta corpora*, legendum autumo *spiculatorum*. Ex primis, idest speculatoribus, illos fuisse viros, quos Jericho misit Josve, patet ex ipso S. Scripturæ textu (Josv.II. 1.) *Misit igitur Josve filius Nun de Setim duos viros exploratores in abscondito, & dixit eis: ite, & considerate terram, urbemque Jericho*. De caligato quodam speculatore, qui Christi fidem amplexus est verba facit Tertullianus in libro *de Corona Mil.* ubi caligam militarem speculatorum, *speculatoriam* appellat. *Speculatoriam*, inquit, *morosissimam de pedibus absolvit*.

166.

D . M
CATTIVS
APRONIANVS
MIL . COH . XI

CATTIVS. Gruterus scripsit C. ATTIVS. Verum de Atia gente intellexisse virum doctum, minime credendum. Nam istius familiæ (quæ Reipublicæ temporibus floruit) perillustre nomen, uno dumtaxat T scribebatur, idest *Atius*, *Atia* &c. ab Aty, Æneæ socio, quod Virgilius, ut Augusto, ex Atia Julia orto subpalparet, asseruit Æn. lib.v.

Alter Ays, genus unde Atyi duxere Latini

Attiam vero extitiſſe gentem non diffiteor; nonnullæ enim habentur inſcriptiones, in quibus Attii nomen, duplici inſcriptum elemento T interdum novimus. Ita in ſaxo vetuſtiſſimo Aquiſextienſi, a Gabr. Symeonio relato in Epitaph. illuſtr. p.24. legimus SEX. ATTIO ATTICO, SEX. ATTIO FESTO, L. ATTIVS SECVNDVS. & apud cl. Paſſionejum *Iſcr. ant. p.98.*

C. ATTIVS. IANVARIVS
C. ATTIVS. PRISCO. PATRONO. B. M. F

Verum in noſtro perſpicue CATTIVS abſque elementorum diviſione, & interpunctione. Ejuſdem nominis exempla crebro præbent antiqui lapides: ita L. CATTIVS VELOX apud Gorium, CATTIVS SECVNDIANVS, L. M. CATTIVS apud Reineſium, CATTIVS ALCIMVS FELICIANVS, & CATTIVS SECVNDVS inter Maffejanos, CATTIA BVBATE, & CATTIA CHARIS inter Gudianos. Minuta nimis, aliquis hæc reputabit, atque ut inſipida delenda eſſe pronunciabit. Non ita tamen judicabunt æquiores rerum æſtimatores, qui, ut verbis utar doctiſſimi Vulpii, venerabilis antiquitatis vel fimbrias ipſas, apiceſque apud doctos viros, merito magnifieri, noverunt; potiſſimum in veterum nominum orthographia, originibusque detegendis.

167.

D. M
L. DOMITIO
CRESCENTI
STAT. AVG 7
VERI. M. SEN sic
PRONIVS
GRATINVS ET
T. FLAV. EPAGATHVS

STAT. AVG. Stator Auguſti. Auguſti Statores, ad eos eſſe revocandos, opinatur Odericus, qui magiſtratibus præſto erant. Apud eumdem

D. M
L. ACCI. TERTVLLI S.....
STATORIS. AVG..... ATTI
VIXIT. ANN. X..... M. VIIII
MIL. AN. IX..... ITEM
L. ACCI TERTVLLI
ACCIA. LVCR.... MATER. FIL. PIEN
FECIT L. MVNATIVS

......LARVS. STATOR. AVG
HER. FIDVC. F. C

De *Statoribus* ſup. diximus.

7. *Centuriæ* (hic), non *Centurionis* ſignum autumo. Statorum centurias exhibet Fabrettianus lapis, quem citavit Odericus.

EPAGATHVS. Forte a vocabulo *Epagon*, ſcilicet trochlea, qua funes ductarii, & cætera navium ornamenta, & onera explicantur.

M.TA.

168.

M . TADIVS . M F
LEM . TERTIVS
DOMO . BONONIAE
VOCATVS . VIX ANNL
H . S . E
M . TADIVS . M . L . ALBANVS
VIX ANN XXXXV

LEM . *Lemonia* tribus VII. Feſtus , *Lemonia tribus* inquit , *a pago Lemonio appellata eſt, qui eſt a porta Capena via Latina* . Cicero pro Plancio : *quid Plancio cum Lemonia* ?

DOMO BONONIAE . Vitioſam hanc ablativi cum genitivo copulationem , ſcriptoris mendum eſſe reor . Urbs Æmiliæ ampla plenaque populo , Romanorum colonia , antiquitus *Felſina* appellata eſt , a *Boiis* vero *Bojonia* , poſtea *Bononia* , ad Apennini radices ſita , tota Orienti expoſita , *cælo non admodum ſalubri* (inquit Franciſcus Schottus Antuerpienſis , ſed immerito) loco fertili , & uberrimo , potens nobilitate , ædibus magnifica , picturis celeberrima , frequens porticibus . Gymnaſium habet antiquum (ejuſdem Schotti verba p.303.) quod excitatum hortante S. Petronio , a Theodoſio Imperat. anno Chr. 423. Imperatores cæteri auxere , Romani Pontifices munificentiſſimi exornarunt .

VOCATVS . *Vocatos* nemo nominat : *Vocatores* vero Plinius lib. 35. Seneca de Ira. III. Svetonius in Calig. erantque ſervi in Auguſtorum , illuſtriumque virorum miniſterio , quorum munus convivas *advocare* . At hoc munus in Romana militia non novimus . idcirco legendum EVOCATVS .

ALBANVS . Male Cominius in Faſcic. Rom. Inſcript. p.121. ALABANVS: male etiam ANN . XXV . nam in autographo XXXXV.

ANNL . Vixit annos quinquaginta . H . S . E . hic ſitus eſt .

169.

T . VETTIVS . T.
F . STE . SENECA
CORTONA MIL .
COH . X̄V . Ɔ . TITIA
CI . MILITAVIT
. . . .

STE . *Stellatina* XXII. *tribus* , cujus origo colligitur ex Feſti fragmento , optime a Panvinio ſic reſtituto . *Stellatina tribus dicta non eſt a campo eo , qui in Campania eſt* , (quod de ſummo pectore aſſerunt ſine ulla hæſitatione Cluverius , Blondus , Volaterranus , & Pancirolus) *ſed eo qui in Etruria , regione Capena , ex quo Thuſci profecti , eum* Stella-

Stellatem *campum appellaverunt*. Inter Tuſcos extitiſſe populos *Stellates* docet Cato in lib. Orig. *Umbro in monte Sena colonia*, *Phocenſes*, *Piſtorium*, *Umbro amnis*, *Stellates*. Vicus *ſtellatinus* nominatur a Fabio Pictore *de aur. ſec.* lib. 2. Adi etiam amiciſſimum meum F. M. Pratillum *in via Appiæ deſcript. lib.* II. *cap.* XI. Falſo pariter a Cluverio aſſeritur, pleroſque *Stellatinam* tribum *Sabatinam* vocaſſe, falſoque Feſti teſtimonium profert; nam ex Feſti fragmento *Sabatina .... a lacu Sabate dicta*, colligi nequit an auctor de Tribu potius, quam e. g. de oppido ſit locutus.

CORTONA. Præclariſſima antiquæ Etruriæ urbs, Incolæ CORTONENSES dicti.


170.

::ALERIVS SECVN
MILES . LEGIONIS
OCTAVE [sic] AVG.
7 AEMILI . FRONTONI.
MILITAVIT . ANN . XVIIII
VIX . ANN . XXX
CVRA EGIT
HERES SVPSTITVTVS
MAGIVS SABINVS
7 VETVRI . LEGIONIS
EIVSDEM AMICO . SVO
MERENTI

Valerius Secundus miles legionis octavæ Auguſtæ. Legionum nomina deſumebantur vel a Diis, Deabuſque tutelaribus, ut *Apollinaris*, & *Minervia*, vel ab Imperatoribus ſub quibus militabant; ſic Legio *Auguſta*, *Claudiana*, *Galbiana*, *Antoniniana*, vel a ſubactis Provinciis, ita *Parthica*, *Gallica*, *Macedonica*; vel demum ab alio eventu, qui victoriam comitabatur, ut *Ferrata*, *Fulminatrix*, *Victrix*. Dionis ætate, 32. erant Legiones, illis etiam enumeratis, quæ ab Auguſtis interdum additæ fuerant. Earum igitur octava (non vero ſecunda, uti ſcribit Bulengerus de I. R. lib. 11I.) quæ ſtativa habuit in Rhætiis, *Auguſta* vocabatur, ab Octaviano Auguſto, ſicut quidam opinantur, aut ab Antonino, quod alii malunt. Vide Reineſium cl. I. 47. in Notis p. 92.

Legionis, ac præſertim Legionum Auguſtarum ſignum, fuiſſe Capricornum teſtantur patera quædam Philippi Bonarotæ *ad Numiſm. Carpin.* nummus Gallieni apud Vaillantium *de præſt. Numiſm.* tom. 2. lapides Gordoniani *iter Septentr.* gemma demum Capponiana, cujus ectipon, ex Borionii *tab.* 72. depromptum, lectoribus exhibeo.

PRO-



FRONTONI. *Frontonis*. Elisionem literæ S. quæ nudus propemodum est sibilus, communem Græcis, & Latinis, atque ætate nostra Gallis, scitè asserit Gorius *Inscrip.* T. I. quod de Hispanis sane dici nequit.

VIX. ANN. XXX. Nisi error adsit in annorum enumeratione dicendum est, immò notandum, Valerium hunc nostrum Militiæ operam dedisse undecim tantum annos natum. De errore in annorum numeris meritò dubitamus tum ob ætatis tenuitatem, tum quia compertum est, testibus lege Sempronii Gracchi, & Plutarco, ante septimum decimum ætatis annum, non nisi summa necessitate cogente, ad arma vocari solitos: qua propter emendari marmor in annorum, aut ætatis, aut militiæ, enumeratione debet.

CVRA EGIT. *Curante*, ut superius.

SVBSTITVTVS. *Substitutus*. Substitutio est quæ post institutionem a testatore fieri solet, idest secundi hæredis appellatio; estque duplex; vulgaris tamen illa, *Hæres mihi esto* (sive hoc filio, sive extraneo dicatur) *quod si hæreditatem meam adire nolueris, illum substituo, ad quem hæreditas mea debeat pertinere*. Hæc Cajus *tib. Instit.* 2. *ap.* Jo. Kall., qui in *Lexic. Jurid.* de substitutionum discrimine differit ad satietatem usque.

HERES. Amota ab hoc vocabulo *diphtongo* placuit Manutio in Ortograph. ubi scribit *heres*, *heredes*, *hereditas*.

MERENTI. Pro *benemerenti*, ut communiter in titulis sepulcralibus.

171.

D  M

M . STATI . M . F . QVIR
ADIVTORIS . PEDONE
MIL COH . X . PR . 7.
VINDICIS MIL . ANN
V . VIX . ANN . XXV
FECIT . A . SE . M.
STATTIVS . SECVNDVS
FRATER . ET
COMMANIPVLAR

QVIR. *Quirina*, tribus XXXV., ceteris addita eo anno quo Velina. A Curensibus Sabinis videtur appellationem duxisse. Eam nominat Tullius in *Epist. fam.* lib. VIII. Memorant quoque Asconius *in Cornelian.*, & Josephus in Antiq. Jud. lib. XIV. Attamen eruditissimus Jacobus Durandus (qui hanc inscriptionem edidit *in Opusc.* cui titulus „ delle antiche Città di Pedona &c. p.44.) „ illud QVIR. interpretatus est *quinque vir*: sed (tanti amici pace dicam) minus recte. Huic enim hoc pacto conciso vocabulo tunc lineola immineret sic, QVIR. Insuper, nemo hactenus, quod sciam, aliud per hanc siglam intellexit, quam QVIRINA, vel QVIRITES. Argumentum, utique attendendum, propter quod communis hujusmodi siglæ interpretatio a laudato viro refellitur illud est, quod si τὸ QVIR. tribum indicaret, tunc post ejusdem tribus notam, M. Statii cognomen reperiretur. Verum, quamvis *Adjutor* vox sit militaris officii, de quo alibi egimus, cognomen tamen fuisse M. Statii pro certo habeo; ita, licet *Secundus* modo numeri, modo dignitatis ordinem denotet, hic certe cognomen est M. Statii Fratris. Cognominum autem ex muneribus, & officiis tum militaribus, tum civilibus desumptorum, exempla quamplurima præbent antiqui lapides, quos Reinesius, Ursatus, Donius, Maffejus, Gudius, Muratorius, aliique vulgarunt, apud quos

M. *Luxius* cognominatur	CERDO
Sex. Pescenius	PIRATA.
T. *Peticius*	CHIRVRGVS.
Magnus	CRYPTARIVS.
M. *Babbius*	SODALIS.
M. *Valerius*	PASTOR.
T. *Terentius*	LAPIDARIVS
Q. M. *Antonius*	MERCATOR.
Licinius	SACERDOS.
M. *Claudius*	CONSVL.
C. *Hostius*	PRINCEPS.
Marcius	PHILOLOGVS.
Ti. *Claudius*	CENSOR.
Valerius	SCHOLASTICVS
Aufidius	MILITARIS.
C. *Iulius*	CLASSICVS.
Vibulejus	HYPATVS.
T. *Claudius*	LANARIVS.
Atilius	LVPERCVS.
T. *Helvius*	CELER.
C. *Valerius*	TRIARIVS.
C. *Salvius*	BVBVLCVS.
N. *Appius*	CENTVRIO.

Ælius

Ælius	EMERITVS.
C. *Pontius*	PILATVS.

immo inter Donianas XIV. 32.

M. *Mattius*	ADIVTOR.

& apud Reinesium X. 218.

C. *Hostilius*	LEGATVS.
L. *Furius*	ADIVTOR.

Quemadmodum igitur inter nostræ ætatis Italicarum familiarum nomina quædam gentilitia a militaribus officiis exorsa recensemus; ut *Capitani*, *Soldati*, *Alfieri*, *Caporali*, *Maggiori*, *Corazza*, *Tamburini &c.* ita nonnulla ejusdem etimologiæ cognomina apud antiquos reperimus; ut *Celer*, *Triarius*, *Centurio*, *Emeritus*, *Pilatus*, *Classicus*, *Militaris*, *Adjutor*.

PEDONE. *Pedonia* pagus est Lybiæ, quem Ptolemæus collocat inter Catabathmum, & Prigæum. *Pedonia*, quam *Sidonia* vocat Strabo, est Ægiptii maris insula. *Pedum* denique oppidum olim fuit agri Prænestini, uti docet clar. Leonardus Cecconius *St. di Palestrina* pag. 10. *Not.* 66. Ab Stephani Epitomario Πεδα civesque Πεδανοι dicuntur. Sed & alia, de qua forte Capitolinus hic lapis, extra portam Pincianam effossus) in superioris Pedemontii regione extitit *Pedonia* seu *Pedona*, 4. M. P. a Cuneo distans. Hanc nominat Cassiodorus Var. lib. 1. in epist. ad Theodoriolum: *locum te jubemus quondam Benedicti in Pedonensi civitate, ex nostra auctoritate suscipere, ut omnia vigilanti ordinatione procurans, nostræ gratiæ merearis augmenta.* Hodiernum vero hujus oppidi nomen *Borgo S. Dalmazio*, uti colligitur ex codice an. 1260. in quo hæc habentur. *Item ea omnia, quæ pertinent ad dominum Abbatem S. Dalmacii in Burgo Pedonæ, ubi nunc dicitur Burgus S. Dalmacii, dictæ Abatiæ, et dompno Abati volumus omnino esse salva.* At de his omnibus adi prælaudatum Durandum, qui cum totus sit (legalibus licet indefessè distentus curis) in veteri elucidanda Pedemontii aliarumque provinciarum geographia æquipar sui tantæ utilitatis honestique laboris præmium consequetur.

VINDICIS. Nomen in Romana historia admodum celebre. Julium Vindicem, qui adversus Neronem conspiravit, inter Romani imperii assertores enumerat Juvenal. *Sat.* VIII.

> ———— *quid enim Virginius armis*
> *Debuit ulcisci magis, aut cum vindice, Galba?*

A SE. Idest *sua pecunia*, vel *suo sumptu*. Formulam sane istam A SE nullibi vidimus. In aliis lapidibus legitur D. S. h. e. DE SVO. Ita in inscriptione nuperrime in agro Firmano reperta (cujus exemplar misit cl. vir comes Alexander Spada Interamnas) habetur

C. MARIO
SEDATO
OPTANS. COLLEG
D. S

COMMANIPVLAR. Vide notam ad inscriptionem 151.

172.

Q. ACONIVS
:.·F PVB
MESSOR
LAVDE
MIL COH XI PR
⟝ C. CALPVRNI
TACITI
STIPEND . XIIX
VIX . A . XL
TEST . FIERI
IVSSIT
H.S.E

:.·F. Patris Q. Aconii Messoris ex Publilia tribu nomen desideratur

LAVDE. *Ligurum* urbs, quæ a magno Pompejo, *Pompeja* denominatur: hanc in Italiæ Regione XI. collocat Plinius, eamque a Bojis ædificatam tradit *lib.*III. *cap.*17. hodie *Lodi*, perperam a Carolo Patino in *Numism. Impp.* p.15. in Umbria sitam. *Laus Julia* dicta est etiam *Corynthus*, in honorem D. Julii Imp.

STIPEND. XIIX. *stipendia* 18., videlicet annos militavit 18. *Stipendia*, pro *annis*, sumpsit etiam D. Ambrosius *lib. de Vid.* ubi elegantissime scripsit. *Confectis miles stipendiis arma deponit, & relicto officio quod gerebat ad propria veteranus rura dimittitur, ut & ipse exercitæ laboribus vitæ requiem consequatur; & alios spes futuræ quietis subeundis faciat operibus promptiores.*

C. CALPVRNI TACITI. Hunc, si quis ad C. Cornelii Taciti familiam pertinuisse asseruerit, forte non aberraret; nam tametsi inter historici, nostrique centurionis nomina haud parum differat, notum tamen est Tacitum quoque Imperatorem, quamvis prænomine *Marcum*, nomine *Claudium*, laudatum Historicum, teste Vopisco, *parentem suum* dixisse. Adi Franciscum Angelonium *Istoria di Terni* P.1. p.42. & seq. Interim audiatur Lipsius: *Cornelius Tacitus* (inquit in vit. ejusd.) *cui vulgo Publius prænomen faciunt, non illa patricia Cornelia gente, sed alia minus illustri natus est*. Ad Tacitum Augustum quod attinet, probari posset non a præclarissimo Claudiorum genere (licet Claudii nomine insignitum) originem duxisse. Cum ergo nec historicus, a *Cornelia*, neque Imperator a *Claudia* orti sint; liquet *Taciti* nomen fuisse familiæ, non vero cognomen; quod pariter affirmo de centurione, quem non ex *Calpurnia*, quamvis *Calpurnius* dicatur, sed ex *Tacita* natum mihi credere fas erit, donec mea validis argumentis conjectura refellatur.

L. SA-

173.

L. SATRIVS. L. F. POL
TIRO
LEPIDO. REGIO
MILES COH. VI. PR
MILITAVIT. ANNOS. X
VIXIT. ANNOS. XXX
H. S. E

L. SATRIVS. C. F. POL
CLEMENS
LEPIDO REGIO
MILES. COH. VI. PR
MILITAVIT ANNOS. V
VIXIT. ANNOS. XXV
H. S. E

Inſcriptiones in uno eodemque lapide, eadem prænomina, & nomina, patria, ideoque tribus, nempe *Pollia*, aperte declarant Satrios iſtos fuiſſe conſanguineos; *Tironem* ſcilicet *Lucii* filium, *Clementem* vero *Caij*.

TIRO. cum I. Satrii cognomen indicat; ſi enim *novum militem* enunciaret, tunc cum Y inſcriberetur, uti advertit Manutius in Orthograph.

LEPIDO REGIO. qui ſcribunt *Rhegium* cum h, vel *Rhegyum* cum h, & y, ita qui ſcribunt *Regium Lepidum* pro *Lepidum Regium*, erroris, horum marmorum emendatiſſimorum teſtimonio convincuntur. Urbs a Lepido, ex Triumviris uno, inſtaurata, quam nominant Livius, Cicero, Tacitus, Plinius, Strabo, aliique, inter Mutinam, & Parmam extat. Notum eſt, per cognomen urbibus inditum denotari plures ejuſdem appellationis exſtare urbes; quod liquet præſertim in illis, quibus erat nomen Alba: hinc Alba Longa, Alba Pompeja, Alba Julia, Alba Regalis, Alba Mala, Alba Heluorum, Alba Termenſis; ſic Lepidum Regium a Rhegio Julio, Calabriæ Ulterioris urbs, metropoli diverſam.

174



M. TITIVS
C.F.POM
VERECVNDVS
DOMO ARRETIO
MILIT.IN.COH.
VII PR.ANN.XX
>.IVLLI.VIX
ANN.XXXXV
TESTAMENTO
SIBI.PONI.IVSSIT

Inter antiquiores Etruriæ urbes Arretium merito recensetur, historicorum omnium nec non geographorum testimoniis; Quod vero ad etimologiam attinet, discrepant auctores. Nam ab agri *ariditate* eam desumit Franc. Berlinghierius *Geogr.* lib.3.

„ Verso Arezio città quel si diffonde
„ Dalla aridità detta, quando Alcide
„ Fu coronato dell' Ispane fronde

Ab *Aris*, quarum multas ibi exstructas tradunt historici; unde Gorellus in Chronicis

„ Il nome vero mio fu sempre Arizio
„ Per le molte Are, ch' eran nel mio
„ centro
„ Dove agli Dei si facea sagrifizio

Verumtamen etimologiæ istæ ortæ sunt ex eo, quod nonnulli per errorem scribunt ARETIVM cum simplici R pro ARRETIVM, uti constanter efferunt tum Mss. Latini codices, tum numismata, & lapides. Vide quæ de hac re vulgavit cl.Gorius *in Inscript. Etr.* Tom.II. p. 302.

Ab *Auro* denique Sanctus Petrus Damianus *in serm.* S. Donati Ep. *Non jam Arretium* (inquit) *ex more dicaris, quod ab ariditate terræ tibi constat nomen impositum; sed tu* Auretium *potius, a pretiosissimo scilicet sacri cadaveris* auro &c. Vasa Arretina fictilia laudarunt Plinius lib. 35. & Martialis lib.14. Epigr. 96.

Arretina nimis ne spernas vasa monemus;
Lautus erat Tuscis Porsena fictilibus

Vide Epistolam cl. Francisci Redii ad A. F. Gorium, inter inscriptiones antiquas Arretii ab eodem Gorio editas.

IVLLI. Aut TVLLI, aut IVLII.

D M

175.

D M
M . ANTONIO
STATIO
CENTVRIONI
CLASS . PR . MISEN
QVI . VIX . ANN . L
ANTONIA STATIA
PATRI
PIENTISSIMO
FECIT

CLASS. PR. MISEN. Claſſis Prætoriæ Miſenatis. *Ex militaribus copiis* (inquit Svetonius) *Legiones, & auxilia Provinciarum diſtribuit: claſſem Miſeni, & alteram Ravennæ Auguſtus collocavit;* ne longius a tutela Urbis abſcederent, & cum ratio poſtulaſſet, ſine mora, ſine circuitu ad omnes Mundi partes pervenirent, uti tradit Vegetius. Iſtud autem Campaniæ promontorium nomen accepiſſe a quodam *Miſeno* Æneæ buccinatore nemo neſcit; hæc enim Vates lib. VI.

At pius Æneas ingenti mole ſepulcrum
Impoſuit, ſuaque arma viro rerumque tubamque
Monte ſub aerio, qui nunc Miſenus ab illo
Dicitur.

Hinc Georgii Fabricii ad Leonardum Badehornum in Itin. Rom.
Mox ſocii Æneæ dictum de nomine montem
Ventoſa Triton qua perſonat æquora concha
Miſenum afferimur: ſtatio prope navibus olim
Romanis fuerat, dum res Auguſtus haberet.

STATIO, Statia gens, a qua cognomen habuit centurio iſte, ſatis Statii Cæcilii comœdiis, carminibuſque Pub. Statii Papinii omnibus nota eſt eruditis: hæc identidem celebratur a rerum Romanarum ſcriptoribus.

CENTVRIO. Quid *Centuria*, qui *Centuriones* breviter diximus ſuperius *in not.* ad inſcript. 141. Porro militare hoc officium maximopere illuſtrarunt tum Centurio ille Capharnæus, cujus non fiduciam tantummodo, ſed fidem mirificavit Jeſus, uti narrat Matthæus VIII. 10. Tum Cornelius Cæſarienſis Italicæ cohortis centurio, cujus orationes, & eleemoſynas, Angelo teſtante, aſcendiſſe *in memoriam in conſpectu Dei*, legimus in Act. Apoſt. X. 4.

176.

C . PONTI . C . F . SCA . RVFI
TR . MIL . Q . AED . PL
GALERIAE . L . F . VXORIS
ARBITRATV . CNISMI . L

C. *Pontii*. C. F. *Scaptia*. *Rufi*. *Tribuni*. *Militis*. *Quæſtoris*. *Ædilis*. *Plebis*. Sic interpretor, ſed primo caſu legendum, nempe C. *Pontius* C. F. *ex tribu Scaptia Rufus &c.* inter Gruterianas p. 188.

POST.

POST . MIMESIVS . C . F
SARDVS . TR . MIL
Q. AED . PL . PR
LEGATVS . TI . CAESARIS
AVG . PROCOS . PRAEF
FRVMENTI . DANDI
EX . S . C

De Pontia gente vide Tom. I. in not. ad inscript. 122. ubi de tribu quoque, in qua gens ista conscripta fuit, quædam adnotavimus.

CNISMI . L . Nomen omnino barbarum, mihique novum.

177.

TI . IVLIVS . TI:::
CLA . INGENVVS
VIRVNO MIL
COH . XII . VRB 7
NAEVI . SING
TRIB MIL ANN:::
VI VIXIT ANN XXIV
POS . SECVNDINI
VS . MAXIMVS . H. F. C

CLA . Ex tribu Claudia, quam memorat lapis sub num. 154.

VIRVNO . Colonia Claudia Virunum patria T. Julii Ingenui. De hoc Noricorum oppido meminit Plinius H. N. lib. III. cap. 24. meminit & Antoninus in via ab Aquileja Laureacum versus ad Istrum. Commentitiam vero hujusce oppidi etimologiam tradit Svidas, Lazio interprete, hoc pacto. *Virunium Norici gens est ubi sus, pœna a Deo missa, Regionem eorum devastabat; & in plano campo Norici omnes tentantes eam expellere, nihil profecerunt, donec* unus *quidam* Vir *porcum humeris sublatum detulit, ut de apro Calydonio fabulis proditum est. Et quoniam Norici ipsum Virum* unum *propria eorum voce dixerunt, civitas ita* Virunum *nominata est*. Hactenus Svidas; cujus verbis hæc subdit Lazius lib. XII. cap. 5. *Non tamquam Latinum, ab uno scilicet* Viro *occisore porci, sed porco potius occiso, quem* Bern *Germani nominamus, & occisore porci quem* Berenauber *vocamus, nomen hoc ortum sit oportet, tanquam diceres* die Berenaw. *Quam municipii vocem Romani postea, cum Noricum in fidem recepissent, in suam pronunciationem convertentes, tanquam Latinum esset*, Virunium *nuncuparunt*.

SING. *Singularis*. Miles scilicet *Cohortis duodecimæ urbanæ in centuria Nævii Equitis Singularis*. Singulares equites sæpissime occurrunt in antiquis lapidibus ad milites spectantibus. Salmasius, & Sponius singulares equites ab Augusto institutos, quique a sinistris Imperatoris pugnabant, confundunt cum Protectoribus, qui Principis corporis custodes erant, quique ætate nostra Italice „ Guardie del corpo „ vocantur, uti docet Gutherius de Off. D. A. lib. 2. Ab his diversos illos fuisse ostendit cl. Fabrettus, lapidum testimonio, auctoritateque Hygini fretus. Diversos item ab his, qui equo publico, idest donati equo publico ab Imperatoribus honoris caussa dicebantur, censeo adversus cl. Muratorium (in N. T. p. 233. 3.) qui forte marmor illud Arretinum ignoravit, in quo L. Petronius Taurus Volusianus & *Equo Publico* donatus dicitur, & *Augustorum*, h. e. Valeriani & Gallieni *Protector*, & *Præpositus Equitum Singularium*. Anno 1762. secus viam Labicanam supra pontem Turris Pignattariæ

tariæ ad duo M. P. nonnulla reperta sunt marmora ad equites Singulares pertinentia. Itaque *credibile est*, inquit Odericus in Syll. Vet. Inscript. p. 311. *ibi fuisse horum Equitum sepulcra*.

MIL. Militavit annos xxiv. Nam τὸ MIL ad annos militiæ Ti. Julii Ingenui referendum arbitror.

POS. Non *Posuit* ut passim; nam sequentes H. F. C. *heres fieri curavit* communem interpretationem adimunt. An prænomen Secundarii heredis? videant eruditi: siquidem T. Posium Celadum reperimus inter Muratorianas p. 1730. Neque obstat tunc *Posium* (nomen quippe T. Celadi) in nostro Julii Ingenui herede prænomen fieri.. Exempla enim haud desunt, quibus probetur idemmet nomen, in aliquibus inscriptionibus viri familiam enunciare, in aliis vero prænomen. Prælaudata exempla ex thesauro Muratoriano deprompta, accipe.

C. IVLIVS AQVILINVS	IVLIVS AEMILIVS ANICETVS
C. IVLIVS CALLIDROMVS	IVLIVS ARELIVS IVLICIANVS
M. FLAVIVS BARBARVS	FLAVIVS NVMERIVS AEMILIANVS
G. FLAVIVS VITALIS	FLAVIVS RESTITVTVS FLAVINVS
D. CALPVRNIVS COMICVS	CALPVRNIVS VEGETVS LIMICVS
C. RVFVS CHARITO	RVFVS CEIONIVS SABINVS
C. SALVIVS LIBERALIS	SALVIVS IVNIVS SILVINVS

Perspicuum in his est, Julii, Flavii, Calpurnii, Rufi, & Salvii nominibus modo genus, modo prænomina æque indicari; quod & alibi videre est.

178.

L·VOLCEIVS

Q.SEXTILIVS RVFVS.FLANONA
C.VALERIVS.VERANVS.TRIDENTE
SERVIANO III COS
TANNIVS CRISPINVS CVPRAMAR
TANTONIVS PRIMVS.PERINTHO

Si Grutero (qui tamen Romanorum lapidum in suo thesauro editorum autographos non oculariter vidit) fides omnino præstanda est; septem fere in hac Inscriptione superiores lineæ desiderantur; nimirum sequentes

GALLICANO ET VETERE COS
VII. ID. IAN. COH. I. PR. 7
SATRI. GENIO. 7. MISSI
HONESTA MISSIONE VII
HIBERO COS
EL. L. CENSORIVS IVSTVS VIRVNO
L. VOLCEIVS SEVERVS SESTINO
Q. SEXTILIVS &c.

Notandum cum cl. de Vita, prioribus licet heic Consulibus jam signatis, mox posteriores nulla rerum aut temporum interjecta serie adjectos fuisse; quod eruditissimo viro absurdum merito videtur. Neque dicendum tres

tres forte in uno lapide ſculptas fuiſſe inſcriptiones ad inſtar elenchi, nomina continentis militum miſſorum honeſta miſſione, temporis ordine ſervato, quo mitterentur: tunc enim *Hiberus* ſecundo laterculo enunciatus, qui Conſulatum geſſit cum Junio Silano Siſenna A. C. 133. *Gallicanum*, & *Veterem* primo loco poſitos, quique Conſules fuere A. C. 150. in ſaxo præceſſiſſet.

GALLICANO ET VETERE. Nempe *Romulo* GALLICANO, & *Antiſtio* VETERE. Caſſiodorus vero, & Faſti Græci pro *Gallicano* ſuggerunt *Glabrionem*: eorum Conſulatus incidit, ut dixi, in annum C. 150. Imperatore Antonino.

SERVIANO III. Male Petavius II. C. *Julius Servilius Urſus* SERVIANVS III, & C. *Vibius Juventius* VARVS (Cuſpiniani liber modo habet VARRO, modo VERVS) Conſulatum inierunt ann. C. 134. Circa Serviani prænomen, & nomen diſcrepant Faſtorum reſtitutores. Petavius enim hunc SEVERIANVM appellat; Caſſiodorus, SERGIANVM; Leunclavius SERVILIVM SERVIANVM.

GENIO. 7. Genio centuriæ, cui tamquam Numini tutelari ſeptem iſti milites, obtenta miſſione, marmoream hanc Aram, olim in ædibus Card. Carpenſis extantem, dedicarunt. De *Miſſione honeſta* vide quæ diximus ad Num. 14. in Not. p. 33.

VIRVNO. *Noricorum oppido*, de quo Plinius lib. III. cap. 24. & ſup.

SESTINO, Seſtinum celeberrimum olim Umbriæ municipium ad Iſaurum, ſeu Piſaurum amnem, vulgo *Foglia*. Populos *Seſtinates* vocat Plinius *lib.* III. *cap.* 14. municipii, & reipublicæ appellationem quondam prætuliſſe tradit Gorius *Inſcript.* vol. II. p. 350.

FLANONA. Sive *Flamnona*, Ptolemæo vero *Flavona*: Urbs vetuſtiſſima Illyrici ad mare Adriaticum. Hodie *Flanona*, ut apud antiquos. Hinc Flamonienſes Vanienſes, Flanates, & Flanaticus ſinus, vulgo *Golfo di Carnero*, ſeu *Canario*.

TRIDENTE. Non Rhætiæ uti ſcribit Calepinus, ſed quondam Cenomanorum, nunc vero Tyrolenſis comitatus urbs ad Atheſim inſignis, potiſſimum ob ibi habitum generale Concilium.

CVPRAMAR. Ptolemæus binas recenſet eodem nomine urbes; ſcilicet CVPRA *montana*, & CVPRA *maritima*. Hanc Leander extitiſſe aſſerit non procul ab oppido *Borgo di Grotte*: Ortelius ad *S. Benedictum* inter fluvios *il Tronto*, & *la Fiomba*. De *Montana* vero ſcite, diſerteque ſcripſit omnium virtutum vir Maurus Sartius abbas Camald. eamque (a quibuſdam ad *Ripam Tranſonis* ſitam) agro Æſino reſtituit, ubi vulgo *il Maſſaccio*: ibi revera inventa eſt inſignis illa Tabula, quam pueri, puellæque alimentariæ *Cuprenſes montanæ* Antonino Pio dicarunt. Sententiæ huic adverſatus eſt monachus alter ſub Arcadico Eliſii Tagiſtis nomine perſonatus; at fruſtra, atque infeliciter, uti egregie probavit Franciſcus Mancia Maſſatienſis in quadam epiſtola Faventiæ edita anno 1768.

PERINTHO. Alias *Heraclea*, Thraciæ urbs, juxta Ptolemæum: ab Hercule *Mygdonia* denominata fuit. Itinerarium Antonini eam collocat via, quæ a Dyrachio Bizantium ducit, inter Tivallum, & Cænophrurion.

TI.

179.

TI . FVLVI . T . L . SALVI . MVNER . PVNC . III

MVNER. Munerarius, qui Gladiatoria ſpectacula parabat, quæ etiam *Munera* dicebantur. Cl. de Vita in *Ant. Benev.* diſſ. VIII. ad hæc Quintiliani verba *Meſſalla primus* Reatum, Munerarium *Auguſtus primus dixerunt*, ita ſcribit. *Si a munere* Munerarium *primus Auguſtus uſurpavit, jam conſtat Gladiatoria ſpectacula diu antea* Munera *fuiſſe vocata*. Iſtius vocis originem diſerte explicavit Tertullianus *de Spectac.* c. 17. *Munus*, inquit, *dictum eſt ab officio, quoniam officium etiam muneris nomen eſt: officium autem mortuis hoc ſpectaculo facere ſe veteres arbitrabantur, poſtquam illum humaniore atrocitate temperaverunt; nam olim, quoniam animæ defunctorum humano ſanguine propitiari creditum erat, captivos, vel malo ingenio ſervos mercati in exequiis immolabant; poſtea placuit impietatem, voluptate adumbrare: Itaque quos paraverant armis, quibus tunc, & qualibet poterant eruditos, tantum, ut occidi diſcerent, mox edicto die inferiarum apud tumulos erogabant; ita mortem homicidio conſolabantur: Hæc muneris origo*. Gladiatorum Munerarii meminit inſcriptio ap. Gruterum p. 33. in qua CONSTANTIVS . MVNERARIVS . GLADIATORIBVS . SVIS . PROPTER . FAVOREM . MVNERIS . MVNVS . SEPVLCHRVM . DEDIT. A laudato de Vita nominatur C . CONCORDIVS ... MVNERARIVS . BIDVI . POETA . LATINVS . CORONATVS . IN . MVNERA . PATRIAE . SVAE. Verum cum hic dicatur & Munerarius, & Poeta, a gladiatorum Munerariis diſtinguere Concordium iſtum debemus.

PVNC . III. Error Lapicidæ: legendum enim puto PVGN. hoc eſt PVGNAVIT ter, vel tertio, vel PVGNARVM . III. ut in Inſcriptione Conſtantii Munerarii paulo ſuperius relata, ubi legitur.

DECORATVS . SECVTOR . PVGNAR . VIIII.

& in Muſeo Veronenſi

D . M
GENERO
SO . RETIAR
O . INVICTO
PVGNARVM
XXVII . N̄ . ALE
XANDRIN . QVI
PVGNAVIT . V R

eo enim pacto, quo Milites militiæ annos, ita Gladiatores Pugnarum numerum in titulis ſepulcralibus poni curarunt.

180.

D . M
L . VALERIO
IVSTO . MIL
COH . II . PR
HEREDES
B . M

181.

D . M
C . VOLVSIVS
SATVRNINVS F:::
MILES COH . VI . PR.
7 . SAECVLARIS
C . HERENNIO
PVDENTI . AMICO
VIXIT AN XXIIII
MIL . ANNIS . III

F::: Ex tribu FABIA, aut potius elementum Patriam C. Volusii indicans.

PVDENTI. Pudentis cognomen celebre est in ep.II. D.Paulli ad Timotheum IV. 21. & in Fastis ecclesiasticis, in quibus mentio est S. Pudentis Senatoris, sanctarumque Praxedis, & Pudentianæ patris; cujus domum, in Esquiliis sitam primum fuisse Romæ B. Petri hospitium, firmissima est majorum nostrorum traditio.

182.

P . AEMILIVS MASCVLVS
MILITAVIT . IN . COH . V . PR
A . TIMINIVS . DAPHNVS
AMICO B . M
FEC IT
ET SIBI

Foramen heic vides ad excipiendos liquores, quibus defunctorum ossa funebri ritu aspergebantur.

183.

D . M
AVRELIVS . THRSA:::
CHOR . V . PRAE
. FECIT .
VIBIE . MAXIMINE
. BENE .
. MERENTI .

Ortographiæ, interpunctionis, verborumque partitionis deformitas, cognomen THRSA::: erroneum esse demonstrat: at id nihil refert.

184.

D . M
::.·.METINIVS APER:.·.
MIL . COH . I. PR . 7 EREN:::
:::TIS . VIX . ANN . XXX . MIL::::
ANN . XII . FVFICIVS . FELIX
EQ. COH. I. PR . 7. VALENTIS
HERES . BENE . MER . FECIT

EQ. Eques cohortis primæ Prætoriæ. Erant enim cohortes partim peditatæ ut eas vocat Tacitus, partim equitatæ. Cohors Prætoria equites habebat, & pedites; ex illis igitur fuit Metinius Aper: Romanam inſcriptionem refert clariſſimus Mazzochius.

A . SOLO . ZOSIMIANO
EQVIT . ROM . PRAET
COHORT
&c.

185.

D M
L . VEIANIO . L . F . VITA
LI . VETERANO . EX
PRAET . C . SAPICIVS
CALLISTVS
H . B . M . F

VETERANO. De Veteranis jam alibi. EX PRAET. *Ex Prætorianis*

186.

L . CAEPONTIO
FLACCO . MIL .
COH . VII . PR
7 . PVDENTIS
MIL . AN . X
VIX . AN . XLII

187.

D . M
AVRELIO RES
TVTO MI COH . VII.
PR . VALENTINI
QVI VIXIT AN
XXXV FECIT AVRE
LIVS SVALES CONTV
BERNALI BENEMER
E N T I

188.

D. M.
L . SEPTIMI . EQ
S . AVG . TVR . FESTI::.·.
:.·AN . XXX . MIL . AN . X
::.·.ONE CL . SVARIA
:·.·.IVS . MAXIMVS . H:.·.
::.·.·.IVS POSVIT

EQ. S. AVG. *Eques singularis Augusti*: de equitibus singularibus Augusti vid. T.1. Num.14.

TVR. *Turma*; ideſt militavit in turma, cui præerat Feſtus. Priſco ſermone vox iſta pronuntiabatur *Terma*, *ſed* E, inquit Varro lib.4. *in* V. *abiit*. Tres decurias, ſive terdenos equites continebat. Turma, *homoeoſtomus* dicta, nominatur ab Æliano in libro *de inſtruendis aciebus*. Turmam vero *Majorem*, *Legionariam*, *Ovalem*, *Tertiacam*, *Lucanorum*, *Fregillanam*, *Caſſianam*, *Trevirorum*, commemorant laudatus Ælianus, Livius, Cæſar, Tacitus, Marcellinus, & lapides. Virgilius lib.v.

Tres equitum numero turmæ, ternique vagantur Ductores.

ad quem poetæ textum hæc Hortenſius Montfortius. *Turma inter equites erat, quod inter pedites centuria, aut Manipulus*: at quoad numerum militantium in turma, manipulo, & centuria, fallitur vir eruditiſſimus. Nam turma ex triginta, manipulus ex ſexaginta, centuria ex centum conſtabat militibus.

CL. Claudia Suaria.

:.·.AN. XXX. Vixit annos XXX.

H.·.· *Heres* .·.·IVS *ejus*.

189.



D M

L. FLAVIO . SECVNDO
MIL . COH . VII . PR
ST . V . 7 . PORCY
T . VENNONIVS . MAIOR
AMICO . B. M. FECIT

ST. V. *Stipendiorum quinque*

190.

·.·.·.··.·.·.·.·.·.·.·.M.·.·.·.·.·.·.·.·.·.·
.·.·.VI . ET . COSTA.·.·.
.·.·.INNOCENTI·.·.·
.·.·.SIT ANNIS XVI.·.·.
.·.·.IX . MIL . COH.·.·.·
.·.·.E . MERENTI .·.·.·.

:::E. *Bene merenti*.

DM

191.

D M
PAVLINIVS . ABENTI
NVS . EQ . S . D . D . NN
VIX . ANN . XXXVIII . M
ANN . XVIIII . T . RVFINI
N . GER . H . IVL . SEVERI
NVS . B ET . VETTIVS
MARTINVS . SING
. B . M . F . C.

ABENTINVS. *Aventinus*, desumpta forsitan denominatione ab Aventino, ex Romanis collibus, uno: ita in Reinesianis C. Amitius *Capitolinus*, C. Oppius *Palatinus*, C. Attius *Suburanus*, Fulvius *Exquilinus*, Julius *Cælianus*. Qui transmigrationem, ut ita dicam, litteræ V in B tribuunt Christianis, quorum in saxis sæpe legitur BITALIS pro *Vitalis*, BIXIT pro *Vixit*, VENEMERENTI pro *Benemerenti*, & similia; ut infra num. 207. videant hic in ethnico ABENTINVS pro *Aventinus*, & apud Reinesium BINCENTIA pro *Vincentia*. Immo idem Aventini cognomen in ethnico lapide cum B insculptum, videant in christiano cum V apud eumdem collectorem Cl. xx. 230. ubi CAESIVS AVENTINVS. Sane cum litterarum adulteratio vitium esset vulgi, ridiculum est opinari vulgum ethnicorum in eadem regione cultiorem fuisse christiano.

EQ. S. D. D. NN. *Eques singularis dominorum nostrorum*.

M. *Militavit*. T. *Turma*. N. GER. *Natione Germanus*. H. *Heredes*, quæ tamen sigla ut plures indicarentur heredes, duplicari debuerat.

B. *Beneficiarius*; de militari hoc officio, deque Beneficiariorum nota disseruimus T. I. ad Inscript. 95.

SING. *Singularis*. Eamdem inscriptionem retulit Gorius, posuitque inter Florentinas, sed mutilam, & PAVLINVS pro PAVLINIVS

D . M
PAVLINVS . ABENTI
NVS . EQ . S . D . D . N . N
VIX . ANN . XXXVIII
B . M . F . C

At inscriptio hæc certissime extat in Musei Capitol. cubiculo, vulgo *dell' Ercole*. An saxum ab urbe Florentia, Romam translatum est? an eidem Paulinio Florentiæ simul & Romæ titulus ab heredibus positus? Porro si Gorianus lapis idem est ac Capitolinus, quomodo ille, quove eventu tam mutilus, tamque deformis? Quis enim intelliget *Paulinum* monumentum anonymo *Benemerenti fieri curavisse*? Muratorius integrum exscripsit pag. 840. Sed omissa nota B & posita, loco H littera N, quo deceptus sphalmate interpretatus est NATVS IVLIACI.

AVG

192.

. . . .
. . . . AVG . NATIONE
BATAVS . TVRMA . AVR
SANCTINI . VIXIT . AN . XXVIIII
MILIT . ANN . XI . AELIVS
MAGIO . 7 . HERES . ET . AVR
MARCVS . SECVS . HER
AMICO . OPTVMO . F . C.

Hunc pariter lapidem Gorius inter Florentinos recensuit, tamen suppletis quæ in Capitolino desiderantur, & partim omissis quæ in Capitolino leguntur. Gorianus

D M
T . AVR . SCRIBONIO . EQVIT
SING . AVG . NATIONE
BATAVS . TVRMA . AVR
SANCTINI . VIXIT . ANN
XXVIIII

Ex hoc igitur Gorii fragmento discimus defuncti nomen fuisse T. Aurelium Scribonium: quo ambitu ex duobus istis fragmentis alterum Florentiæ, Romæ alterum reperiatur, divinet Œdipus. Muratorius in eodem saxo omisit AVG.

BATAVS. Pro BATAVVS, (Ant. M. Salvinii nota); & hoc pro BATAVO: scilicet T. AVR. SCRIBONIO BATAVO.

SECVS. Qui Muratorio hujus inscriptionis exemplar miserunt, transcripserant SEIVS: verum in autographo SECVS, fortasse Marci cognomen, sed fortasse verius concisio est vocis SECVNDVS, ideoque legendum potius *Marcus secundus heres*, quasi *substitutus*, quemadmodum vidimus in inscriptione sub num. 169. Meæ interpretationis propugnatores habeo Juresconsultos, quos consule; Svetonium *in Aug.* scribentem: *Heredes instituit secundos, Drusum Tiberii filium ex triente*: hinc dictiones, *secundo gradu scriptus*, & *secundo loco scriptus*. Habeo tandem lapidem, a Pitisco relatum quondam in hortis Justinianæis extantem, quem accipe

D M
T . AVRELIO
SPERATO . EQ . SING
TVRMA . AERELI
SABINIANI . NATIONE
RETO . VIX . A . XXXVII
MILITAVIT . A . XIX
AVRELIVS . QVINTVS
DVPLICARIVS . HERES
ET . AVRELIVS . AVRIANVS
SESQ . SECVNDVS . HERES
AMICO . OPTIMO . F . C

193.

D . MANIBVS
C . IVVENTI
ARGI . MILITI
COH . VII . PR 7
POTENTINIANA
CVRA . EGIT . T.
MICCIONIVS
MONTANVS

POTENTINIANA. *Centuria* nempe *Potentiniani*: nomen ex *Potentia*, seu *Pollentia* desumptum, quæ urbs fuit in agro Piceno sita; sed & altera exstabat urbs pariter *Pollentia* dicta in Liguria mediterranea, de qua scite disseruit cl. Jacobus Durandius in opusc. cui titulus: *del Collegio de Cacciatori Pollentini*. Aug. Taurin. ed. 1773.

194.

D . M
IVSTIVS FRON
TINVS . MIL . CHO VIIII
PR . 7 SECVNDINI . VIX AN
XXXIIII . MIL . AN . XII . NAT
NORICVS VLPIS MAXI
MIANVS
HERES . B . M . F

NAT. NORICVS. *Noricum*, inquit Samuel Pitiscus verbis Panciroli, Cluverii, & Bergerii, *est secundum Danubium: ab Occasu Oenum fluvium, a Meridie Emum montem habet, ab Ortu Cetium, a Septentrione Danubium: vulgo* Bavariam *vocant; aliique Stiriam addunt, & Carinthiam*. Henningius tamen ad Bergerium, non *Bavariæ*, sed *Austriæ* partem esse scribit.

VLPIS, *Ulpius*; de hac nota vide Num. 146.

195.

CN . SENTIVS
CN . F . TER
SATVRNINVS
ATINE SPEC
COH . VIIII . PR
7 . SEVERI
MIL . ANN . VIII
VIX . ANN . XXVII

Tribum, patriam, & militare heic habemus officium Cn. Sentii Saturnini.

TER. *Ex Terentina tribu*. Denominatio è *Terento*, qui locus fuit in Campo Martio ad Tiberis ripam, ubi ara Ditis patris in terra occultata exſtabat. Ad hanc Aram P. Valerius Poplicola, primus poſt Reges exactos conſul, nuncupatis publicè votis boves, & juvencas Diti patri, & Proſerpinæ mactavit, lectiſternium, & ludos trinoctio fecit. De hoc ſacrificio ad Terentum perfecto meminit vetus inſcriptio apud Gruterum p.97.

P. VALERIVS. VOLVSI. F. POPLICOLA
IGNIFERVM CAMPVM
DITI. PATRI. AETERNAIQ
PROSERPINAE. CONSECRAVEI
LVDOSQVE. EISDEM. DIEIS
POPVLI. ROMANI. SALVTIS
ERGO. FECEI

Ovidius Faſt. lib. I.

Fluminis illa latus, cui ſunt vada juncta Terenti
Aſpicit; & ſparſas per loca ſola caſas.

ATINE. Atina de qua Virgilius lib. VII.

.... *Atina potens Tyburque ſuperbum*

decem millibus paſſuum diſtat Sora, Romanorum colonia fuit, quæ tempore Annibalis, Romanis trucidatis colonis, defecit ad Samnites: victa tandem fuit deinde a M. Petilio, Cn. Sulpitio Coſſ., ac Samnitibus ſecuri percuſſis, eo deducta eſt, teſte Livio, nova colonia. Nunc ad nobiliſſimam Boncompagnorum familiam pertinet, Hiſpaniarum Regis dono. Fluvio Liri adluitur; ſitum habet amœniſſimum, quem ſummis laudibus Cicero in epiſtolis proſequitur.

SPEC. *Speculator*. V ſup. in not. ad n.164.

AVR

196.

AVR ∴VSCVS ∴TI X
SIC . MARCELLINVS DEC
AVR . PROPINCVS DVP
AVR . CELSINVS . SESQ
AVR . IVLIANVS ⅌
AVG . VALENTINVS IM
AVR . TITVS S
ANT . DIARDANVS
FLAV . VALENS SIG
AVR . PRIMVS . CA
∴∴∴∴∴∴MVCATRA

NATIONE NOR∴∴∴
VETVR LVC∴∴∴
VALER . MAX∴∴∴∴
SAT . PVSINA∴∴∴
CASS . ROMVLV∴∴∴
IVL MAXIMV∴∴∴∴
AVR POSSIDONIV∴∴∴
VET SECVNDINVS∴∴∴
AVR RVSTIANV∴∴∴
AELI . PRISCV∴∴∴∴
AVR . MVCATRA . IMM∴
AVR MVCIANVS∴∴∴
AVR∴∴∴∴∴∴∴∴

In Muratoriano hujuſce tabulæ exemplari pag. 789. permulta ſunt corrigenda

Murator. in lin.	1.	AVSCVS	*Capitolin.* ∴VSCVS *forte Fuſcus*
&		STIX	∴TIX
in	5.	B	⅌
in	7.	TITO	TITVS
in	8.	ANT. DIVDANVS	ANT. DIARDANVS
in	9.	SIC	SIG
in	12.	NAT	NATIONE
in	14.	MAR	MAX
in	20.	IVSTINIANVS	RVSTIANVS

∴TI X. *Stipendiorum decem*. DEC. *Decurio*, qui Turmarum decurias, ex decem militibus conſtantes, cogebat ducebatque: ſic dictus eo quod ab initio cum Coloniæ deducerentur, decima pars eorum, qui deducerentur, conſilii publici gratia conſcribi ſolita ſit; & ſic intelligendus eſt Ciceronis locus in Antonium: *Lex promulgata eſt de tertia Decuria judicum*. At hic de decurionibus equitum agitur, ex quibus fuit ſecundus Marcellinus.

DVP. *Duplarius* ſive *Dupliciarius*, cui ob militarem virtutem duplicia cibaria ut darentur, inſtitutum, docet Varro *de ling. lat.* IV. Erant etiam milites *duplaris armaturæ*, quibus binas decernebant annonas: vetus inſcriptio.

Q. VAESIO . Q . F . PAL . NIGERIANO
MIL . COH . V . PR . 7 . VERI MILIT
LEG . X . GEMIN . DVPLAR
T . AELIVS . T . F . POP . HEDISCVS
MIL . DVPLAR . ARMATVR : VIVIT.....

SESQ. *Seſquiplaris*, ſeu *Seſquiplarius*: ita in lapide hortorum Juſtinianeorum: AVRELIVS . AVRIANVS . SESQ . SECVNDVS HERES hi *unam ſemis*, inquit Vegetius de re mil., *conſequebantur annonam*.

⅌. *Beneficiarius*. IM. *Immunis*. *De Immunibus* pauca dixi Tom. 1. *num.* 15. *in not.* pag. 53. Immunem alterum habemus infra lin. 22.

S. For-

S. Forte *Signifer*, uti Flavius Valens. Signifer ab Aquilifero distinguebatur: iste enim aquilam portabat Romani imperii signum; ille propriæ legionis signa, atque Principis imagines. Pro galea utebatur exuviis capitis belluæ ferocis, quibus terribilior hostibus appareret.

197.

D M
C. ACVTIO . CL . SEVERO
ARA . MIL . FR . LEG
VII . GEM . F
FRATRI
PIENTISSIMO
C. ACVTIVS . ROMANVS
H . F . Q

CL. *Ex tribu Claudia*.

ARA. Patria, ni fallor, C. Acutii Severi hac voce enunciatur: scilicet, aut *Ara*, regia Arabiæ civitas apud Ptolemæum, aut *Araba*, quam nominat Plinius lib.VI. cap.30. aut Aradata, vel Aralapidea municipium, in Norico ab Antonino *in Itin.* situm

MIL. FR. *Miles Frumentarius*. Qui Horreorum castrensium curam gerebant, frumentaque Militibus distribuebant *Frumentarii* dicebantur: horum mentio in militaribus saxis frequens. Vocabantur etiam *Frumentarii* ii, qui perquirebant quæ in provinciis fierent, & principi nuntiabant. Videntur originem habuisse a prima publici cursus institutione, quam ad hoc, ut alibi diximus, teste Svetonio, introduxit Augustus, ut omnia minima maxima, quæ in Provinciis gererentur, celeriter annunciari possent. Spartianum audi de Adriano loquentem. *Erat*, *inquit*, *curiosus non solum domus suæ*, *sed etiam amicorum*, *ita ut per Frumentarium occulta omnia exploraret*.

GEM. Legionis septimæ *Gemellæ*, seu *Geminæ*; cognomen inditum est ab Augusto legionibus, quando scilicet aut omnino illis dissipatis, ac inter cæteras dispositis, denuo remittebantur, & conjungebantur. Geminam hanc legionem VII. ignotam fuisse Rosino, Lazio aliisque, ex ipsorum ubi legiones enumerant, silentio, colligitur: nominant enim Geminam X. XII. XIII. XIV. & XVI., de VII vero ne verbum quidem. Nominant eam utique marmora nonnulla penes antiquarum inscriptionum collectores; præsertim apud Gruterum.

198.

D.M.AVR DOMITIAN:
SMIL CHOR.VIIIIPRT7F.:.
TIVIX.ANNXXXX.MIL.AN:.
XVII.NAT.DACVS.MAXI
MVS.MARINIANVS
ET IVLIA.SISI.DOLES
.B.M.F

Aurelius *Domitianus* miles cohortis nonæ prætoriæ F.. Festi.

NAT. DACVS. *Natione Dacus*: Dacia, Thraciæ pars, in antiqua Geographia, Carpaticis montibus circumscripta. Provinciæ istius metropolis *Ulpia Trajana* ab Imp. Trajano, qui totam provinciam, victo Decebalo, Romano addidit Imperio: hinc Trajanus Aug. *Dacicus* cognominatus est.

DOLES. *Dolens fecit*: ita *merens*, *merentissima*, *cum lacrymis* posuit; & inter Gruterianos lapides: CONIVX INCOMPARABILIS CONIVGI SVO DOLENS P.

199.

D M
M.AVRELIO.LVCIANO.MIL.COH.VI.PR.7
ALEXANDRI.VIX.ANN.XXVIIII
MIL.ANN.VI.HORIVNDVS.EX
PROVINCIA.DACIA.C.VIRIVS
VRBICVS.HER.COMANIPVLO
B.M.F

HORIVNDVS. Cum adspiratione: adspirationem sæpe a vocibus Græcis subtrahebant quadratarii, aliquando vero ad libidinem addebant, ut hic in voce *Oriundus*, quam tamen cum H rarissime notavi. Oriundus dicitur etiam pro orto: sic Cicero in Top. *Ab ingenuis oriundi* pro *nati*. In præcedenti vidimus NATIONE DACVS.

COMANIPVLO. Sive *Commanipulari*, aut *Commanipuloni*, uti in Pescennio scribit Spartianus, ubi & *Commanipulatio*. Vid. not. ad num. 151.

200.

M . NVMMIO . VMBRIO
PRIMO . M . FILIO . GAL
SENECIONI ALBINO
COS . PR . CANDIDATO
LEG . PROV . AFRICAE . LEG
;:.·V . ASIAE . Q . CANDID

GAL. *Galeria*: vide quæ de hac tribu obſervavi ſup. in not. ad num. 147.

COS. Licet hæc ſigla antiquariorum omnium approbatione conſulis dignitatem denotet, hic tamen a communi interpretatione recedere neceſſe eſt. Nam quomodo Senecio Albinus conſulatum eſſet conſecutus, cum vix eſſet præturæ, & quæſturæ candidatus? Compertum eſt conſulatum, cæteris dignitatibus, Imperatorumque temporibus ipſa prætorii præfectura ſuperiorem fuiſſe, uti in ſuo *Papin.* cap. 14. oſtendit cl. Eug. Otto. *Nemini*, inquit Roſinus A. R. lib. VII. cap. 9. *conſulatus regulariter contingebat, niſi ætatis annos 42. explevisſet, & prudentia atque virtute ſingulari conſpicuus gradatim per quæſturam, ædilitatem, & præturam antea geſtam, ſibi aditum feciſſet ad petitionem hujus muneris*. Revera Senecionis Albini nulla in Faſtis mentio. Muratorius tamen cum in quadam Sex. Cornelii inſcriptione (p. 1041. num. 3.) reperiſſet COS. FLAM. hunc in notis conſulem fecit: at ego quidem fateor Flaminiam regionem (a nemine ceteroquin ante Paulum Diaconum memoratam) fuiſſe decoratam conſulibus, nunquam audiviſſe. In noſtra fortaſſe legendum COL. ideſt *Collegæ* uti in Lapide Gruteri p. 389.

D M
TI . CL . CARATI
IIIIII . VIRO . AVG
ATTIC . CICERO
FELIX . COL

ideſt *Collega*, aut *Collegæ*.

PR. *Prætori Candidato, Legato provinciæ Africæ, Legato provinciæ Aſiæ*.

Q. Quamvis lineatam, ſiglam iſtam, quæſturam indicare opinor.

201.

T . AVR . T . F . GENETIVO
DEC . EQ . SING . AVG . NAT
NORICVS . VIX . ANN . XXIX
MIL . ANN . X . AMICI
FACIEND . CVRAV

GENETIVO. A generando: ſic γένησις *geneſis*; ita *geneſia* ſeu dies natalitius, *geneſiarches*, *genetæ* &c. hinc puto accuratius ſcribi GENETIVO cum E, quam cum I GENITIVO.

DEC. *Decurio equitum ſingularium Auguſti*.

D.·.

202.

D. · . · . · . · . · . ·
MARIVS . FEL: . · . ·
CHOR . IIII . BIG · . · .
ET . MINDIA . RV::
AVR . SEBER · .· . · . · .
TO . BEN . M . · . · . · . ·

BIG. Qui per mutilum hoc verbum Marii Felicis patriam indicari exiſtimant, legant BIGERRA, Hiſpaniæ oppidum, hodie *Bejar*, at nihil affirmo.

203.

CLAVDCARO
MIL . COH . VIII
PR . STIP . XVII
VIXIT ANNIS
XXXVII
HEREDES . ET
CONTIRONES
BENEMERENTI
FECERVNT

Claudio Caro militi cohortis octavæ, prætoriæ Stipendiorum ſeptemdecim.

CONTIRONES. Qui in eodem tyrocinio verſabantur: militare etenim tyrocinium, eſt prima militiæ aggreſſio, & rudimentum; idcirco qui rem quempiam aggrediuntur, vocantur tyrones.

204.

EVTACTO
AVG . LIB . PROC
ACCENSODELAT
A . DIVO VESPASIANO
PATRI . OPTIMO
CLEMENS FILIVS

EVTACTO. Eutactus; *bene ordinatus*, *compoſitus*.

PROC. De Procuratoribus vide inſcript. 21. & quæ in *not.*

DE-

DELAT. Fabrile erratum heic irrepsisse censeo: sculpendum enim fuerat VELATO. De Accensis Velatis vide sup. in nota ad num.143. Muratorius divisa per errorem voce, scribit DE LAT; hinc novum prorsus instituens Augustæ domus officium, legit *accenso de latere*: an recte, videant eruditi.

A DIVO VESPASIANO. Aut delendum A, aut interpretandum, Eutactum accensi velati munus accepisse a divo Vespasiano.

205.

D.M.L.SVRDINI.SA
TVRNINI.LIB.AR
MATA.NAT.AFER
VIX.ANN.XXXX
MILIT.ANN.XVIIII
CLODIA SECVNDA
MATER.FIL.BEN.M.F

LIB. ARMATA. Muratorii exemplar pro LIB habet IIII (videat lector quæ sit præstanda Muratorianæ collectioni fides) idcirco vir doctissimus excogitavit Saturninum fuisse *militem in* QVADRIREMI, *cui vocabulum* ARMATA. At cum in autographo Capitolino sit palmaribus litteris insculptum LIB rectius interpretabor *Liburna armata*: ita Liburna *Clupeo* & Liburna *Diana* in Fabrettianis lapidibus, Liburna *Barbaro* in Gruterianis, Liburna *Grypho* in Maffejanis, Liburna *Fide*, & Liburna *Nereide* apud Gorium, Liburna demum *Neptuno* apud Reinesium. De *Liburnis navibus*, præter L. G. Gyraldum in *Opusc. de re Nautica*, nonnulli scripsere insignes viri, a Sam. Pitisco laudati.

NAT. AFER. *Africanus*: quidam tamen *Afrum* ab *Africano* differre contendunt.

206.

D . M
QVARRVNTIO AQVILAE
MAN.P.VI.OPE.NAT.·.·.·.
BESSVS MIL.AN.IX
VIX.ANNIS.XXX
CCASSIVS CENSORINVS
FRATER ET H.B.M.F

MAN.P.VI.OPE. *Manipularius Præfecti Hexere Ope*: Hexeres navis erat sex-remis: *Ope*, navis, ut ita dicam, cognomentum. Siglarum hæc enodatio, quam sequor, est clarissimi Muratorii.

ARRE

207.

....			
....		ARRE	T........
.... N	S	NARNI	λ........
....	S	TARQVI	N........
.........IANN	S	REAT	E........
....	S	VTHIN	A........
....			....
....		CO	S........
....	S	LARIN	O........
.... VS		OST	S........
....	S	CλRTHλG........	
....			....
....		CO	S........
....	S	LARIN	O........
....	S	SAEPI	N........
....	R	λMER	I........
.... VS		ARRE	T........
....		NITT	O........
....			....
....		CO	S........
....	S	ATES	T........
....	S	ARRE	T........
....	S	ACER	R........
....	S	AES	E........
....			....
....		CO	S........
....			

Militum aliquot nomina, & patriam exhibuiſſe olim hanc tabulam, haud dubitandum; at nunc temporum injuria adeo confracta eſt, ut vix in ea patriæ nomen remanſerit.

ARRE T. *Arretium*, *Narnia*, *Tarquinia*, *Reate*, *Vthina*, alias *Vtinum*, *Larinum*, *Oſtia*, *Carthago*, *Sæpinum*, *Ameria*, NITTO, deſperatæ prorſus interpretationis nomen, *Ateſte*, *Acerra*, & *Aeſe*, ſeu *Aeſis*, *vel Aeſium*. Arretium, Utinum, Carthaginem, & Ateſtem in præcedentibus inſcriptionibus commemoratas vidimus, deque his verba fecimus in notis. De reliquis nunc brevis hic erit ſermo.

NARNIλ. Urbs Umbriæ, in aſpero monte ſita; unde Silius,

> .... *& duro monti per ſaxa recumbens Narnia*.

& Martialis lib.VIII.

> *Narnia ſulphureo quam gurgite candidus amnis*
> *Circuit; accipiti vix adeunda jugo*.

ante Plinii ætatem, *Nequinum* vocabatur; incolæ *Nequinates*: at juxta Dionysium *Nequia*; oppidani *Nequiates*. Procopius *rer. Gothic.* lib.1. *Narnia*, inquit, *in edito sita est monte, ad cujus radices Nar præterfluit amnis.* Hodie *Narni*.

TARQVINIA. Una e duodecim Etruriæ maritimæ urbibus, Tarquiniorum, Romanorum regum patria. Tarquinienses, tradente Livio *Romanos captivos milites immolarunt*: propterea subacti tandem a Romanis pari supplicio affecti sunt. *In Tarquiniensibus acerbe sævitum, multis mortalibus in acie cæsis, ex ingenti captivorum numero trecenti quinquaginta octo delecti nobilissimus quisque, qui Romam mitteretur, vulgus aliud trucidatum: nec populus in eos, qui missi Romam erant, mitior fuit, medio in foro omnes virgis cæsi, ac securi percussi sunt: id pro immolatis in foro Tarquiniensium Romanis pœnæ hostibus redditum.* Stetisse hanc urbem Coss. M. Valerio Lævino II. M. Claudio Metello IIII. h. e. A.V. 554. colligitur ex Julio Obsequente, qui narrat, eo anno, Tarquiniis porcum cum ore umano genitum. Ejusdem vestigia, quæ incolæ appellant *Tarquena* in agro Cornetano adhuc exstare asserit Antonius Massa, quem laudat Dempsterus. Scite hic Etruriæ illustrator lib.14. cap.II. negat Tarquinienses, uti Vejentos, fuisse omnino deletos. Nam cum in quodam Hilarii PP. decreto nominetur *Apulejus Episcopus Tarquiniensis*, perspicuum est urbem Tarquiniam, licet populo, opibusque admodum imminutam, stetisse saltem usque ad annum Æræ Christianæ CCCCLXI, quo Hilarius Pont. Max. Dei regebat Ecclesiam.

REATE. Vetustissimæ originis oppidum, nam nonnulli existimant conditum fuisse ante bellum Trojanum. Oppidani *Reatini* dicuntur, qui magnam Deam singulari cultu venerabantur; hinc Silius

...... *Magnæque Reate dicatam*
Cælicolum matri.

Verum nulla alia re magis nobilitatum, inquit Cluverius, & celebratum oppidum, *quam Asinorum eximio genere.* Revera Plinius lib.VIII. cap.43. *Patria*, ait, *etiam spectatur in Asinis; Arcadicis in Achaja, in Italia vero Reatinis*; & Varro de R.R. lib.II. cap.1. *Hoc nomine etiam Asini, Arcadici in Græcia nobilitati; In Italia Reatini, usque eo ut mea memoria asinus venierit sextertiis millibus LX.* Verumtamen laudatus Geographus, dum Reatinæ urbis, totius Sabinæ metropolis celebritatem, *eximio* tantummodo *Asinorum* gegeneri, tribuit, sese Reatinæ historiæ prorsus ignarum ostendit. Insuper, quare prolixus de Asinis sermo? de celeberrimis vero τέμπη Thessalicis a Kircherio æquiparatis, de quibus Cicero ad Atticum *lib.1. ep.4.* De agro, ob fertilitatem, *sumen Italiæ* a Varrone dicto; de Velino lacu, atque fluvio, deque roseis ejusdem Velini ruribus a Virgilio commendatis, ne verbum quidem? Quæ inter res geographicas, & asinos ἀναλογία?

LARINO. Urbs Frentanorum, Romanorum nobile municipium: *Larinum* quondam; nunc idem nomen retinens, vulgo *Larino*, ad Tiphernum fluvium, inter Histonium, & Teanum Apulorum. Incolæ Larinates, quos nominat etiam Cicero in oratione *pro Cluventio* Larinate. *A. Cluentius habitus fuit pater hujusce, Judices: homo non solum municipii Larinatis ex quo erat, sed etiam regionis illius, & vicinitatis, virtute, existimatione, nobilitate facile princeps.*

OST S. Nempe *Ostiensis*. Ad dextram ostii Tiberis condita est Ostia ab Anco Martio: portus Romanus, *Ostiensis* dictus, a Claudio Cæsare, ad ejusdem fluminis lævam factus est. Nobilissimis olim ædificiis, paganorumque templis ornatam, nunc speluncam latronum credas, ob aeris malignitatem prope desertam, neque nisi hyberno tempore habitabilem. Ibi primum salinarum vectigal ad usum navium instituit præmemoratus Romanorum Rex. Spectabilis tamen, & clara urbs tum sepulcro S. Monicæ D. Augustini matris, cujus ossa Romæ translata in templo Augustinianorum requiescunt; tum *Januarii Octavii* Christiani cum *Cæcilio Natale* Pagano, intercedente arbitro M. *Minucio Felice*, disputatione.

SAEPI

SAEPI N. Sæpinum in Samnio ad fontes Tamari urbs, quam Ptolemæus vocat Σαιπῖνον. *Sæpinum*, inquit Frontinus, *oppidum muro ductum, colonia ab Imper. Nerone Claudio deducta est: Ager ejus in Augusteis centuriis est adsignatus*. A. U. 460. Lucio Papirio Cursore, Sp. Carvilio Maximo Coss. a Romanis subacta est. Livius *lib.x. Itaque litteris missis ad Senatum, & Populum Romanum de rebus ad se gestis, diversi, Papirius ad Sæpinum, Carvilius ad Volanam oppugnandam legiones ducunt*. Incolæ *Sæpinates* in antiquo apud Gruterum marmore, iique *municipes* dicuntur; quod sententiam confirmat Cluverii, scribentis Sæpinum ab Antonino Pio municipium factum. Nunc vulgo *Sepino*.

AMER I. Ameria, hodie vulgo *Amelia*, perillustris Umbriæ civitas, condita, ut fertur annos ante bellum Persicum 964. ante U. C. 383. ante Christum natum 1137. Patria fuit Sex. Roscii, & Q. Roscii qui patronum habere Oratorum principem meruerunt. Vimina Amerina laudat Virgilius Georg. lib. I.

Exacuunt alii vallos, furcasque bicornes,
Atque Amerina parant retinacula viti.

ACER R. Acerra urbs Campaniæ a Neapoli Beneventum proficiscentibus occurrens ad amnem vulgo *l'Agno*. Acerra altera in Longobardia ad Abduæ, Seriique amnium confluentes, nunc mutato penitus nomine, *Pizzighitone*.

AES E. *Aese*. Ptolemæo dicitur Αἶζις: Straboni Αἴσιον *Aesium*, Marcæ Anconitanæ ad Aesim fluvium sita urbs insignis, nunc vulgo *Jesi*: incolæ vero antiquitus *Aesinates*. Apud Gruterum pag. 446. PATRONO. COL. AVXIM. ET. AESIS. ET. MVNICIP. NVMANT. &c.

208.

PAPIRIO ANNIBALO
NATION. ITALO QVI. VI
XIT. ANNLXVII MES VIII.
ET PAPIRIAE CALPINIAE QVI
....XIT ANN LIIII PAPIRIA
.....ANA. FILIA PAREN
........VS. SVIS. BM. FECIT

209.

D . M
L. SEPTIMIVS. BALES. VET. AVG. N
SEBIBO. FECIT. SIBI. ET SEPTIM
BALENTINAE. FILIAE. SVAE. ET
LIBERTIS. LIBERTABVSQVE. EORVM
H. M. H. N. G. S. IN. F-P. XIIII. IN
AGRO. PED. CVM MACERIA

BALES. *Valens veteranus Augusti nostri se vivo fecit, & Septimiæ Valentinæ*.

H. M. H. N. G. S. Dubito quadratarium siglam G per errorem sculpsisse post N. quod

quod nullum exhibet ſenſum: puto igitur emendandas eſſe ſiglas hoc pacto H. M. H. G. N. S. ideſt *Hoc monumentum heredes gentiles non ſequitur*.

CVM MACERIA. Fabrile ſepimentum, e lapidibus ſine calce conſtructum. Vide inf. cap. VI.

IN AGRO PED. Pedum numerus æternum penes quadratarium remanebit.

210.

C DOMITIVS·POLLIO
PATER. VETER. AVGVSTI EX
CLASSE PRAETORIA MISENAT
FECIT SIBI. ET
DOMITIAE SPEI·ET CONIVG
LIBERTIS. LIBERTABVS. POSTERIS
EORVM
HVIVS MONVMENTI INTRO. EVNTIB
PARS. SINSTERIOR AD FAMILIAM SV PERTIN
IN. FR. PED. XV IN. ACRO (sic). PED. XXX VIIII

De claſſe prætoria Miſenati vide ſup. in inſcrip. ſub num. 174.

SPEI. Vide cap. V.

SINSTERIOR. *Siniſterior*, nempe *pars interior ſiniſtrorſum*. Sic in alia Capitolina inſ. IN PARIETE SINISTERIORE. OLLAS NVM. VII. cum in tituli fronte tritæ deſiderentur ſiglæ D. M. annique militiæ, perſpicuum eſt C. Domitium ſepulcrum ſibi ſuiſque, adhuc inter vivos, excitaſſe: locus itaque aſſignatur, in quo familiæ condantur cineraria, ne cum libertorum ollis confundantur.

AD FAMILIAM SV. Cl. Muratorius pro SV edidit L SS. explicavitque libertorum ſuorum. Verumtamen ſi libertorum familias heic C. Domitius Pollio enunciare voluiſſet, ea diligentia, qua geminaverat elementum S. duplicaviſſet quoque litteram L. Porro autographum perſpicue exhibet SV ideſt AD FAMILIAM SVAM. Errat etiam Gorius qui ſcripſit SA

XXX VIIII. *Trigintanovem*. Male Muratorius, & Gorius numerum hunc 39. non Barbarorum, ſed nitidiſſimis Romanorum notis ſignarunt.

C. ME-

211.

C . MELAMVS . C.·.
GAL . RVFINVS.·.·.·
SALACIA . MIL.·.·.·
COH . VIII . PR . 7
VOCONIS
T . P . I

GAL . *Ex tribu Galeria*, de qua vide num.147. in not.

SALACIA . Oppidum Lusitaniæ, nunc pagus cui nomen *Alcazar de Sal* inter Ulyssiponam, & Serpam . Hanc *urbem Imperatoriam* appellat Plinius: quidam, ex quibus Clusius, extitisse censent ubi nunc *Setuval*. Municipium fuisse colligitur ex saxo Gruteriano p.13. ubi MVNICIP . SALACIENS .

T . P . I . *Testamento poni jussit*.

212.

DC . VESV M
ENO . C . F . MARTI
ALI . MIL . COH . X.
VRB . 7 . SEVERINI
MIL . ANN . XVIII
VIX . ANN . XXXVI
PATRONO . ET .
CONIVGI . B . M.
FEC . VESVENA
AFFIAS

DC . VESVM . *Dis manibus Caii Vesveni*: nomen defuncti inter siglas D.M.

VRB . Urbanæ cohortes Romæ custodiam agebant, & absentibus Prætorianis, Augustorum æque ac urbis securitati evigilabant. Recte Tranquillus urbanorum cohortium exordia ad Augustum Cæsarem refert; falliturque Lazius lib.VI. cap.I. ubi has florente adhuc Republica in urbe fuisse contendit; negligenter etenim Livii textum quem laudat (lib.I. Dec.V.) legerat. Nam Livius non equidem de *cohortibus* urbanis loquitur, sed de *legionibus* post bellum Macedonicum scriptis, curante C. Sulpitio Galba.

VESVENA AFFIAS . Forte *Alfias*, aut *Alfia*, uti ap. Fabrettum *Alfia Attica*

213.

D M
C. AELI. C. F. GAL. AELIANI. SEGO:::
LIBRATORIS. ET. TESSERAR.·.·.·
COH. II. PR. EVOCATO. AVGVS.·.·.
ITEM. LIBERTIS. EIVS. LIBERTAB.·.·.
POSTERISQVE. EORVM
T. F. I

Cajus Ælius Caii filius ex tribu Galeria, patria vero *Segobia*, aut *Segoduno*, aut demum *Segoncia*. Confer geographos

LIBRATORIS. In militia *Libratores* ii fuere, qui in bello utebantur *librilibus* bellicis instrumentis, a *librandis* tormentis, aut hastis dicti, quas manu mittebant: hos nominat Tacitus Ann. II. *Sensit dux* (Tiberius) *imparem cominus pugnam, remotis paululum legionibus funditores, libratoresque excutere tela jubet*.

TESSERAR. *Tesserarii*. Tesserariorum munus declarat Vegetius de R. M. lib. II. cap. 7. *Tesserarii qui tesseram per contubernia militum nuntiant. Tessera autem dicebatur praeceptum Ducis, quo vel ad aliquod opus, vel ad bellum moveretur exercitus*. Hæc ille. Tessera autem militaris quadra ex omnibus partibus fuit, uti docet Isidorus: hinc Italica vox *Dado* latine *Tessera* hujusmodi figuræ



ab hospitalibus, lusoriis, frumentariis, amatoriis, nummariis, diversa: iste enim modo rotundæ erant, modo oblongæ, uti sequentes a Thomasinio vulgatæ



quibus sociare operæ pretium erit alteram, quam mihi nuper communicavit clarissimus atque eruditissimus Henricus Sanclementius, D. Gregorii in Monte Cælio monasterii, abbas, quamque diligenter delineavit Julius Candiottus.

Vide



Vide quæ de tesserariis militaribus dixi tom.I. cap.II. num.95. in not.

EVOCATO. De Evocatis vid. cap.I. num.58.

T. FI. Ut supra. *Testamento fieri jussit*.

214.

:.:.:.:.:.:.:.:.:.:.:.S. AVG
:.:.:.:.:.:.:.REG . I
:.:.:.CO. III ARARVM
IVSSV
C. PONTI. FAVSTINII
GRANIANI. PR
MAG. FECERVNT
VALERIVS. ONESIMVS
L. POMPEIVS. EV. PHROSIN.:.
D. GRANIVS. AVGVSTINVS
TI. CLAVDIVS. HERME:::

Gorius tom.III. in *Append.*, & Muratorius Cl.II. 148. hanc inscriptionem evulgarunt; sed iste a Goriana, ille a Muratoriana uterque ab autographo Capitolino diversam. Muratorius

S. AVG
REG. I
CO. III. ARARUM
&c.

ullo absque fracturæ indicio, & lin.9. EVPHROSIN pro EV. PROSIN. Gorius

:.:.BVS. AVG
REG. I
VICO. III. ARARVM
&c.

lin.9. EVPHROSIN per extensum, & in fine omissa T. *Claudii Hermetis* mentione. Muratorius legit *Serapidi*, aut *Spei*, vel SILVANO AVGVSTO, ignoratque quid breviarium illud CO ferat: innuit tacite legi posse COLVMNAS ARARVM, fatetur tamen se *ararum columnas* minime novisse. Gorius interpretatur *Laribus Augustis*. Ex duabus horum antiquariorum interpretationibus, magis Goriana placet. Nam per fragmentum illud :.:.BVS enunciari LARIBVS non mihi incredibile: at litteræ BV in Musei nostri autographo omnino non exstant: exstabant tunc fortasse, quando Leonardus Augustinius exemplar cl. Gorio tradendum descri-

cribebat: verumtamen quæ præstanda est fides eruditissimo licet viro Augustinio, qui marmor istud, veluti Senis effossum vulgavit, quique postremam lineam aut in autographo non viderat, aut in exemplari prorsus omiserat? Neque insuper percipio qua ratione Gorius, nostram hanc inscriptionem, inter Etruscas recensendam existimarit, cum Romæ semper extiterit, principio scilicet in Museo Albano, mox in Capitolino.

:.·CO. III.. ARARVM. Gorii lectioni, idest VICO, (sicuti in alia basi Capitolina a Nardinio laudata) subscribendum opinor. Nam quamvis Muratorio ignotæ sint *columnæ Ararum* (quod ignotum æque est omnibus) VICVM ARARVM in regione prima extitisse, aperte in urbanarum regionum descriptione declarant tum Publius Victor, tum Sextus Rufus, quos consulere Muratorius debuerat. Guido Pancirolus, legit VICVM VITRIARIVM, hac infirma nimis ratione ductus, nimirum, quod quæ essent Aræ istæ ignoretur. Sane, si omnia, quæ nobis sunt obscura, respuere, aut pro arbitrio interpretari liceret, parum profecto studii tum in consulendis antiquorum codicibus, tum in interpretandis lapidibus adhibendum foret. Insuper Muratorius legi posse putat *Serapidi Augusto*, aut *Spei Augustæ*, aut tandem *Silvano Augusto*. At in regione I. neque *Serapis*, neque *Spes*, neque *Silvanus* aras habuere. *Serapidi* templum, & ædiculam erexerunt utique Romani, sed in regione III. ædes *Spei* fuit in foro Olitorio, scilicet in reg. XI. Vicus *Spei majoris* extabat in reg. VII. *Spei veteris* ædicula, in reg. V. Vicus vero Silvani, & templum in reg. V. Ædes in reg. VII. In reg. I. Aras Mercurii tantummodo, & Isidis ponunt P. Victor, & Sextus Rufus, qui ubi de *Spe* agunt in reg. I. non *Aram* scribunt, sed *Aream*;

PR MAG. *Promagistri*. Confer Gutherium, Pitiscum, Calvinum, & quæ de hoc officio obiter scripsi vol. I. inscript. 121.

M. BLOS.

215.

M · BLOSSIO
Q . F . ANI . PVDENTI
7 LEG V MACEDONIC
DONIS . MILITARIBVS
DONATO AB
IMP . VESPASIANO AVG
TORQVIB . ARMILL . PHALER
CORONA AVREA
VIX . AN XLIX . SANCTISSIME
ET , PROPEDIEM
CONSVMMATIONIS
PRIMIPILI . SVI . DEBITVM
NATVRAE . PERSOLVIT
M . BLOSSIVS OLYMPICVS
PATRONO OPTVMO
FECIT ITEM SIBI . ET . LIBERTIS . ET
LIBERTABVS . SVIS . POSTERISQVE
EORVM . LONG. P. XXXI. LAT. P. XVII

Ex tot Musei Capitolini lapidibus a clar. Muratorio descriptis, ac in suo dein *Thesauro* relatis, unum tandem aliquando, hunc scilicet, (dummodo NI pro NI, interpunctiones, linearumque partitionem ab autographo diversam non attendas) mendis expertem reperimus.

ANI. *Ex tribu Aniensi*.

7. *Centurio legionis quintæ Macedonicæ*.

TORQVIB. Vetustissimum virtutis præmium fuisse torquem, colligitur ex sacris litteris, in quibus narratur Pharaonem Josephi collo aureum torquem circumposuisse. Frequentissimum apud Romanos: hinc *torquati milites*, qui torquem essent consecuti; *torquatos duplares*, *torquatos simplares*, nominant Vegetius, Valtrinus, Salmasius de R. M. scriptores, & Schefferus *de torq*. Erant torques isti modo ex auro, modo ex argento, aliquando ex ferro: eburneis torquibus usos esse Brittannos tradit Herodianus. Aurum pro torque usurpavit Virgilius Æn. l. VIII.

...... tum lactea colla
Auro innectuntur.

ARMILL. Ab armis dictas armillas docet Festus his verbis: *armillas ex auro, quas viri militares ab Imperatoribus donati, gerunt, dictas esse existimant, quod antiqui humeros cum bracchiis* Armos *vocabant unde* arma, *ab his dependentia sunt vocata*. Forma circularis, structura laxior, materies aurum, argentum, æs, ebur: Hæ vel simplici orbe alligabant brachium, vel pluribus inter se connexis circulis. Adi Th. Bartholinum *de armillis veterum*, Olaum Vormium *de cornu Danico*, innu-

innumerosque fere de Romanorum luxu in corporis ornatu scriptores.

PHALER. Phaleræ differebant a torquibus, quod liquet ex Silii Italici, & Juvenalis carminibus. Iste enim Sat.XVI.

Ut læti phaleris omnes, & torquibus omnes

ille lib.XV. 252.

.... phaleris hic pectora fulget;
Hic torque aurato circumdat bellica colla.

Quidam ornamenta equorum tantummodo fuisse phaleras contendunt; Licetus vero, cujus sententiam amplector, & equorum, & equitum. Porro si Petronii Arbitri auctoritas non est minimi facienda, pro certo habebo phaleris usos fuisse etiam homines. Is enim cap.XXVIII. *Jam Trimalchio*, inquit, *unguento perfusus tergebatur ..... Hinc involutus coccina gausapa, lecticæ impositus est præcedentibus phaleratis cursoribus quattuor*. Neque dicendum heic Petronium non de Servis, qui ab Italis nunc vocantur *Lacchè*, sed de equis loqui; nam idem satyricus paulo post hæc habet: *notavi in porticu gregem cursorum, cum Magistro se exercentem*; quæ ad servos certe sunt referenda. Confer, si vacat, Franciscum Pithoeum, Joannem Douzam, Georgium Erhardum, qui Petronii satyricon disertissime illustravere.

CORONA AVREA. Hæc æque militaris virtutis præmium erat apud Romanos. Audiatur Livius VII. 10. *Dictator coronam auream addidit donum*; & XXVI. 21. *Non minimum*, ait, *fuit spectaculum cum coronis aureis præcedentes Sosis Syracusanus, & Mercius Hispanus*. A Græcis hoc manasse, & maxime Atheniensibus, sententia est Samuelis Pitisci. Sane Demosthenem aurea corona insignitum, ipsemet in oratione quam *de corona* habuit, affirmat. Agonothetas coronatos laudat Chrysostomus in orat. *de sac. Bapt.* 16. *Non videtis*, inquit, *Olympicis certaminibus, cum Agonotheta per forum ambulat, habens coronam in capite*? Inde Apostoli a coronis militaribus similitudinem sumunt, & *certamen in hac vita præclarum decertantibus... legitime certantibus.... tentationem tolerantibus.... justitiæ coronam.... immarcescibilem gloriæ coronam* promittunt. Vide Maderum Paschalium, Lanzonium de coronis, Bulengerum de triumph. Lipsium de mil. Rom.

SANCTISSIME. Hoc est probe, & honeste, nec vitiis pollutus. Sanctum enim erat antiquis quod purum, impollutum, inviolatum: Turnus apud Virgilium Æn. lib.XII.

Sancta ad vos anima atque istius inscia culpæ
Descendam

PROPEDIEM CONSVMMATIONIS PRIMIPILI SVI. Cum annos muneris sui, scilicet *Primipilatus* esset expleturus; quibus peractis, honores, & præmia, nisi morte præreptus, esset consecutus, quæ tradebantur militibus post expleta stipendia, ante Augustum, XXV., imperante Augusto, & deinceps, XX. Mox *Veterani* censebantur.

PRIMIPILI. *Primipilatus sui*. Primus in legione. Centurio primipilus, sive primopilus vocabatur, cui tota obtemperabat legio. M. *Flavolejus*, teste Dionysio, *in una legione illustri ornatus imperio cujus ductum, & jussa* LX. *centuriæ cum suis manipulis sequi lex jubet, quos duces Romani vernacula lingua*, Primipilos *nominant*. Quemadmodum autem primipili primum locum inter omnes suæ legionis centuriones obtinebant, sic primæ legionis primipilus honore præstabat omnibus cæterarum legionum primipilos.

DEBITVM NATVRAE PERSOLVIT. Formulam hanc, seu dictionem sepulcralem notatu dignam censeo. Romani, immo omnes fere antiqui illud auditu triste *mortuus est* abhorrebant, substituebantque mitiora vocabula; nimirum, modo *fuit* uti Propertius lib.2.

Magni sæpe duces, magni cecidere tyranni
Et Thebæ steterunt, altaque Troja fuit.

Albi-

Albinovanus in Eleg. ad Liviam Auguſtam,

Jamne fui Druſi mater? & ipſe fuit?

Sed & in ſaxis apud Gruterum

FVI . NON . SVM . ESTIS . NON . ERITIS

Item apud eumdem

NON . FVI . DEINDE . FVI
MODO . NON . SVM

Vocis apte uſurpatæ cauſam ſic adducit Plautus in Pſeud. Act. 1. Sc. 3.

Mortuus eſt qui fuit; *qui* eſt *vivus eſt*.

Unde Euripides *in Alceſte*

Non eſt uxor Admeti, non eſt Hippolytus.

Modo *vixit*, aut *vixerunt*: ita Cicero jugulatos Catilinæ collegas ſignificavit dicens *vixerunt*. Lapis Gruterianus,

VIXI . DVM . VIXI . BENE
IAM . MEA . PERACTA
MOX . VESTRA AGETVR
FABVLA

Aliquando *abiit*; unde Feſtus: *Antiqui mortem*, abitionem *dicebant*, & Tertullianus in libro *de Teſtim. anim.*, hæc profert: *ſi de aliquo jampridem defuncto, tamquam vivo quis requirat, præ manu occurrit dicere* abiit, *& reverti debet*. Ad hunc præterea modum non Græci ſolum, & Latini, ſed Italici etiam vates cum amicarum, aut amicorum amiſſionem poetice deplorarent, *mortem*, leniore quadam dictione diſceſſum e vita vocavere. Petrarcha

„ *E' l'Aura mia vital da me partita*.

& iterum

„ *Poichè la viſta angelica ſerena*
„ *Per ſubita partenza in gran dolore*
„ *Laſciato ha l'alma*

Demum, ne tædioſus fiam, illud tantum adijcio

„ *Gli Angeli eletti, e l'anime beate*
„ *Cittadine del Cielo, il primo giorno*
„ *Che Madonna paſsò, le fur d'intorno*
„ *Piene di maraviglia, e di pietate*.

In noſtro autem M. Bloſsii Pudentis ſaxo nec *fuit*, nec *vixit*, neque *abiit*, ſed *naturæ debitum perſolvit*: quæ ſane formula, an alibi reperiatur, ignoro: rariſſime vero occurrere in veterum epitaphiis, nemo diffitebitur.

D M

216.

D  M

M . ATILIVS MAXIMVS
VETERANVS . AVG
NATIONE
OFFENTINA . MEDIOLAN
AETRIA . SECVNDA
CONIVGI . B.M.F C

OFFENTINA MEDIOLAN. Nempe natione, seu domo Mediolano, aut patria Mediolanensis, ex tribu vero OFFENTINA, rectiusve OVFENTINA vel VFENTINA. In antiquis urbium Galliæ Transpadanæ monumentis non VF legitur, sed OVF: ita Lucilius (perperam apud Festum & Panvinium *Lucretius*) in fragm. num. 187.

Priverno Oufentina venit, fluvioque Oufente.

Oufens flumen est agri Privernatis inter mare, & Tarracinam a quo tribus ista denominata est. *Oufentinæ tribus initio causa fuit flumen Oufens*, inquit Festus. Diphtongum OV Romanis etiam in usu fuisse docet Victorinus *de orthogr.* lib.I. *Quod apud Græcos*, inquit, *junctum* O *littera* V *syllabam facio*, *nostri etiam quoties ejusdem soni longa syllaba scribenda esset*, *&* *ipsi* V *adjungebant* O *litera*. *Inde scriptum legitis* LOVCETIOS, NOVNTIOS, LOVMEN. Sic in veteribus monumentis INDOVCEBAMVS, COVRATO, IOVSSIT, IOVDICAVERVNT, & apud eumdem Victorinum OVVIVS, & OVVERTIT pro *obvius*, & *obvertit*. Virgilius vero suppressa diphtongo VFENS dixit Æn. lib. VII.

————— gelidusque per imas
Quærit iter valles, atque in mare conditur Ufens

Flumen istud, *Portatotore* vulgo Tarracinenses vocant. Muratorii errorem circa duplex Mediolani nomen superius notavimus in inscript. 115. Hic cursim emendandus tantum Panvinius, qui cum de tribu Oufentina ageret in lib. *de civ. Rom.* consularium tabularum, seu fastorum, qui in ædibus Capitolinis adservantur auctorem fecit Verrium Flaccum: excusandus tamen doctissimus vir; nondum enim ætate sua innotescebant illa fastorum Verriorum fragmenta quæ anno 1770. Præneste eruta sunt, quæque ære incidi curavit eruditissimus Henricus Sanclementius abbas Camaldulensis.

L. LV-

217.



L . LVCILIVS
L . F . PVB
RVFVS
VERONA . MIL
COH . V . PR . MILITAV:::
ANN . VIIII . VIX . ANN . XXIIX

In superna lapidis parte duo extant leonum capita, ut in saxo 144.

In his elucidandis inscriptionibus, Romanorum militum vitæ brevitatem obiter adnotavi. Revera quatuor exceptis, nemo ex iis quadragesimum nonum ætatis annum superavit. Nam

M. Tadius	)	vixit ann. 49.	Q. Clodius		35.
M. Titius	)		Justus Frontinus		34.
M. Tadius	)	vixerunt ann. 45.	Pr. Rutilius		32.
Q. Valerius	)		M. Paccius	)	
L. Atilius		44.	Val. Secundus	)	
L. Cæpontius		42.	L. Satrius Tiro	)	
Aur. Domitianus	)		M. Sentius	)	30.
Q. Cassius	)		Metinius Aper	)	
Julius	)		L. Septimius	)	
T. Aurelius	)	40.	Q. Arruntius	)	
L. Ennius	)		M. Aur. Lucianus	)	
Q. Aconius	)		T. Aur. Genetivus	)	29.
Surdinus	)		T. Aur. Scribonius	)	
Paulinius		38.	L. Lucilius		28.
M. Fadius	)		C. Sentius		27.
Claudius Carus	)	37.	T. Fæsulanus	)	
M. Propetius	)		M. Trojanus	)	
C. Spurius	)	36.	M. Statius	)	25.
Vesvenus Martialis	)		L. Satyrius Clemens	)	
T. Statilius		23.	C. Calvius	)	
P. Ælius	)		C. Herennius	)	24.
C. Commagius	)	22.	M. Valerius		21.
Aur. Restutus		35.	C. Julius		18.

Nec magnam, hæc militum vita brevis (quam passim in saxis militaribus observamus) admirationem afferet scientibus Romanos, non ut hodie eminus balistis igneis, & tormentis bellicis, sed mucronibus, & hastis μονομαχεῖν decertasse.

CAPUT V.

Officia minora, Studia, & Artes.

218.

LENTVLO·ET CORVINO
MESSALA CoS
QVI HOC MONIMENTVM AEDIFICAVERVNT CVM VSTRINA
L·MAELIVS·PAPIA·ET·MAELIA·HILARA·ET·ROCIVS·SVRVS·ET·M·CAESENNIVS ET·FVRIVS
BVCCONIVS·HOC·MONIMENTVM·LIBERTIS·LIBERTABVS·VT·DE NOMINE NON EXEAT
ITA QVI TESTAMENTO SCRIPTI FVERINT
SER·SALVIDIENO·ORFITO·M·PEDVCAEO PRISCINO · CoS
ISLIBERTI·LIBERTORVM AD QVOS EA RES PERTINEBAT·HOC MONIMENTVM NEGLEGENTIAE
CVRATVM POST MVLTIS ANNIS·RESTITVERVNT LOLLIA·APRILIS·EMIT·DE·L·CORNELI
HERMETE·PORI LONE·EIVS
L·MAELIVS·SVCCESSVS. LICTOR·DECV·P·CORNELIVS·HERMES·ADL·
RIALIS
L·MAELIVS·VITALIS M·LOLLIVSESY MAELIA · SYNTYCHE
L·FVRIVS·IANVARIVS CHVSEMIT·DE ROCIA · FORTVNATA
L·OFILIVS·AGATHO·ADL· L·MAELIO SVC ACILIA · SATVRNINA
TI · CLAVDIVS · POLLIO · ADL CESSO PORTIONE EIVS MANLIA·RESTITVTA
L·FLAVIOSILVANO·POLLIONE VERVCOSO COS·ARIA·EMPTA·DE·L·OCTAVIO
SPENDONTE QVAE EST CONTRA EVM MONIMENTVM·QVAE APPELLATVR·VETVRIANA·ET
CAECILIANA·LONGA·P·XXXII·IN·AGRO·P·XXIIIS·L·MAELIVS SVCCESSVS QVI CVM MALIA
SYNTYCHEN·MATRESVA·SEMISSEPORTIONEM.HABEBAT·HVIVSARIAE PERAEQVAVIT
CVM SOCIS SVIS VT OMNIBVS COMMVNISSET·HISQVI·S·S·S·LIBERTIS LIBERTABVSQ
POSTERISQ·EORVM·ITA QVI TESTAMENTOS CRIPTI FVERINT

Marmor hoc nobiliore fortaſſis claſſe erat reponendum : verum cum Conſules fortuito , atque ad enunciandos dumtaxat annos ædificationis , reſtitutioniſque ſepulchri nominentur , inſcriptio vero tota circa res mere ſepulcrales verſetur , hanc heic eſſe collocandam exiſtimavi . Primæ igitur quatuor lineæ ſic legantur

Qui hoc monumentum ædificaverunt cum uſtrina
L. Mælius Papia , & Mælia Hilara , & Rocius
Surus , & M. Cæſennius , & Furius Bucconius , hoc
Monimentum libertis libertabus , ut de nomine non
Exeat , ita qui teſtamento ſcripti fuerint .

Nomina quædam a linea IX. ad XIV. perturbatiſſime inſculpta , ſic extricanda ſunt ; nempe

Is liberti libertorum , ad quos ea res pertinebat hoc monimentum negligentiæ curatum poſt multis annis reſtituerant

L. Mælius Succeſſus lictor Decurialis .
L. Mælius Vitalis ,
L. Furius Januarius .
L. Ofilius Agatho Adlectus ,
P. Cornelius Hermes Adlectus ,
Mælia Syntiche
Rocia Fortunata
Acilia Saturnina
Manlia Reſtituta

Lollia Aprilis *emit de* L. Cornelio Hermete *Adlecto portione ejus ,*

M. Lollius Eſychus *emit de* L. Mælio Succeſſo *portione ejus ,*

Sequentes lineæ ſic explanandæ

Ti. Claudius Pollio Adl.

L. Flavio Silvano Pollione Verrucoso Cos. aria (area) *empta de L. Octavio Spendonte quæ est contra eum monimentum quæ appellatur Veturiana, & Cæciliana longa pedes* XXXII. *in agro pedes* XXXIIIS . *L. Mælius Successus qui cum Mælia* (Mælia) *Syntychen matre sua semisse portionem habebat hujus ariæ* (areæ) *peræquavit cum sociis suis ut omnibus communis set* (sit) *his qui* S. S. S. (supra scripti sunt) *libertis libertabusque posterisque eorum ita qui testamento scripti fuerint*.

LENTVLO ET CORVINO. Horum consulatum incidisse in annum Christi 60. (qui Muratorio est V. C. 812. Panyinio, anonymo Cuspinianæo, atque Petavio 813.) conveniunt fastorum collectores; sed Lentulum consulem dicunt ordinarium; Corvinum vero suffectum Neroni Claudio quarto. Hoc anno Nero, exercendis Romanorum ingeniis certamina quædam poetica, & oratoria instituit, quæ quinquennalia vocavit.

CVM VSTRINA. Locus erat in quo rogus cremando cadaveri struebatur. Dicebatur etiam *ustrinum*, & *uterna*, & aliquando *bustvarium*, ut in opusculo *i Riti funebri di Roma pagana* P.1I. demonstravimus. Vicus Ustrinus, & Ustrinæ publice fuerunt in Esquiliis, ubi ustores comburebant cadavera plebis, quod satis innuit his versibus Horatius lib.1. Sat.8.

Hoc misere plebi stabat commune sepulcrum
Pantolabo scurræ Nomentanoque nepoti.
Mille pedes in fronte, trecentos cippus in agrum
Hic dabat: hæredes monumentum ne sequeretur
Nunc licet Esquiliis habitare salubribus, atque
Aggere in aprico spatiari, quo modo tristes
Albis informem spectabant ossibus agrum.

Qui ergo sepulcrum excitaverant ustrinam quoque illi adhærentem extruxere. Alii contra ustrinam a monumentis summovebant, rejiciebantque his verbis. HVIC MONVMENTO, vel AD HOC MONVMENTVM VSTRINAM APPLICARI NON LICET, uti videre est apud Gruterum p.656. & pag.755.

DE NOMINE NON EXEAT. Hac sæpe formula prohibebatur a testatore monumenti alienatio, atque hereditarium esse declarabatur. Sequentes inscriptiones a præcitato collectore editæ pag.762. rem totam aperient.

M . AVRELIVS . ROMANVS . ET . ANTISTIA
CHRESIME . VXOR . EIVS . FECERVNT . SIBI . ET
LIBERTIS . SVIS . POSTERISQ . EORVM . ITEM
LIBERTIS . LIBERTABVSQ . POSTERISQ : MO
NVMENTVM . CVM . AEDIFICIO . SVPERPOSITO
HOC . AVTEM . MONVMENTVM . CVM . AEDIFICIO
NEQVE . VENIET . NEQVE . DONABITVR . NEQVE
PIGNORI . OBBLIGABITVR . SED . NEC . VLLO . MODO
ALIENABITVR . NE . DE . NOMINE . EXEAT . FAMI
LIAE . SVAE

& pag.947. quidam Marius Felix *monumentum fecit de suo* ita NE VNQVAM DE NOMINE FAMILIAE NOSTRAE HOC MONVMENTVM EXEAT. Cum vero quis sepulcrum sibi faciebat soli arcebatque heredem, hac notissima utebatur formula: HOC MONVMENTVM HEREDEM NON SEQVITVR.

SER . SALVIDIENO. Anonymus CuspiNIANI hæc habet

A . V. 863. CHR.110.
PRISCINA & ORFITO COSS

Hanc secutus est cl.Muratorius consulum seriem; nam in compendiosis ad nostram inscrip-

ſcriptionem adnotationibus, ita ſcribit: in ſeptima linea hujus marmoris habes collegium conſulum, qui hoc anno Ch.110. proceſſere. Reliqui faſtorum reſtitutores hoc anno eoſdem laudant conſules, ſed prænominibus, nominibuſque modo præteritis, modo corruptis. Caſſiodorus CRISPINVS & SOLENVS. Panvinius PRISCINVS & ORFITVS. Petavius CLAVDIVS CRISPINVS, & SOLENVS ORFITVS. Almelovenius CLODIVS CRISPINVS (anagrammatice pro *Priſcinus*) & SOLENVS ORFITVS. Anonymus ut diximus PRISCINA. Lapis igitur Muſei Capitolini (ætate laudatorum virorum nondum effoſſus) quæ iſtorum conſulum prænomina, quæque fuerint nomina liquido oſtendit. Erutus eſt via Appia, teſte Ficoronio, anno 1724. ſub Benedicto PP. XIII.

L. FLAVIO SILVANO. Legendum L.*Flavio Silva Nonio*, & *Pollione Verrucoſo*, qui juxta probabiliorem ſententiam conſulatum inierunt ann. Ch. 81. ut tom. 1. p. 126. adnotavi. Ceteroquin circa iſtorum conſulum prænomina, nomina, atque cognomina multum inter ſe diſſentiunt eruditi. Faſti Græci, & liber Cuſpiniani habent *Silvanum* cum *Pollione*. Caſſiodorus, cui ſubſcripſiſſe videtur Panvinium, *Silvanum*, & *Verum*. Petavius, M. *Plautium Sylvanum*, & M. *Annium Verum Pollionem*. Hiſtoriæ Romanæ Anglicani ſcriptores, *Sextilium Annium Silvanum*, & T. *Annium Verum Pollionem*, M. Aurelii Imp. ut ipſi aſſerunt, avunculum. Almelovenius demum conſules hujus anni dicit M. *Plautium Sylvanum* cum M. *Annio Vero Pollione*, ſed poſtmodum *Aſinium Pollionem Verrucoſum* cum L. *Flavio Silva Nonio Baſſo*: item annum Ch. 81. in primo conſulum elencho comparat cum anno urbis 833. in ſecundo; quem ordine alphabetico congeſſit eumdem comparat annum Ch. 81. cum A. V. 834. In his igitur, attenta ſcriptoris in differendo inconſtantia, minime audiendum Almelovenium autumo.

ADL. Adlectus. Adlecti, Allecti, Adſcriptitii dicebantur, teſte Rhodigino, Dii minorum gentium; illi ſcilicet qui in Deorum numerum tranſcribebantur. Fuere & ſenatores *adlecti*, ideſt uti docet Peverotius *de Mag. Rom.* qui propter inopiam ex equeſtri ordine in ſenatorum numerum ſunt aſſumpti. Item *adlecti* milites, & *adlecti* ſcænici, quorum meminit antiquæ inſcriptionis fragmentum, quod ultra pontem Milvium fortuito repertum tradit Ferretius in Muſ. lap.

ADLECTVS SCAENAE
PARASITVS APOLLINIS

Antiquus vero gloſſematum ſcriptor ap. Calvinum *Lex. jurid.* Allectos interpretatur eſſe logographos, eos ſignificans, qui ſuſcipiendis tributis fiſcalibus allegerentur, ſive, ut ab aliis explicatur, qui acta judicialia exciperent. Ex iſtis fuiſſe tum L. Ofilium Agathonem, tum T. Claudium Pollionem, atque L. Cornelium Hermetem exiſtimo.

PORTIONE EIVS. Partibus, diviſionique ſepulchri hic loquendi modus reſpondet. Sic paſſim in epitaphiis: PARS DIMIDIA *hujus monumenti conceſſa eſt*. Fecerunt *ſibi* IN PARTE DIMIDIA. Fecit *ſibi*, & *viro ſuo* PRO PARTE TERTIA, & ſimilia.

AREA EMPTA. Manlia Reſtituta aream emit de L. Octavio Spendonte longam pedes 32; in agro vero pedes 33. ſemis. Area modo ſolum ſignificat, cui ædificium imponitur, modo ſpatium ante ædificium, quod nos *ſpiazzo*, ſeu *ſpiazzato* patrio ſermone dicimus. In regionibus antiquæ Urbis notæ ſatis erant areæ Capitolinæ, Vaticanæ, Palatinæ, Septimianæ, Radicariæ, Serapidis, Apollinis, Volcani, Mercurii, Piſcinarum publicarum, Galli, Carſuræ, Callidii. Area igitur ſepulcralis ſpatium erat ante monumentum conſiſtens. Falſa itaque, uti ex ſupradictis liquet, eſt Jo. Savaronis in notis ad Sidonium aſſertio, areas nimirum ante ædes Deorum tantummodo conſtitiſſe. Areas immò pro ipſis ſepulchris, aut ſepulturæ loco ſumptas patet ex ethnicorum quadam adverſus Chriſtianos martyres acclamatione hujuſmodi: *Areæ non ſint*, qua acclamantes precabantur, ut areis ſepulturarum carerent Chriſtiani, eorumque cadavera turpi-

piter inhumata jacerent. Audi Tertullianum in lib. ad Scapulam: *Sub Hilariano præside cum de areis nostrarum sepulturarum acclamassent* Areæ non sint, *areæ ipsorum non fuerunt*, *messes enim suas non egerunt*. Hactenus Tertullianus. Quod vero ad areas Veturianam, & Cæcilianam attinet; nemo ex antiquis agri Romani descriptoribus eas indicavit. Denominatio certe a familiis Veturia, & Cæcilia, in quarum fundo ædificatum est monumentum, via Appia, in qua detectum, uti diximus, fuisse asserit Ficoronius.

ESYCHVS. Forte *Hesychius*.

NEGLEGENTIA. Ita inferius lin. 21, SET pro SIT, & in alio Musei nostri saxo INTELLEGES pro INTELLIGES. E pro I usurpatum non a Christianis tantum, uti aliqui putarunt, sed ab Ethnicis quoque reperies. Si enim in Christianis inscriptionibus habetur SEMPLECIA, BIBATES, CVBECVLARIA, anima DVLCES, BENEMERENTESSEMAE, DEPOSETVS, in ethnicis legimus TETVLVM, VERGINIVS, VEAM, VELLAM, FVRCEPE, LEPARENSES, sit tibi terra LEVES pro *Titulum*, *Virginius*, *Viam*, *Villam*, *Furcipe*, *Liparensis*, *Levis*.

MAELIA SYNTYCHE. Ejusdem nominis, ejusdemque cognominis fœminam memorat lapis Gorianus T.I. p.437. L.Mælium Firmum cujusdam Juliæ Proculæ maritum nominat marmor, quod visitur Romæ in ædibus Falconeriis. Mæliam gentem plebejam fuisse reor. Muratorius huic Inscriptioni alteram sociavit, quam in eodem marmore lævorsum extare affirmat, nempe

D . M
M.AVR. AVG.LIB.CELADIANVS
ET.FL. VRBICA.COMPARAVE
RVNT. SIBI.ET.LIB.LIBERTA
BVSQ. POSTERISQ. EORVM
H.M.D.M.A

At imprimis istius inscriptionis autographum in eodem marmore extare aperte nego. Secundò, marmor Capitolinum de quo heic sermo, latera non habet, complanatumque omnino est. Tertiò appendix Muratoriana nil commune habet cum Musei nostri tabula, quam alibi dabimus.

Ex litteris, quibus hæc constat inscriptio quædam rudiuscula sunt, uti E N M T X quæ sic insculptæ in autographo visuntur EN aut N.M.T.X.

219.

M.ANTONIVS
EPAPHRA.OSTOR

OSTOR. Cum vox ista nihil significet, suspicor legendum rectius VSTOR, qui funebre exercebat officium, scilicet rogum parabat, incendebatque, nec non plebis cadavera comburebat. Ustores laudat Catullus canens

Quum devolutum ex igne prosequens panem
Ab semiraso tunderetur ustore

& apud Lucanum

Robora non desint misero, nec sordidus ustor.

220.

MEVIA . T . ET . Q ET
Ɔ . L . CLARA
CN . LICINI . CN . L
PHILOMVS . I . CONCVB

MEVIA. *Mævia.*

T. ET. QET. Siglas iſtas enucleare ſi quis aggrediatur, oleum, & operam perdet.

PHILOMVS I. *Philomuſi* Philomuſus, h. e. Muſarum, & Muſicæ amans.

CONCVB. *Concubina.* Non profecto concubina *fornicaria* (quis enim adeo perfrictæ frontis, ut turpitudinem ſuam palam in epitaphio facere non erubuiſſet?) ſed eo ſenſu quo in ſacris literis concubinæ patriarcharum; illæ ſcilicet, quæ ſecundum legem matrimonii, infra dignitatem tamen uxoris ducuntur. Tria ſunt, inquit Caſaubonus *ad Spartianum in Ælio Vero*, conjunctionis nomina apud juris auctores. *Uxor*, *pellex*, *amica*. Uxor, *ajebat Verus*, nomen eſt dignitatis, non voluptatis. *Pellex* honeſtior eſt quam *amica*, ut quæ accedat proprius ad uxoris naturam: eſt enim παλλακή quaſi legitimæ conjugis dimidium. Attamen apud eoſdem juris conſultos, ea dicebatur concubida, quam quis, non mariti animo, ſed concubitus tantum cauſa, ſine ſtupri tamen crimine flagitiove domi habebat. Eas demum, Ulpiani ætate, ſine metu criminis in concubinatu haberi poterant, in quas ſtuprum non committitur, veluti ſi ingenuam mulierem, honeſto loco natam, & quæ corporis quæſtum non feciſſet, in concubinam duxiſſet. *Concuba* pro concubina hàbet decretum Synodi Sardicenſis *in fragm.* D. Hilarii: *Concubinus* quoque apud Svetonium *in Galba*, ubi de Icelo: *Ferebant in Hiſpania Icelum e veteribus concubinis, de Neronis exitu nuntiantem non modo arctiſſimis oſculis palam exceptum ab eo, ſed ut ſine mora velleretur oratum, atque ſeductum.* Uxori, & Concubinæ commune fuiſſe cum marito ſepulchrum conſtat ex lapide Reineſiano cl.xiv. n.183.

P.CERVONIVS.P.F.MARINVS
TESTAMENTO.FIERI.IVSSIT
SIBI.E.T.CINCIAI.SEX.F.SECVNDAI
VXORI.CILAI.CONCVBINAI.

Ubi Reineſius notavit concubinas uxoribus ſuperinduxiſſe Servilius Rufus, & Decius Heros, libertoſque alios collibertas ſuas pro concubinis habuiſſe. *Quæ quamvis non admitterentur*, inquit eruditiſſimus Petrus Antonius BRASCHIVS *de Fam. Cæſenn.* cap.XVIII. n.19. *ad domeſticam familiæ gubernationem, attamen erant adhuc veræ, ac legitimæ uxores.* Concubinam tamen, ab uxore illa, quæ *uſuraria* dicebatur, parum differre, oſtendit Chriſtianus Ulricus Gruppenius in Tract. de uxore Roman. cap.VI. §.5.

C. TV-

221.

C.TVTILIO HOSTILIANO
PHILOSOPHO STOICO
DOMO CORTONA
PATRI OPTIMO
C.TVTILIVS IVSTVS
FILIVS
TVTILIA QVINTA
TVTILIA QVARTA
FILIAE

STOICO. A στοα: ita appellabatur quædam Athenienſis urbis porticus, ubi philoſophi ſpatiabantur; vocabantur etiam ποικίλη ob rerum picturarumque varietatem. Ibi Zeno Stoicorum princeps ſua dogmata diſcipulis tradebat, qui poſtea *Stoici* dicti ſunt. Horum philoſophiam merito deridet Lactantius *inſtit.* lib.III. cap.15. Hominem Deo quam ſimillimum faciebant, quapropter ſuperbiæ, quæ omnes homines ex natura corrupta vexat, vires, & incrementa addidere. Stoicorum enim SAPIENS, divinus erat, uno minor Jove, ſolus fortis, liber, dives, pulcher, honoratus, magnus, perfectus, rex regum, falli ac fallere neſcius, peccatis animique perturbationibus immunis. Vid. Th. Stanlejum in *hiſt. philoſoph.* P.VII. cap.15. Hanc igitur philoſophiam profeſſus eſt Cortonenſis hic noſter C. Tutilius Hoſtilianus. familiæ Tutiliæ, quæ licet plebeja, illuſtris admodum fuit, complura extant monumenta, præſertim penes antiquorum lapidum collectores. Lapis, teſte Nicolao Vagnuccio detectus eſt anno 1727. extra portam quam *Majorem* vocant, via Labicana.

222.

DIIS MANIBVS
TI.CLAVDII QVIR
ALEXANDRI
PHILOSOPHI STOICI
BACCHILVS ET
::AMBROTVS LIB
PATRONO
BENEMERENTI

STOICI. En alium, ex tribu vero Quirina, Tutilii Hoſtiliani conſectaneum. Miratur Muratorius, quod in antiquis lapidibus nulla ſectarum mentio reperiatur, niſi Stoicorum, & Epicureorum. At nil mirandum, cum apud Romanos, ut ipſe egregius vir ſcite docet, præſtaret Stoicorum diſciplina, potiſſimum imperante M. Aurelio ejuſdem ſectæ alumno. Præſtabat & Epicurea, cujus placitis utpote humanis cupiditatibus (ob fraudem, qua interpretabantur) omnino ſecundis, Romani, præſertim ditiores, libentiſ-

tiſſime aſſentiebant. Neque tamen cenſendum eſt veteres Romanos (præſertim qui generis nobilitate cæteris antecedebant) Pythagoræ, Socratis, Platonis, & Ariſtotelis philoſophiam contempſiſſe. Vnus tantummodo perſonatus Trimalcio Mæcenatianus ſe nullum audiviſſe philoſophum jactabat, uti ex quodam Petronii fragmento in Dalmatia reperto, atque a Reineſio cl. VI. colligitur.

223.

ALCIMIADES
PVBLICVS
MINICIANVS
V.A.XXXV
VALVRIA. ⌶OSIME
CONIVGI.B.M.F

MINICIANVS. Servus *Minicianus*, qui nimirum plebi, teſſeras frumentarias leviore pretio diſtribuebat, ſingulis menſibus, & quoties Imperatores frumentum populo pro congiario donabant. Diſtributio fiebat juxta porticum, quam *Miniciam* appellabant a quodam *Minicio* extructam. Hinc Apulejus: *alius ad Miniciam frumentatum venit*. Curatorem aquarum, & *Miniciæ* memorat lapis Muratorianus; Procuratorem *Miniciæ*, & Rationalem *Miniciæ*, Gruterianus. Et apud Mazzochium p. 106. M. *Aurelium Pavonium* habemus CONSVLARVM AQVARVM ET MINICIAE. Miniciam portam (a cujuſdam Minicii, quem Deum putabant, ſacello dictam) nominat Feſtus. Porticum vero in nona urbis regione ad circum Flaminium ſitam fuiſſe colligitur ex Victoris, & Rufi urbis deſcriptionibus. Lampridius tamen *Minutia* ſcribit pro *Minicia*; ſic in Commodo cap: 16. *Herculis ſignum*, inquit, *ſudavit in Minutia per plures dies*. Victor & Rufus legunt *Mimitia*: attamen qui vetuſtorum lapidum authoritatem, codicum teſtimonio anteponunt. *Miniciam*, & *Miniclanum* ſcribendum eſſe exiſtimabunt.

PVBLICVS. Ita in autographo: corrigatur ergo Muratorius qui repudiato emendatiſſimo Joſephi Ramagini exemplo, RVSTICVS poſuit pro PVBLICVS.

⌶OSIME. Quamvis barbara hæc nota ⌶ non magis indicet litteram T quam I, Muratorius tamen TOSIME ſcripſit: ego vero potius IOSIME aut ZOSIME legendum puto; ita in collectaneis Ælia Zoſime, Aquilia Zoſime, Julia Zoſime, Claudia, & Crania Zoſime.

224.

C.IVLIVS.EVXINVS
MEDICVS
EX HORTIS
SALLVSTIANIS
VIXIT ANNIS.LXXX

IVLIA.C.L
CRATA
VIX.A.LVI

MEDICVS. De medicis, deque medicinæ fortuna vide tom.I. cap.III. num. 121. Heic obiter notandum mulieres tum Græcas, tum Romanas, laudabili sane morum honestate præditas, diu *Medicarum*, non vero *Medicorum* ope usos fuisse. Medicas quippe servas nonnullas recensuit diligentissimus Volfius, nimirum Juliam Sabinam, Liviam Helpidem, Leopardam, Salvianam, Polydamnam, Laidem, Victoriam, Olympiam, Majam, Salomniam, Minucciam, Spendusam, Ociroen, Flaviam Hedoniam, Sentiam Helidem, Valeriam Verecundam, Secundam Livillam, Venulejam. De Minerva medica mentionem faciunt lapides. His vero diebus ne una quidem fœmina medicinam exercens reperiretur, præter obstetrices, quas brevi medici, atque chirurgi è puerperarum primi subsellii ædibus ejicent.

EX HORTIS SALLVSTIANIS. Sub Quirinali inter pomerium, & Tiburti villam (ab ædibus scilicet D. Susannæ, Verospiorum vineam usque) hortos extitisse Sallustianos, communis fere opinio est. Magnifica ibi porticus fuit Miliarensis dicta, quam Aurelianus qui, teste Vopisco, secessu illorum hortorum mire delectabatur, exornavit. Hos *primus in historia* Crispus Sallustius ingenti ære conlato emit, excoluitque post præturam Africanam, ibique templum Veneri Sallustianæ excitavit.

225.

DIS MANIB
TI.CLAVDIVS.BLAS
TVS.MEDICVS.H.C.EST
CLAVDIA.NICE.PATRONO b M
ET AIbVCCIVS MAXIMVS.S.P.S.F

H. C. *Hic conditus est*. b M. *Benemerent*; b parvum in aliis inscriptionibus observavimus. Apud Fabrettum

AVRELIAE bICTORIAE
QVAE. bIXIT. ANNVM

& apud Gorium

PROT. CAb

AIBVCCIVS. S. P. S. F. Æbuccius *sua pecunia sibi fecit*; aut *sibi posterisque suis fecit*.

226.

TI . CLAVD.·.·.
.·.·.MEDICO·.·.·
.·.·ARIO . VIX.·.·.
...·.C . COCCEIA.·.·
SVO

:·.ARIO . Medico *Auriculario* ut in Museo Veron. pag.275.

D . M
T . AELIVS . AMINTAS
AVG . LIB . MEDICVS
AVRICVLARIVS &c.

aut *Oculario* . Medicos *ocularios* , sive *ab oculis* , qui scilicet oculorum infirmitates curabant , commemorant lapides apud Ulpium *in tab.Antiat.* pag.19.

TI LIRIVS TI CAESARIS
AVG SER CELADIANVS
MEDICVS OCVLARIVS
PIVS PARENTIVM sic SVORVM

& ibid.

P . ATTIVS ATIMETVS AVG MEDICVS
AB OCVL

Medicos enim chirurgiam quoque exercuisse , ex sequenti apud Pignorium *de Serv.* colligitur .

CHRESTAE CONSERVAE ET CONIVGI
CELADVS ANTINOVS DRVSI
MEDICVS CHIRVRG

alter apud Gruterum pag.400.

P . DECIMVS . P . F . EROS
MERVLA MEDICVS
CLINICVS CHIRVRGVS
OCVLARIVS . VI . VIR

Ocularii quoque medici dicebantur ii , qui oculos in statuis , cum excidissent , insana quidem superstitione , reponebant : hinc *oculorum repositores* . Audi Plutarcum in opusc. *de Pythiæ orac.* interprete Xilandro Augustano . *Ego similium memoriam casuum renovavi qualis est , quod oculi è statua Hieronis Spartiatæ exciderunt , antequam ille ad Leuctra occubuit* . Adi Sponium *in Miscell. crud. antiq.* apud quem

M . RVPILIVS SERAPIO HIC
AB ARA MARMOREA
OCVLOS REPOSVIT STATVIS
QVO AD VIXIT BENE

Medicos tandem clinicos a lecto nuncupatos , quod scilicet lectos ægrotantium circumirent , præter lapides laudat Martialis l.1.

Nuper erat medicus , nunc est vespillo Diaulus
Cæpit quo poterat clinicus esse modo .

227.

ELEVTHERIS	MLIVIVS
LIVIAE . L	LIVIAE L
	ORESTES SVPMED

ELEVTHERIS . Vel *Eleutherius* , idest *ingenuus* , *liberalis* : sic *Eleutheropæs* , cui liberi sunt filii , & *Eleutheria* festa servorum , & eorum epulæ lætiores in libertate ; item festa Eroti , seu amori dicata .

SVP

SVPMED. Supra Medicos, qui ſcilicet ceteris Auguſtæ domus medicis præerat, quaſi archiater, *Protomedico* quicquid de archiatris Auguſtorum ſenſerit Fabrettius. Medicæ hujus dignitatis mentionem faciunt lapides nonnulli, quorum unum accipe ex Muratorianis excerptum pag.939.

A. ATIVS. C. L. ARCHIATER
SIBI. ET. IVLIAE. PRIMAE
CONIVGI. INCOMPARABILI

Gorius ſcribit

M. LIVIVS
LIVIAE. L. ORESTES
SVPRA. MED

In autographo MLIVIVS, & SVPMED.

228.

D. M.
DEXSTRI CAESARIS SERVO
DIAETARCHO DOMVS AVG.
TREBONIA LAVDIC. E. FEC.
CONIV. B. M. CVM DVABVS FILIS
FORTVNATA ET FELICE

DIAETARCHO. *Diæta*, quæ & *Zeta* cænaculum erat, in quo æſtivo tempore ad umbram, hyemali ad ſolem cænare veteres inſtituerunt, quod & *cænatio dicebatur*, & *cænatiuncula*. Sidonius Apollinaris lib.II. ep.2. *A cripto porticu in hyemale triclinium venitur ... ex hoc triclinio fit in diætam, ſive in cænatiunculam tranſitus*. Vide Plinium lib.II. ep.17. Diætis autem varia nomina imponi a veteribus ſolebant: ita M. Antonius diætam vere regiam, quam Alexandriæ extruxerat, *Timonion* denominabat; Lucullus ſuam, *Apollineam*, a qua tritiſſimum illud *in Apolline cænare*: Claudius, *Hermeum*: Alexander Severus, *Mammæam*. Diætam denique pellicum cum gynæceo laudat Plutarcus *in Poplic.* Διαιτάρχης igitur aut diætarius, & zeotarius dicebatur non is, qui in cænationibus miniſtrabat, uti aſſerit T. Popma, ſed qui his diætis præerat; ſic unius xiſti, ſeu gymnaſii præfectum, *Xiſtarcham* appellabant. Hodie autem vox iſta (Italice *diæta*) ſignificationem habet longe ab antiqua diverſam; nam *fare*, aut *ſtare a dieta*, nobis eſt *cibo uti parciſſimo*, *& ſimpliciſſimo*. Fuit & *Diætarchus Navarchus*, cujus meminit lapis Gudianus pag.218. hujuſmodi

DIS MANIB SACR
M. LVCCEIVS M. L. ANTIMACHVS
DIAETARIVS NAVARCHVS

Is navis cuſtos erat. *ſunt quidam*, inquit Ulpianus, *in navibus, qui cuſtodiæ gratia in navibus preponuntur* ναυφύλακες *& diætarii*. Vide quæ de zeta, & zetario ad Hieronymum Fabrum ſcripſit Antonius Velſerus.

LAVDIC. E. *Laudice*. FILIS pro *filiis*: ſic inferius FILIS DVLCISSIMIS; in Muſeo Veron. pag.275. IEXI CONIVGI ET FIIS. LIBVSQVE, & in noſtris, FILIBVS. pro *filiabus*.

APOL-

229.

APOLLONIVS
NEGOTIATOR . VAX

Apollonius Negotiator *vixit annos decem*: manifeſtum eſt annorum ætatis numerum erroneum eſſe: quibus enim negotiis, puer decennis vacare poterat?

NEGOTIATOR. Sicut negotiatio a mercatura, ita negotiatores a mercatoribus differebant. Iſti ad Janum geminum ſtabant; unde Horatius ſat. lib.II. 3.

—— Poſtquam omnis res mea Janum
Ad medium fracta eſt, aliena negotia curo,
Excuſſus propriis.

& epiſt. lib.1.

O cives, cives, quærenda pecunia primum eſt
Virtus poſt nummos. Hæc Janus ſummus ab imo
Perdocet; hæc recinunt juvenes dictata ſeneſque.

Illi vero in baſilicis teſte Vitruvio lib.v. ubi monet baſilicarum loca adjuncta foris, quam calidiſſimis eſſe partibus conſtituenda, ut per hyemem ſine moleſtia tempeſtatum ſe conferre in eas negotiatores poſſint. Negotiatores autem Ærarii & Ferrarii, Magnarii, Sagarii, Lignarii, Vinarii, Salſarii, Seplaſiarii, Olearii, Materiarii, Siricarii, Macellarii, Proſsarii, Perticarii, Boarii, Pullarii, Frumentarii nominantur in antiquis ſaxis. Ex quibus fuerit Apollonius lapis non innuit, quod profecto parum refert.

230.

V . L . HOSTILIVS . L . L . AMPHIO
FABER LECTARIVS
AB . CLOCA MAXIMA . SIBI . ET
⊙ L . HOSTILIO . PAMPHILO . PATRONO . ET
HOSTILIAE BASSAE CONLIBERTAE
VIX . A . XXXV . ET . SVIS

LECTARIVS. Cum fabrorum lectariorum nec ſcriptores, nec lexicographi, neque marmora meminerint, cenſebam hic pro *lectarius* legendum *lecticarius*. Qui enim CLOCA ſcripſerat pro CLOACA, potuit æque LECTARIVS inſculpere pro LECTICARIVS. Revera corpus lecticariorum, quorum quidam lecticas faciebant, quidam geſtabant, Romæ extitiſse ſi quis ignorat, ex ſequenti diſcat inſcriptione a T. Popma edita

TI . CLAVDIO
AAG . LIB
TIGRANO
EX . CORPORE
LECTICARIORVM CAESARIS
VIX . ANNIS . LXXXV . M . LICINIVS
ATIMETVS . ET . SEXTIA . FELIX .
BENEMERENTI POSVERVNT

Ita, inquam, cenſebam: at in cl. Muratorii obſequium ſententiam ſequar, qua is de le-

lectorum, sive cubilium artifice hic agi arbitratur. Ceterum lectos archiacos, cubiculares, tricliniares, funebres, ferreos, pensiles, geniales identidem nominant Romanæ supellectilis scriptores.

AB CLOCA MAXIMA. Cloacæ maximæ, quæ adhuc Romæ visitur ad D. Georgii in Velabro, author fuit Tarquinius Superbus. Hanc Livius *receptaculum* dicit *omnium purgamentorum Urbis*. lib. 1. cap. 56. Cassiodorus in Var. *Tantum*, inquit, *visentibus contulit Cloaca maxima stuporem, ut aliarum civitatum posset superare miracula*. Veneris hinc Cluacinæ signum aut templum, a Tatio rege constructum, laudant Plautus, Livius, Ovidius, aliique. Juxta hanc cloacam (ingratum sane naribus domicilium) L. Hostilius Amphio sibi victum manuum labore quærebat.

V. In prima linea ante prænomen, Hostilium Amphionem enunciat adhuc viventem. Theta vero in quarta, Hostilium Pamphilum defunctum indicat. Inscriptionem hanc *Ficoronius* CLEMENTI PP. XII. vendidit; CLEMENS, Museo Capitolino donavit. Notatu profecto dignum est laudatum Ficoronium inscriptionem istam Muratorio misisse emendatissimam, ipsum vero in opere cui titulus *le vestigia di Roma ant.* lib. 1. cap. 4. nonnullis refertam erroribus edidisse.

231.

L. MARCIVS . L . L
ANTHVS . LANARI:::
DE SVBVRA

LANARI. *Lanarius*, idest qui lanam vendebat, vel qui faciebat. Arcas Jovis ex Callisto filius omnium primus civibus suis, qui postea Arcades dicti sunt, lanam parare, diducere, atque digitis figurare demonstravit; qua propter divini illi honores decreti fuere. Honestissimæ olim matronæ lanam pertractare, nereque haud dedignabantur. Scriptura sacra *Mulierem fortem* illam appellavit, quæ *lanam, & linum* quærit, & operatur *consilio manuum suarum*. Immo quia lanam facere proprium fœminarum erat, in pelle *lanata* nova nupta, apud Romanos considebat, atque ad fores sponsi lanæ frustulum suspendebat. Hinc epitaphium

HOC EST SEPVLCRVM HAVD PVLCRVM
PVLCRAI FOEMINAE
DOMVM SERVAVIT
LANAM FECIT

Hinc mulierum manus *lanificas* dixit Ausonius parental. XVI. 3.

Cujus si probitas, si forma, & fama fidesque
Morigeræ uxoris lanificæque manus.

Cum igitur lanificium, seu lanas operari magis fœminarum proprium esset, censeo hunc L. Marcium negotiatorem fuisse lanarium, aut lanarium pectinarium, qui scilicet lanas pecteret, aut demum lanarium coactiliarium, idest qui coactilia faceret. Pectinarios lanarios, & coactiliarios nominant lapides: adi Salmasium in exerc. Bayfium, Ferrarium de re vestiaria lib. 1. cap. 18.

DE SVBVRA. Perperam quidam, inter quos Pancirolus, Pitiscus, Juvencius, duplici R *Suburra*, & *Suburranus*. Vicus erat prius, teste Verrio *Succusanus* a pago *Succusano* dictus: verum sub Servio Tullo regionem quartam *Suburanam* appellatam fuisse,

se, auctores sunt Dionysius, & Plinius. Ibi res ad victum necessariæ, vendebantur: unde Martialis lib. VII.

Quidquid villicus Umber, aut colonus,
Aut rus marmore tertio notatum,
Aut Tusci tibi, Tusculique mittunt,
Id tota mihi nascitur Subura.

ex ejusdem poetæ versibus colligitur hunc Urbis locum lenones, atque meretrices habitasse: canit enim lib. VI.

Famæ non nimium bonæ puellam
Quales in medio sedent Subura
Vendebat modo præco Gellianus.
Parvo cum pretio diu liceret
Dum puram cupit approbare cunctis
Attraxit prope se manu negantem.

idem ex anonymo vate apud Georgium Fabricium p. 83.

Nota Suburanas inter Theletusa puellas
Utputa de quæstu libera facta suo.

De antiquo, deque hodierno Suburæ situ adi Borricchium, Panvinium, Donatum, Nardinium, qui de hoc fuse disseruerunt. Hinc tribus *Suburana*, forum, mons, & clivus *Suburanus*, quo è Subura in Esquilinum ibatur. Martialis lib. v.

Alta Suburani vincenda est semita clivi,
Et nunquam sicco sordida saxa gradu.

232.

P. CVRIVS
EVPOR
TIBIARIVS. DESACRAVIA

EVPOR. Forte Euporianus, ut in tabula Antiatina *Tector Euporianus*; Euporia *progressum expeditum* significat.

TIBIARIVS. Tibiarios a tubicinibus, ita tibia a tuba diferre demonstravimus tom. I. ad inscript. 70. Tibiarum usum fuisse apud Romanos frequentissimum neminem latet. Quo vero eventu, disciplina tibiis canendi apud Athenienses desita sit, recitat Gellius N. A. lib. XV. cap. 17. Diversa tibiarum epitheta referunt qui musica veterum instrumenta recensuere. *Multiforatiles* memorant Apulejus, & Sidonius. *Apertas* Quinctilianus. *Assas & milvinas* Festus. *Convivales* Ælianus. *Dextras & sinistras* Plinius junior. *Funereas* Statius. *Nuptiales* Ovidius. *Lydias* Solinus. *Militares* Dionysius, & Polybius. *Phrygias* Nonnius, atque Propertius: *Præcentorias* Turnebus, & Salmasius. *Puellatorias* Bartholinus. *Pythicas* Pollux. *Ludicras* Cicero. *Gingrinas* Hesychius. *Longas, pares, impares, perfectas, sacrificas*, plerique rerum Romanarum scriptores.

DESACRAVIA. *De sacra via*, juxta quam P. Curius tibias faciebat, vendebatque: in hac enim via propter frequentiam res viles vænibant, ut poma, flabella, tesseræ, tali, uti testantur Varro, Ovidius, aliique. Hac Urbis via ibatur in Palatium, & Capitolium, per eam triumphalis quæque pompa procedebat. Quoad denominationem discrepant auctores; quidam *sacram* dictam fuisse opinantur, quod in ea fœdus olim sanxerant Romulus & Tatius; quidam vero quod per eam sacra in arcem Capitolinam ferebantur. Sunt qui *sacra via* scribendum esse contendunt, non *via sacra*; at redundant pro utraque sententia apud latinos scriptores exempla. Unum laudabo disertissimum vatem Horatium qui sat. lib. I. cecinit

Ibam forte via sacra

& Epod. od. VII.

Sacra contentus via.

Hac una tantum ratione ductus *sacram viam* potius, quam *viam sacram* scribendum esse censerem, quia scilicet, Festo authore, qui hanc habitabant *Sacravienses* dicebantur.

A.AL-

233.

A. ALBIVS. A. D. L. ANVBIO VASC:::
SIBI. ET LIBERTIS
LIBERTABVS

VASC.·.· *Vascularius*, ideſt qui ſcyphos, aliaque ex auro vel argento vaſcula facit, aut vaſa Corinthia, quibus Romani ad inſaniam, ut innuit Cicero in *Parad.* delectabantur. P. Clodii Didæ, & L. Mælii vaſculariorum epitaphia retulit Mazzochius p. 103. & 160.

ANVBIO. Cognomen ab *Anubi* Ægyptiorum numine, vel a quadam herba, quam Plinius *conizam*, Joſ. Laurentius in Amalth. Onomaſt. *Anubiam* appellant. Lapidem invenit extra portam, quam dicunt *Maggiore*, Nic. *la Piccola* anno 1775. in prædio, quod vulgò dicitur *Salonæ*.

234.

BI MA
::.::NITOR HARPASTVS VATES
CRAFICVS IVDEX

BI MA. *Bi Ma* pro *Di Ma* (Diis manibus) error eſt quadratarii.

HARPASTVS. Nomen, aut cognomen ab Harpaſto, quod pila erat parva ex corio ſic dicta ex eo, quod ludentes alter alteri pilam pulvere aſperſam raperet. Martial. lib. 7.

Non harpaſta vagus pulverulenta rapit.

V. Bulengerum de *Ludis vet.* cap. IX.

VATES. Modo *Poeta* eſt. Poetæ enim Muſarum interpretes ſunt atque miniſtri: unde *ſacros* Horatius vates appellat Carm. l. IV.

ſed omnes illacrymabiles
Urgentur, ignotique longa
Nocte, carent quia Vate ſacro.

ita Ovidius eleganter

At ſacri vates, & Divum cura vocamur
Sunt etiam qui nos Numen habere putant.

modo chreſmologus ſive fatidicus quaſi propheta uti Sybilla Cumæa quam ideo *Vatem* nominavit Virgilius lib. VI. v. 65.

tuque o ſanctiſſima Vates
Præſcia Venturi.

Et inf. v. 77.

At Phœbi nondum patiens, immanis in antro
Bacchatur vates

aliquando ὑμνῳδός, qui *hymnos canit*. Ex his fuere quidam in Saliorum ſacerdotio inferiores miniſtri. Tria enim in ſaliatu munera diſtinguit Capitolinus in *Antonino*, de quo hæc: *in Saliatu nomen accæpit imperii ... fuit in eo ſacerdotio & præſul & vates & magiſter.*

CRAFICVS. Forte *Graphicus*, h.e. homo *ad unguem factus*. Ita apud Gruterum M. *Varenius Graphicus*.

IVDEX. *Judex* & *Arbiter* quomodo differant, docet Sigonius *de Jud.* lib. 1. cap. 21. Hunc pariter lapidem laudatus *la Piccola* eodem anno, eodemque loco invenit.

HVIC

235.

HVIC
MONIMENTO ITER
ADITVS . AMBITVS . DEBETVR
EX SENTENTIA . EROTIS . AVGL.
IVDICIS . AVIA . CAMPANA
PVBLICA . DEXTROSVS . ITER
MACERIEM . CALAMIANAM
ET . INSVLAM . EVCARPIANAM
PER LATITVDINEM . PEDES . DVOS
SEMIS . VSQVE . ADHOC
MONVMENTVM ET . HINC
PER CIRCVITVM . TOTIVS
MONVMENTI VSQVE IN VIA
QVAE DVCIT . IN AGRO . ITEM
IDEM . MONVMENTI . ITER
ADITVS . DEBETVR . HINC
SECVNDVM . MONVMENT.
VM . AFINIA ETYCHES ET.
INDE SECVNDVM MACERIEM
EVCARPIANAM . INOVASOLIA
SVNT . EI IN DERECTO .... D
VIAM PVBLICAM ....

MONIMENTO. *Monumentum* dicimus & *monimentum*: sed & *munimentus* apud Manutium in ortograph. HIC. MVNIMENTVS. HEREDEM. NON. SEQVITVR. *A monendo* prætereuntes, mortem, ut inquit Horatius, ultimam lineam rerum esse.

Hanc puto veriorem hujus vocabuli etymologiam, quam Menandri fragmento confirmare juvat.

Cum scire voles qualis sis
Intuere in monumenta, quando iter facis;
Ibi insunt ossa, & levis pulvis
Regum, & tyrannorum, & sapientium,
Et superbientium genere, & divitiis,
Gloriaque sua, & pulchritudine corporis;
Sed nihil horum sustinuit vim temporis
Communes inferos habuerunt omnes mortales
Ad hæc respiciens intellige quinam sis.

ITER ADITVS AMBITVS. *Iter*, seu *itus*, in sepulcralibus, est viculus, ubi via non esset apertus, per quem ad monumentum itur. *Aditus*, locus monumento proximus, qui aliquando pro janua ponitur. *Ambitus*, ipsius monumenti circuitus. Hæc respondere censeo tritæ illi formulæ IN FRONTE PEDES.... IN AGRO PEDES... Cum enim sepulchra communiter secus vias publicas ædificarentur in agrorum limitibus, viam versus, ut prætereuntibus legi titulus posset, frontispicium collocare solebant. Audiatur T. Lollius Masculus, cujus inscriptio in Taurinensis archigymnasii porticu extat,

T. LOLLIVS . T . L .
MASCVLVS

IIIIII. VIR
BODINCOMAGENSIS sic
POSITVS PROPTERVIAM
VT DICANT PRAETERIENTES. sic
LOLLI VALE

Tanta fuit apud Romanos ſepulchrorum cura, ut in venditione agrorum jus *itus*, & *aditus* ad tumulum penes venditorem remaneret, tantum ſcilicet agri, quantum adeundo ſepulchro ſatis eſſet, unde Pomponius JC. L. S. ff. de ſepul. viol. *Dominus fundorum, in quibus ſepulchra fecerint, etiam poſt venditos fundos adeundorum ſepulchrorum jus eſt*. Qui igitur in agri venditione jus itus, & aditus ad tumulum ob inopiam rei domeſticæ amiſiſſet, infeliciſſimus æſtimabatur, qui vero religionis contemptu, nequiſſimus. Merito itaque M. Tullius in *Orat. pro* Sex. Roſcio Amerino, M. Roſcium vituperat nefariumque prædonem appellat, quod cum Sexti prædia Cryſogoni nomine invaderet, ne aditus quidem ei ad patrium ſepulchrum reliquiſſet. *Quod ſi nulla via ſit ad ſepulchrum* (inquit Gutherius de J. M. *lib*.III. cap.XII.) *iter quod non debetur, vicinus præſtare cogitur, & ſi a vicino id prohibebatur, Imp. Antoninus cum patre reſcripſit, iter ad ſepulchrum peti precario, & concedi ſolere, ut quoties debetur, impetretur ab eo, qui fundum habet conjunctum*. Summo idcirco probro, ac turpitudini erat libertis, quoties ab eorum dominorum ſepulchro propter crimina excluderentur. Inſcriptio legitur apud Fabrettum p.148. in qua a M. Æmilio Artemate jus ſepulchri conceditur libertis, libertabuſque EXCEPTO HERMETI LIB. cui negantur PROPTER DELICTA SVA ADITVS, AMBITVS, & ACCESSVS IN MONVMENTO. Sic apud Briſſonium de *formulis lib*.VII. *cap*.183. C. Cæcilius Felix & C. Cæcilius Urbicus, *locum .... concameratum parietibus, & pila comprehenſis .... conſecrarunt ſibi, & libertis, libertabuſque* EXCEPTA SECVNDINA LIBERTA IMPIA ADVERSVS CAECILIVM FELICEM *patronum ſuum*.

DEBETVR. Spectat forte ad eamdem Aſiniam Tychetem, de qua in fine: verum inſcriptio nimis corrupta eſt.

EX SENTENTIA EROTIS. Quo jure Auguſti libertus de re ſepulchrali ſententiam tuliſſet, ignoro: non equidem augurali, neque pontificio, augurum ſcilicet, vel pontificum, quorum erat ſepulchri locum areæque ſpatium aſſignare.

IVDEX. *Judex* hic fortaſſe pro æſtimatore, aut arbitro, conſenſu litigatorum electo, aut ab augure, vel pontifice delegato, ut de hoc negotio cognoſceret.

A VIA CAMPANA: quæ & conſularis, ducebatque a porta Cœlimontana, per Latium, Cumas uſque. De Marco Braſsæo viæ Campanæ curatore, meminit vetus lapis apud Georgium Fabricium. Conſtat igitur Aſiniæ Tychetis monumentum extitiſse extra portam Cœlimontanam, aliquando Aſinariam, hodie Sancti Joannis. Non omittenda tamen fundi cujuſdam Eucarpiani via Labicana ſiti mentio quæ eſt in inſcriptione apud Boſium

SET · QVA
TTVOR · VNCI
AS FVNDI · EVCARPI
ANI QVOD EST CONSTI
TVM IVXTA SCM · CYPRIAN
VM VIA LABICANA INTERA
FFINES FVNDIC APITINIANI
IVRIS · SCE ECCL · ROM · SE
D ET FVNDI FLAVIANI ·
IVRIS PVBLICI IVXTA
SABINIANVM
EXPLICIT ·

MACERIAM, & maceriem, Maceries, murus ex lapidum congerie, ſine intrita, quo ſepulchrorum areæ claudebantur. Dicebatur quoque *Macereola*, ſeu *Maceriola*. Sponius in miſcell.

HIC LOCVS
MACEREOLA CLVSVS
AD FAMILIAM MESSIANAM
ET CLODIANAM PERTINET

INSVLAM. Vox iſta non ſemper ſignificat terram aquis undique clauſam, ſed quandoque domum ab aliis prorſus ſeparatam.

tam. *Casa isolata*: apud Muratorium p.610. INCENDIVM . IN . CAELIOLO . INSVLAE . DVAE . ABSVMPTAE . SOLO . TENVS . quod inutile erat indicare in titulo sepulchrali, cum fere omnia antiquorum sepulchra, a nullo alio contingerentur ædificio, uti notavit Muratorius ad inscriptionem in qua Aurelius Hermas *Heroum maceria cinctum*. CVM CVPERFICIO INSVLA COMPARAVIT. cl. xi. p.889.

CALAMIANAM ET EVCARPIANAM. Denominatas a *Calamo*, & *Eucarpo*, quę cognomina sunt, & aliquando nomina, sæpe numero lapidibus memorata. T.Flavius Eucarpus (*bene fructificans*) Q. Corn. Eucarpus, M. Aquilius Eucarpus, M. Virgilius Eucarpus, C. Julius Eucarpus apud Sponium, & Castalionem, Antæus Calamus, C. Cæcilius Calamus apud Muratorium. Nec obstat quod *Calamus*, & *Eucarpus* sint cognomina, nam ut ait Macrobius *Saturn.* lib. I. cap. VI. aliquando ex cognominibus nata sunt nomina, contraque cognomina ex propriis nominibus, ut ab Æmilio *Æmilianus*, a Servilio *Servilianus*, a Cornelio *Cornelianus*, quibus subdit *non aliter dicti Scipiones, nisi quod Cornelius, qui patrem luminibus carentem pro baculo regebat* Scipio *cognominatus nomen ex cognomine posteris dedit*. Eodem modo ex *prætextato* puero Papirio, *Prætextatorum* familiæ nomen ortum est. His adde CALAMVM in aliquibus tabulis nomen fuisse, non cognomentum. *Calamum*, cum cognomine, exhibet Liviæ Columbarium. CALAMVS PAMPHILIANVS. villicus ex hortis Lollianis. *Calamum*, nullum habentem prænomen, nullumque cognomen, legimus in ejusdem columbarii marmore CALAMVS LIVIAE DISP. Ita CALAMVS CONSERV. in Muratoriana PEDES DVOS SEMIS. In signandis monumentorum pedibus, & mensuris adeo diligentes fuere antiqui, ut uncias ipsas plerique in titulis signare non prætermitterent. Sic in inscriptione a Cupero, *Hist. trium Gordian.* producta legitur. INFR. P. XXS. IN AGR. P. XXV. S. hoc est *viginti semis*, & *vigintiquinque semis*.

INOVASOLIA. *In qua ollæ sunt*. earum numerus desideratur.

AFFINIAETYCHES. *Affiniæ Tycheti*, seu *Tycheni*. Nomen latinum cum græco cognomine sociatum: Tyche una fuit ex quatuor partibus urbis Syracusanæ a nobili Fortunæ templo dicta: *tyche* enim græcis, latinis *Fortuna* est.

236.

TI. CLAVDIO AVG. L
DIOSCORO A CENA
CENTVRIONVM
TESTAMENTO
POSVERVNT
EVARISTVS. ET. THALAMVS
CONLIBERTO. B. M.

A CENA CENTVRIONVM. Unicum hunc esse lapidem, in quo de munere *a cena centurionum* sit sermo pro certo habeo. Miror etiam Rosinum, Lazium, Pitiscum, & Bulengerum, qui innumera fere Romanarum cænarum genera, appellationesque incredibili diligentia recensuerunt, de cæna centurionum ne verbum quidem fecisse; quod manifeste probat marmor istud Capitolinum egregiis iis viris fuisse prorsus ignotum. Vignolius de primicerio cenariorum hic agi opinabatur: verum primicerium cenariorum inter domus Augustæ servos nunquam audivi. Marmor insuper cujus testimonio nititur Vignolius, nempe

HIC.

HIC . IACET . NOMINE . MATRONA . C . F . IN . PACE
VXOR CORNELI . PRIMICERI . CENARIORVM

ad Chriſtianam mulierem pertinere haud temere arbitror. Rectius igitur cl. Muratorius munus illius ſervi, qui *a cena centurionum* vocabatur, fuiſse exiſtimavit *cænam curare præbendam centurionibus, iis nimirum, qui diem ſuum obibant in cuſtodia principis, & palatii*: hæc ille; cænam curare, inquam, non prandium, nam compertum eſt veteres largiter lauteque cænare, parciſſime vero prandere ſolitos. Immo Servius in uſu apud veteres non fuiſse prandia docet *Æn. lib.4.* & Iſidorus *Etym.* lib.II. cap.20. *Eſt autem cæna*, inquit, *veſpertinus cibus, quam veſpertinam* (Veſpernam alii ſcribunt) *antiqui dicebant; in uſu enim non erant prandia*. Notandum CENA abſque diphtongo; ita in alia, quam retuli tom.1. ſub num.128. CENIS *omnibus*, quod Manutii ſtatutum de arcenda ab hac voce diphtongo ratum fecit. Ego tamen communiorem ortographiam ſum ſecutus.

237.

D M
GALERIAE CLAVDIAE
QVAE VIX . AN . XVII .
P M
GALERIVS
ANTHOPHORVS
AVG . LIB . ADIVTOR
ALAGONA . LIB . ET
CONIVGI . B . M . ET . SIBI .
PoSTERISQVE SVIS

P M. *plus minus*: ſiglæ etenim P M non in Chriſtianis tantum monumentis, ut quidam arbitrantur, ſed & in ethnicis repeciuntur, quod videre eſt apud Reineſium, & Gruterum. Meæ tamen interpretationi obſtat, quod hic ſiglæ iſtæ inſculptæ ſint poſt annorum numerum, quod fateor me nunquam alibi notaſſe, ſed conſtanter VIX - P. M. ANNOS &c. neque explicari poſſunt (id porrò aliquando licet) *poſt mortem*; nam ridiculum nimis foret aſſerere Galeriam Claudiam vixiſse *poſt mortem* annos XVII.?

ANTOPHORVS. *Anthephoria*, vel *Antheſphoria* feſta erant Proſerpinæ ita dicta, quod eam, Pluto, legendis floribus intentam, rapuerit.

ADIVTOR. De adjutorum officio ſatis *in not.* ad inſcript.71.

ALAGONA. In inſcriptione quæ adhuc duplicata extat prope Marchionis Spadæ ædes ad D. Mariæ *della Quercia*, legimus

M . VLPIO . AVG . LIB . PHAEDIMO
DIVI . TRAIANI . AVG . A . POTIONE
ITEM A LAGVNA . ET . TRICLINARCH
&c.

ſed optime Muratorius (in alia quam vulgavit p.918. A LAGENA ſcribi debuiſſe aſſerit, utpote præcedenti officio, a POTIONE, omnino conſentaneum. Lagena enim vas erat vinarium, Italice *Fiaſco*, & *Damigiana*; ſed apud antiquos ex radicum filis tum fici, tum ſylveſtrium a montanis factum. *E quibus*, inquit Plinius, *montani prætenuia fila decerpentes, ſpectabiles lagenas, & alia vaſa nectunt*. Hos veteres diligenter obſignaviſſe tradit Cicero, in Fam. lib.XVI. ep.26. *Sicut* olim

olim Matrem meam facere memini, quæ lagenas etiam inanes obsignabat, ne dicerentur inanes fuisse quæ furtim essent exsiccatæ. Petronius Arbiter *Satyr.* cap.XXXIV. *Statim allatæ sunt amphoræ diligenter gypsatæ, quarum in cervicibus pittacia erant affixa cum hoc titulo* FALERNVM. OPIMIANVM. ANNORVM. CENTVM. Galerius igitur Antophorus adjutor erat *a lagena*: ita servi alii erant *a potione*, alii *a corinthiis*, alii *a cyatho*, alii *a gemma potoria*, alii demum *ad pocula*, omnes, nimirum, mensæ pocillatores.

238.

C . IVLIVS . AVG . LIBERTI
LIBERTVS . EROS .
PISToR . CANDIDARIVS
PER . ANNOS . QVOS . INTER
MORTALIS . FVIT . ANTE . EVM . DIEM
QVI . FVIT . VI . IDVS . MAI . VIXIT
ANNOS . L . HVIVS . SACRAVIT .
IVLIA . CLAPHYRA . COLLIBERTA
ET . PRAESTITIT . OFFICIA
MI.AEMILIO.LEPIDO.T.STATILIO.TAVRO.CO

Plurimis refertum vitiis est marmor istud, quod emendare æque difficile, & inutile. Respuendus forsitan est genitivus ille *liberti*, atque legendum C. *Julius Augusti libertus Eros*, sicuti apud Gruterium in alia Julii Erotis inscriptione

C . IVLIVS
AVG . L . EROS

& in Columbario servorum domus Augusti

C . IVLIO . EROTI

PISToRI . CANDIDARIO . Romæ *Pistores non fuerunt*, ait Plinius lib.XVIII. cap.XI., *ad Persicum usque bellum*. Pistorum corpus, h. e. sodalitium nominat vetustus Mazzochianus lapis pag.21.

ANNONAE . SACTAE *sanctæ*
HAELIVS . VITALIO . MENSOR . PERPETVVS
CORPORIS . PISTORVM . SILIGINARIORVM
D D

immo vero collegium Romæ habuisse pistores ex lapidibus, atque ex tertio Digestorum colligitur; firmatum a Trajano, docet Sex. Aur. Victor *de Cæsaribus*. Pistoris cujusdam Magnarii lapis repertus est anno 1773. in cœnobio vulgo *le Vipereschè*.

DIS . MANIBVS
M . IVNI . PVDENTIS
PISTORI . MAGNARIO . PERSIANO
CLAVDIA . EARINE
CONIVGI . CARISSIMO . ET . SIBI . FECIT
CVM . QVO . VIXIT . A . VIRGINITATE . ANNIS . XXXV
SINE . VLLO . DOLORE . NISI . DIEM . MORTIS . EIVS . ET
LIBERTIS . LIBERTABVSQVE . POSTERISQVE . EORVM

At

At de hac inſcriptione (ex qua non levis oborta eſt inter antiquarios dimicatio) perlege eruditiſſimi Matthiæ Zarilli *epiſtolam* ad cl. Domin. Jordanum Patriarcham Antiochenum ; *Romanas literatorum Ephem.* A. 1773. N. XXI. ; *Cenſuram* laconici cujuſdam anonymi, ac tandem, adverſus eumdem, eruditiſſimi Cajetani Migliore *curas poſteriores*, laudato Antiochiæ Patriarchæ nuncupatas. Id tantum animadvertam, a nonnullis ſcilicet PEPSIANO legi pro PERSIANO.

De Piſtoribus autem Dulciariis, Panchraſtariis, Bellariis, Placentariis, Lactariis, Libariis, & allegorice apud Plautum, Cruſtulariis, Turdentanis, Ficedulenſibus, uberrimè diſſeruere lexicographi, & poetarum, nec non hiſtoricorum, Philologorumque interpretes : verum, de Candidariis nemo. Mea igitur ſententia piſtores iſti, ii fuere, qui panem candidum conficiebant (*Fornari di pane bianco*). Eo enim pacto quo pane hordeaceo, & ſiligineo, & aliquando fuſco, ſeu nigro veſcebantur tenuiores, ita divites ex triticea farina, qua candidiſſimi efficiuntur, panes habuiſſe non dubito. Athenæus convivium Atticum deſcribit in *Deipnoſoph.* lib. III. ubi commemorat panes λευκότεροι χίονος, h. e. *candidiores, albiores nive*. Antiphanes *in Omphale*, apud eumdem

Aliquando poterit ex hoc tecto efferre pedem,
Panes cum cernit hos corpore candidos,
Furnum circumdantes &c.

Præterea, candidum panem antiquis in deliciis fuiſſe (quod haud notavit Chriſtianus Franc. Paulinus, qui tamen *de omnigeno candore* opuſculum edidit) ſummamque in concinnandis panibus diligentiam adhibuiſſe, omnes fere nationes, patet ex Ariſtotile in *Probl. ſect.* 21. ex Luciano in libello *de Merc. ſervient.* ex Athenæo *Deipnoſoph.* lib. III., atque ex D. Hieronymo in *Epiſt. ad Nepotianum*. Panes depictos (uti illi qui ſenis *Panpepati* ; Romæ *Pangiallo*, vocantur) inſcriptos, exornatos, inter Herculanii ruinas, inventos aſſerit clariſſimus Martorellius in ſua *Theca calamaria*. At quod de Græcis indubitatum eſt, de Romanis quis negabit ? Nunquid Romani, tam in iis quæ ad victus elegantiam ſpectarent, quam in rebus omnibus convivalibus, præſertim frumentariis, minus Græcis diligentes fuere ? Equidem me neſcire fateor an ab aliquo, inter tot rerum Romanarum ſcriptores, Romani panis albedo commemoretur. Plinius tamen ex Sophocle, Italicum triticum a candore collaudat : at de miro Romanorum ſtudio in pane conficiendo teſtes adſunt Plautus, Plinius, Varro, Pomponius Comicus, Caſſiodorus, Raderus, aliique. Igitur candido, immo vero candidiſſimo pane Romanos uſos eſſe, ideoque piſtores candidarios aluiſſe, pro certo habeo, adſcriptoſque inter ſervos potiſſimum domus Auguſtæ.

In candidariorum piſtorum tutela prorſus fuit templum *Jovi Piſtori* in Tarpeio monte a Quiritibus excitatum, in quo aram, hancque *candidam* conſtruxiſſe narrat, his non ſane fortuitis verſiculis, accuratiſſimus faſtorum interpres Ovidius

——————— *hoſte repulſo*
Candida Piſtori ponitur Ara Jovi.

Plinius, uti diximus, affirmare non dubitavit piſtores, ad Perſicum uſque bellum Romæ non fuiſſe. Verum nonnè Plinianis verbis, aperte contradicunt quæ de Jove Piſtore attulimus ? Nonnè *candida* huic Jovi ara poſita fuit ann. CCXXI. ante bellum Perſicum ? Panem inſuper conficere, opus mulierum fuiſse ait, ſed ſi muliebre opus, cur ara Jovi, ſcilicet numini mari, quin potius, ut par erat, fœminæ ? Romani profecto, quoties muliebrem virtutem vel ædibus, vel aris, ſignisve honorare conſtituerant, ea conſtanter numini fæminæ dicabant. Sic, cum obſidentibus Gallis ann. V. C. 363. Arcem Capitolinam, ex capillis mulierum tormenta feciſsent (Veget. de R. M. lib. 4.) non Jovi neque Mercurio, ſed Veneri, quam deinceps *Calvam* cognominarunt, ædem in Foro extruxerunt. Sic, pacato precibus, fletuque Veturiæ atque Volumniæ, M. Coriolano, non Janum, non Martem, non Herculem, ſed Fortunam muliebrem coluere, eique templum via Latina ædificare ſatagerunt. Vid. Dionyſ. *l. b.* 8. Plut. *in Coriol.* Inſuper panem con-

conficere, opus fuiſse mulierum, domi, aut in officinis furnariis, non nego; in piſtrinis vero triviſse frumentum, atque machinas molendinarias evolviſse, nimis a ratione mihi alienum videtur; idque operam, officiumque fuiſſe virorum cenſeo. Piſtores demum nominat Varro; piſtores, Plautus; qui ante bellum Perſicum ſcripſit, quique piſtor fuit, atque in piſtrinis molas truſalites, ſive manuales circumagebat, teſte ex A. Gellio lib.III., Crinito lib.I. Sane ſi eſt præbenda fides Martino Lipenio *in Stren. hiſt.* ap. Grævium Tom.XII. piſtores Romæ adfuiſſe tempore, quo Galli-Sennones in Capitolium irruebant, negari nequit. En ejus verba. *Jovem potiſſimum colebant piſtores* (& Veſtam: vide Fabrettum in explic. tabellæ Iliadis) *ideoque Ara Jovi Piſtori extabat Romæ, quod piſtores in quiete monuiſſet, ut ex omni frumento, quod haberent panem facerent, & in hoſtium, ſcilicet Gallorum, caſtra jactarent.* Hæc Lipenius, aliique ex Ovidio, & Lactantio: ſed Poetam ipſum audiamus in Faſtis VI. ita loquentem

Cuncta præmebantur trucibus Capitolia Gallis
Fecerat obſidio jam diuturna famem.
. . . .
Publica, reſpondit, cura eſt pro mœnibus iſtis
Jupiter & pœnas Gallia victa dabit.
Tu modo, quæ deſunt fruges, ſupereſſe putentur
Effice. . . . .
. . . .
. . . . *jaciunt cerealia dona,*
Tacta ſuper galeas ſcutaque longa ſonant,
Poſſe fame vinci ſpes excidit: hoſte repulſo
Candida Piſtori ponitur ara Jovi.

Hæc diu ante bellum adverſus Perſeum obtigiſſe, nemo eſt qui neſciat. Hujus Jovis Piſtoris ſignum, illud eſſe plerique exiſtimarunt, quod ſub Marforii nomine, ad Clementini fontis ornatum extat in Muſeo Capitolino, quodque rectius Naronis, aut Rheni ſimulacrum fuiſſe autumant alii ex Strabone, atque Ptolemæo. Revera conchyliatam Coloſſi dextram, oſque barbatum, ſymbolica fluviorum eſſe numinum ſigna negari nequit. Baſis præterea, ſeu grabatum ſimulacro ſuppoſitum (quod coliphiis, vel panibus in unum congeſtis, Marforiani, diſpoſitum credunt), ſcopulorum, aut potius fluminis alvei inconſtantiam manifeſte præfigurat. Oceanum tamen repræſentare, validis probant argumentis doctiſſimi Muſei noſtri ſtatuarum collectores tom.I.

HVIVS SACRAVIT. Neceſſario ſupplendum *manibus* h.e. Julia Claphyra *manibus hujus*, ſcilicet *Julii*, ſacravit.

PRAESTITIT OFFICIA. Cineres, & oſſa colligere, in urna, aut olla condere, liquores infundere, ſpargere flores, ponere titulum, hæc & ſimilia facere, *defunctis officia præſtare* dicebatur.

M. AEMILIO LEPIDO. Conſulatum M. Æmilii Lepidi, & T. Statilii Tauri anno V. C. 763. aſſignat Almelovenius; 764. Petavius. Inſcriptio unica eſt iſta, quæ Piſtoris Candidarii mentionem faciat, ab Antonio Boldetto jam ante tranſcripta (*in obſerv. cœmit.martyr.* lib.I. cap.39.) ex quo diſcimus eam reperiſſe equitem Hieronymum Odam, in ſuo, prope Caſtrum Gandulphi, ſuburbano. Poſtremo notandum iſtius inſcriptionis litt. E. F. T. conſtanter ſignari

MI. M. MV. *Marcus*, ut in Odericiana M. ACILIVS, *Marcus Acilius*-

AN-

239.

ANTHIS . ORNATRIX
AN. XII. FILIA
ANTONIA L. ERONIS

ORNATRIX. De Ornatricibus opusculum nuperrime edidi Neapoli, cujus adversus specimen, jam antea sub titulo *Disertazione Tusculana &c.* Romæ vulgatum, frustra mimicas quasdam blateravit nugas homo quidam inverecundus patrii Galathæi antagonista, reique publicæ litterariæ grassator, qui in suis Florentinis *liter. Ephemer.* Num. IX. 28. Febr. 1772. meam, quam nunquam viderat (aut sane dormitando) dissertationem, inurbane, immo rustice, futilitate notavit. Ceterum ornatrices puellas eas dicit Titus Popma, quæ mulieribus comas exornabant. Ornatricis officium, hæc exhibet picturata Musei Herculanensis tabula



Erant, & ornatrices *a Tutulo*, ornatrices *Auriculæ* ornatrices *Galeæ*. De his, vide si vacat, ac bona Florentini ardelionis venia laudatum opusculum, quidque de eo ephemeridarum Pisanarum auctores tom. 22. pronuncient.

240.

IVNONI
DORCADIS
IVLIE AVGVSTAE . L
VERNAE . CAPRENSIS
ORNATRICIS
LYCASTVS . CONLIBERTVS
ROGATOR . CONIVGI
CARISSIMAE . SIBI

Quamvis primo hoc marmor ad Jovis uxorem ſpectare videatur, nomen tamen ornatricis fuiſſe cenſeo, in quo quadratarius litteram S ſuperaddidit, fecitque genitivum quod dativum debuerat, ideſt *Junoni Dorcadi*: nominativus ſane eſt *Dorcas*, uti apud Reineſium *Gavia Dorcas*. Superius tamen notavimus aliquando Romanos litteram S eliſiſſe: ita in marmore Vulpiano cujuſdam Valeriæ Capriolæ nomen atque cognomen tertio pariter caſu poſita ſic reperiuntur inſcripta. VALERIES CAPRIOLAES. Ceterum tam viros quam fœminas modo ex Diis, modo ex Deabus quandoque cognomina deſumpſiſſe, colligitur ex vetuſtis lapidibus in quibus Julius *Phœbus*, Paulus *Silvanus*, Luſcius *Mercurius*, Trebius *Venerius*, Julius *Eventus*, Papirius *Apollonius*, Junius *Palladius*, Terrentius *Saturninus*, Julius *Cerealis*, Attius *Neptunalis*; & inter fœminas Julia *Flora*, Aurelia *Lucina*, Lucia *Hygia*, Flavia *Nemeſis*, Helvia *Venerea*, Valeria *Phœbas*, Claudia *Palladia*, Ingenua *Seraphas*, immo Claudia *Panthæa*. At nomen Dearum ſibi pro nomine impoſuiſſe, unicam hanc ornatricem credo, quæ non Deæ tantummodo, ſed ipſius Dearum reginæ nomen ſibi adſciſcere non erubuit.

DORCADIS. *Dorcadi* uti diximus. Dorcas *capram ſilveſtrem* ſignificat, quod nomen alludit patriæ: Caprenſis enim fuit ornatrix noſtra, nimirum ex Caprea, nunc *Capri* maris Neapolitani inſula, quam arcanæ Tiberii obſcænitates famoſam fecerunt.

VERNAE. qui in villis Dominorum ortum habebant *Vernæ* dicebantur: unde Martialis figurate libellos, quos domi exaraverat *Vernulas* vocabat. Fœminas quoque eodemque ſenſu *Vernas* appellatas probat præter hunc lapis alter ex noſtris, in quo ALEXANDRIA VERNA nominatur: hinc, laxiore tamen ſignificatione, *vernilitas* ſive adulatio & *verniliter* quidpiam dicere, *adulatorie* dicere eſt. V. Horat. lib. II. Sat. 6.

CAPRENSIS. *Caprenſi*. ORNATRICIS. *Ornatrici*.

ROGATOR. *Rogatores* dicebantur tam in comitiis centuriatis, quam in tributis ii, qui ciſtam deferebant, in quam tabellas ſuffragiorum populus conjiciebat. Item ii qui dominum aut dominam vel pro clientibus, vel pro iis, qui eum aut eam adire cupiebant; ii demum, qui alios rogabant de his quæ dominus, ſive domina volebat.

241.

GEMINA . L . AVGVSTAE
ORNATRIX
IRENE . L . SVAE . DAT . OLLA

L. AVGVSTAE. *Liviæ* Auguſtæ, non *Libertæ*: quomodo enim Gemina hæc liberta fuiſſet Auguſtæ ſimul, & Irenetis? Nomen tamen Liviæ per compendiariam notam L. ſcriptum, mihi omnino novum.

OLLA. Dat *ollam*, ſive *ollaria*. Omiſſam M quarto caſu ſæpe reperimus: ſic infra IN VNA, pro *in unam*; & alibi OLLA EIVS SI QVIS OVVIOLAVERIT, pro *ollam ejus*.

242.

PSMATAE FVRIAE
ORNATRIX VAXIIT
MITHRODATES PISTOR
::LACCI THORI. FECIT

VAXIIX. Vixit annos octodecim.

Mithrodatis externum nomen, externum piſtorem indicat: cum enim diverſis panis ſpeciebus Romani veſcerentur uti Gallico, Alexandrino, Bœotico, Thebaico, Parthico &c. non incredibile videtur Mithrodatem hunc noſtrum Romam petiiſſe, ut ibi piſtoriam exerceret artem. Verum de hoc adi eruditiſſimum Cajetanum Migliore in prælaudata nuper epiſtola.

::LACCI THORI. Piſtor *Flacci Thori*.

243.

AVCTA
LIVIAE
ORNATRIX

244.



D . M .
TELESPHORIDI .
VIX.ANN.XXV.M.III.D.XI
DOMITIAE .
DOMITIANI.
ORNATRICI .
THEOPOMPVS
CONIVGI . SVAE .

DOMITIAE, Domitiæ Longinæ Corbulonis filiæ, Domitiani Imp. uxoris, quam Domitianus ipse priori marito L. Ælio Lamiæ rapuerat, quamque postea, amore Paridis insanientem, repudiavit, ac denique resumpsit, uti narrat Svetonius. Puncta heic in fine linearum sunt observanda, quod in saxis diligenter insculptis, aut nunquam, aut perraro notavimus.

245.

IRENIO ABORNA::::
:::INTINVNA . CENESIM
VENER . ET . ALCISTVM . F

ABORNA:·. *Ab ornamentis*. Irenionis officium fuisse ornamenta curare ad mundum muliebrem spectantia asserit Gorius. Verum cum in marmore neque vir nominetur, neque mulier, incertum adhuc est an Irenio ornamentorum curator fuerit Augustæ, vel Augusti. Imperatoribus enim quosdam *ornatores* addictos fuisse a nemine ignoratur. Nos certe lapides Cæsarum *ornatores* commemorantes retulimus in opusculo de ornatricibus. *Felicem* immo quemdam *ab ornamentis* Cæsaris *libertum*, exhibet ipse Gorius sub num. CIV.

:.·INTINVNA. Male ap. laudatum virum

INT . IN . VNA . GENESIM

recte vero *intulit in unam ollam*, ut in alia apud eumdem

OSSA . IN . VNO

hoc est sepulchro. Irenio ergo filiorum suorum CENESIS (sic) *Veneris* aut *Veneriæ*, & *Alcisti cineres*, intulit in unam ollam, sive urnam.

VA-

246.

VALERIA · HILARIA
NVTRIX
OCTAVIAE · CAESARIS · AVGVSTI
HIC · REQVIESCIT · CVM
T · CLAVDIO · FRVCTO · VIRO
SVO · CARISSIMO
TI . CLAVDIVS . PRIMVS . ET . TI . CLAVDIVS ASSER
BENEMERENTIBVS . FECERVNT

Matres ipsæ antiquis temporibus liberos lactabant, immo reginæ, & nobilissimæ, inquit Tacitus, vel quisquis sit auctor dialogi de *orat.* cap. 28. Sic Jacobus Claudius in Dissert. *de Nutricibus* apud Polenum tom. III. pag. 422. *Jamprimum*, ait, *filii ex casta parente nati, non in cella emptæ nutricis, sed gremio, & sinu matris educabantur, cujus præcipue laus erat tueri domum, & inservire liberis*. Ast postmodum fœminis mercede conductis, liberos lactandos tradere pessima fuit omnium ætatum, omniumque fere nationum consuetudo, Deos ipsos nutrices habuisse liquet ex priscorum mythographorum scriptis, qui Jovi duas nutrices apposuerunt, *Idam*, & *Adrasteam*: Junoni unam, idest *Eubœam*: Apollini duas, *Veritatem*, & *Corythalciam*: Baccho plures. Frustra Phavorinus apud Gellium N. A. lib. XII. cap. I. nitidissima oratione nobilem suasit mulierem, ut liberos quos peperisset, suo sibi lacte aleret. Frustra ad id quoque sui ævi fœminas hortabatur Plutarchus, cujus ne pigeat sententiam audire. *Matres ipsæ* (ait is in opusc. *de lib. educ.*) *nutrire infantes atque lactare debent: majore enim cum affectu animi alent eos, majoreque studio, utpote intime, & a teneris, quod ajunt unguiculis diligentes. Nutricum enim amor subdititius, atque adscititius est, utpote mercedis gratia diligentium. Sed & ipsa natura docet ipsis matribus lactandam, atque alendam esse suam prolem; ideo cuivis animali parienti alimentum lactis suppeditavit, ac plane sapiens est Providentia, quæ bina mulieri ubera dedit, ut etiam si gemellos partu edidisset, uterque haberet alimenti sui fontem*. Verum a fœminis, potissimum nobilioribus, hoc prudentissimum licet consilium, tum Plutarchi ævo contemptum fuisse, tum nostro (vel ob prætensam corporis invaletudinem, vel quia ad novæ sobolis procreationem festinant) posthaberi, nemo est qui ignoret. Ipsas revera matres liberos lactare suos adeo rarum, ut quidam Crescens ap. cl. Passioneum censuerit, genetricis suæ Liciniæ Procesæ memoriam esse posteritati tradendam, præsertim quod ei non mater tantum, sed nutrix fuisset.

LICINIAE sic
PROCESSAE
MATRI . PIAE
NVTRICI . DVL
CISSIMAE . CRES
CENS . FECIT

& perspicuus apud Gruterum p. 617. inscriptionem aliam legimus, quam Smetius in porticu SS. Joannis, & Paulli se vidisse asserit.

GRAXIAE ALEXANDRIA
INSIGNIS . EXEMPLI . AC . PVDICITIAE
QVAE . ETIAM . FILIOS . SVOS . PROPRIIS
VBERIBVS . EDVCAVIT
PVDENS . AVG . LIB . MARITVS
MERENTI . VIX . ANN . XXIV . M . XII . D . XVI

Fides

Fides sit penes Smetium. Itaque nutricum mentio in lapidibus non infrequens, in quibus nomina habentur servorum, ancillarumque, quarum curæ tradebantur filii: hinc *nutritius*, nutricis vir, *nutritor*, *mamma*, *tata*, *gerula* quæ infantes gestabat, *baiulus*, *cunarius*, *cunaria*, *educator*, *collacteus*, *collactaneus*. Valeria igitur Hilaria, *Octaviæ* nutrix fuit; ita *Asinia Hostilia* Agrippinæ nutrix, *Ecloga*, & *Alexandria* Neronis nutrices, *Crispina* duorum senatorum nutrix, *Arruntia*, *Cleopatra*, *Callia*, *Erasena*, *Manilia Secunda*, nutrices apud Svetonium, & in saxis Reinesii, Gorii, atque Maffeii.

OCTAVIAE. *Minoris*, quæ Augusti soror, M. Antonii vero uxor fuit, a quo, Cleopatræ illecebris insaniente, domo pulsa est, quamvis ætate forsan formaque, moribus certe, barbaræ illi reginæ longe anteponenda. Hæc Virgilium, Vitruvium, aliosque doctissimos sui ævi viros coluit, suaque impensa in Marcelli honorem bibliothecam condidit. Dimissam, Augustus maximo in honore habuit, duas ejus nomine porticus consecravit, & templa porticibus inclusa, forumque *Octaviæ* dictum, quorum vestigia inter S. Nicolaum *in carcere*, & S. Mariam *in porticu*, vidit Gregorius Fabricius p. 172. Eam denique vita functam ann. V. C. 744. in Julii sacrario funebri oratione idem Augustus laudavit.

HIC REQVIESCIT. Formulam hanc frequentissime in christianorum epitaphiis, in titulis vero ethnicorum perraro notavi.

BENEMERENTIBVS. Apud Gruterum p. 642. BENEVOLENTIBVS. Inscriptionem nostram retulit etiam Muratorius, sed omisso ASSER T. Claudii congnomine.

247.

D . M
VOLVMNIAE
DYNAMIDI
VOLVMNIA
C . F . PROCLA
NVTRICI
ASSAE . ET
LIB . V . A . CV

248.

ASINIA
CRISPINA
C . F .
ASINIAE VICTORIAE
NVTRICI MERENTI

NVTRICI ASSAE. *Assa* vocabatur nutrix, quæ ob papillarum siccitatem lac infantibus præstare nequibat, sed tantum diligentiam, & munditiam adhibere. Hæc profecto est antiquissimi scholiastis interpretatio ad illud Juvenalis sat. XIV.

Hoc monstrant vetulæ pueris repentibus assæ.

In glossis vocatur τροφός. De Assa hæc Nonius: *Assas nutrices difficiles multi existimant intellectus. At vero acri intentione potuimus indagare ob eam proprietatem officii eo nomine nuncupari, quod assint iis, quos nutriant, nec vel exiguo divellantur.* Ut ut res sit, certe Volumniam hanc Dynamidem, quam memorat saxum, cum annum ætatis suæ centesimum quintum attigisset, ne guttam quidem lactis Volumniæ Proclæ præstare potuisse manifestum est.

CHIAE

249.

CHIAE
ANTONIAE DRVSI
VNCTRIC

CHIAE. Nomen a candore, ut *Chia terra*, ideſt albida, ſeu cinerea: ita *Chione* ſcortum apud Juvenalem ſat.III. a nivis candore. De his tum apud Græcos, tum apud Latinos nominum atque cognominum alluſionibus, adi Chriſtoph. Voſſium in not. ad Libanii epiſt. XXXVIII., Bailletum, Menagium, Barthium, Morinum &c. Cæcilia Chia, C. Terentii Anterotis uxor nominatur in marmore Gruteri p.642.

Muratorius more ſuo, Chiam hanc non *untricem*, ſed *nutricem* facit Antoniæ Druſi: ſcribit enim p.892.

CHIAE
ANTONIAE DRVSI NVTRIX

ANTONIAE. Antonia minor, M. Antonii, & Octaviæ filia, Neronis Claudii Druſi uxor, Germanici Cæſaris, Tiberii Claudii Imp., & Liviæ Druſillæ mater. Hæc vidua apud Liviam ſocrum vixit, apud quam diutius vixiſset, ſi nunquam Cajum Caligulam, a quo ad mortem nequiter compulſa eſt, peccantem objurgaſset.

Servorum hujuſce Antoniæ Druſi crebra eſt mentio in ſaxis Reineſii: ita *Celadus* Antoniæ Druſi DISP. *Calamus* Antoniæ Druſi SERVVS. *Dorio* Antoniæ Druſi TOPIARIVS. *Quartilla* Antoniæ Druſi LIBERTA, & apud Gorium *Liarus* Antoniæ Druſi Glaber a CYATHO.

VNCTRIC. Unctrix, quæ ſcilicet Antoniam è balneo ſurgentem inungebat, quemadmodum Liviam Auguſtam quædam Calene, cujus meminit Olla inſcripta in Liviæ columbario: nam ſicut domini unctores viros habebant, ita dominæ unctrices fæminas, ſervas nempe, ſive ancillas infimi ſubſellii. Qui enim *tergunt*, inquit Cicero *in parad.* qui *ungunt*, qui *verrunt*, qui *ſpargunt non honeſtiſſimum locum ſervitutis tenent*. Morem ungendi corpus antiquiſſimum eſse, atque fœminis familiarem liquet ex pluribus ſacrarum litterarum locis, potiſſimum ex illo *Eſth.*II. 12. quem jam *in opuſc. de ornatricibus* §. XXVIII. retulimus. *Cum autem veniſſet tempus ſingularum per ordinem puellarum, ut intrarent ad regem, expletis omnibus, quæ ad cultum muliebrem pertinebant, menſis duodecimus vertebatur: ita dumtaxat, ut ſex menſibus oleo ungerentur myrrhino, & aliis ſex quibuſdam pigmentis, & aromatibus uterentur*. Cubile itidem unguentis aliquando adſpergere conſuevíſse fœminas colligitur ex impudentis adulteræ verbis, quæ habentur *Prov.*VII. 16. 17. *Intexui*, inquit, *funibus lectulum meum, ſtravi tapetibus pictis ex Ægypto. Aſperſi cubile meum myrrha, & aloe, & cinnamomo*: quæ verba de ipſis unguentis intelligit doctiſſimus Salazar p.517., nam floribus, & foliis lectorum ſtragula quandoque infarciri ſolebant, nonnunquam etiam unguentis imbui, ut idem probavit ex illis *Cant.*I. 16. verbis: *lectulus noſter floridus*. Plinius meminit unguenti odoratiſſimi ex cinnamomo confecti, quo lectum perfuderat, fortaſse meretrix. Nec diſpari luxu etiam veſtimenta unguentorum odore fragrabant, quod innuit locus ille *Pſalm.*XLIV. 9. 10. *Myrrha, & gutta, & caſia a veſtimentis tuis a domibus eburneis* (quidam *Gynæcea* intelligunt, alii *thecas* unguentarias) *ex quibus delectaverunt te filiæ regum in honore tuo*. Revera mundo muliebri contineri ſpecula, pyxides, & unguenta ex multis conſtat ſcriptoribus. Hinc Jul. Paulus *recept. ſent. ad Fil.* l.3. *tit.6. Mundo muliebri legato ea cedunt, per quæ mundior mulier lautiorque efficitur, veluti ſpeculum, conchæ, ſituli; item buxides*, (ſic libri veteres) *unguenta, & vaſa in quibus ea ſunt, item*

ſella balnearis , *& cætera ejuſmodi* . Dominæ igitur odoratiſſimis oleis , ſuccis , & ſpumis inungere membra , brachia præſertim , manus , digitos , collum , aliquando crura , officium erat ancillarum , quæ ideo *unctrices* vocabantur . Capillos ipſos *myrrha* madidos facere ſuetas ætate ſua fœminas tradit Propertius *lib.*1. *El.*1.

Quid juvat Orontea crines perfundere myrrha ?


amomo vero Sidonius , Carm. lib.II.

——— *odorifero crinis madefactus amomo* ,

Verum quæ quantaque fuerit Romanarum fœminarum cura in membris lavandis ungendiſque , diſcimus ex Plauti Pœnulo Act.I. ubi quædam Adelphaſia ingenue fatetur *fœminis ullam ornandi ſatis eſſe ſetietatem* .

... *nam nos* (inquit) *uſque ab aurora* , *ad hoc quod diei eſt*
Ex induſtria ambæ nunquam conceſſavimus .
Lavari atque fricari , *aut tergeri* , *aut ornarier* ,
Poliri , *expoliri* , *pingi* , *fingi* , *& binæ una ſingulis*
Quæ datæ nobis ancillæ , *eæ nos lavando* , *eluendo operam*
Dederunt ; *ab gerundaque aqua ſunt viri defeſſi duo* .
. . . .
. . . . *in omni ætate* , *ſemper*
Ornantur , *lavantur* , *tergentur* , *poliuntur* : *poſtremo modus*
Muliebris nullus eſt ; *neque unquam lavando* , *& fricando*
Sumus ſaturæ .

Hæ autem quas *Unctrices* latine nominavimus , græce *Aliptæ* vocabantur , ex quibus fortaſſe *Creſcentia* illa , cujus nomen cum Chriſti monogrammate , in ſtrigilis ligula argentea inſcriptum vidit , in muſeo Lælii Paſqualinii , Pignorius , & eſt hujuſmodi



Strigilis enim inſtrumentum erat aliptarum , quo ſudor , ſordeſque è corpore ſe ſe lavantis dominæ abradebant . Ancillarum ergo nutricum opera utebantur honeſte matronæ ; quare Alcimum Avitum lib.VI. cap.22. ita de Suſanna quæ (Dan.XIII.) *ingreſſa* ... *cum duabus puellis voluitque lavari in pomario ceciniſſe* notavit Joan. Lamius *de erud. apoſtol.* cap. V.

Ecce autem viridis per mollia gramina luci
Suſanna ingreditur , *famulis comitata duabus*
Quas ſmigma atque oleum jubet ad ſe adferre , *foraſque*
Deſtinat imprudens .

HE-

250.

HELICO
AD VNG::::
FRVCTVS

251.

CALENE
LIVIAE VNCTRIX

AD VNG:.:. Sic in autographo; non ad VNC uti apud Gorium. Unguentarius dominum ungebat; qui vero *ab unguentis* appellabatur, unguenta custodiebat, & ministrabat. D unguentariis jam satis in primo volumine ad inscriptionem 78. Gorius marmor exhibet læva parte abrasa; at in Capitolino nulla apparet litterarum abrasio.

252.

DIS . MANIB
CAELIAE MAR
CELLAE . VIX
ANN . XXXII.
M . VII . MAR
TIALIS . EPHIBI
CAESARIS CON
IVGI . BENE
MERENTI

EPHIBI. *Ephebi*; ideſt adoleſcentes, ſeu pueri; *adoleſcentia* enim, inquit Donatus, *eſt extrema pueritiæ*. Virgilius

Tum mihi prima genas veſtibat flora juventa

Dicti ſunt ephebi ab *Ephebeo*, qui juxta Philandrum in Vitruv. locus erat in quo puberes exercebantur. Horum ludos identidem ſpectaſse Auguſtum tradit Svetonius in vita ejuſdem, cap. 98. ubi hæc: *ſpectavit aſſidue & exercentes ephebos* ... *Iiſdem etiam epulum in conſpectu ſuo præbuit permiſſa, immo exacta jocandi licentia, diripiendique pomorum, & obſoniorum rerumque miſſilia*. Noſtris quoque temporibus ephebi ex nobilioribus familiis orti, in aula Galliarum Regis ſunt nonnulli, quos ut alibi innuimus vocantur patrio ſermone *Menins*. At Svetonii narratio a ſequenti confirmatur lapide Auguſti ephebum commemorante.

253.

PHILEPHEBOAVGVSTI
IMM

In exemplari Goriano, inſcriptio hæc, licet quatuor tantum verbis conſtans, mendoſa exhibetur. In illo enim punctum perperam additur inter PHIL & EPHEBO.

254.

.:.:.:.:.:.:.:.:.:.:.:.:.:.:.:M
EPHEBO . ALV:.:.:.:
.:.ANO . T. AELIVS
AVG . LIBSILB
ANVS . BENE
MERENTI
FECIT

EPHEBO . ALV:.:. Fortaſſe *Alumno*. LIBSILBANVS . T. *Ælius Auguſti libertus* *Silvanus*. B pro V. quod & alibi vidimus.

255.

D. M.
SERVILIAE HELPIDI
SERVILIVS HERMES . ET
SERVILIAE HEDISTE
ALVMNAE . DVLCISSIM .
VIXIT . ANNIS . VIII

ALVMNAE . Eas proprie *Alumnas* appellaverunt antiqui, quæ recens natæ a parentibus publico loco expoſitæ, ab aliquo, pie ſublatæ alebantur. Hæc eſt Lipſii ſententia *in epiſt*. 85. *Cent*. 1. *ad Belg.*, quæ, verbis legis 26. *Cod. de nuptiis*, a Juſtiniano latæ, mire confirmatur. Attamen cum altor aliquando idem ſit ac nutritor, educator, præceptor, uti ex Auſonio ad Paulinum

—— Ego ſum tuus altor, & ille
Præceptor primus, primus largitor honorum
Primus in Aonidum qui te collegia duxit.

ita alumni, & alumnæ aliquando ſunt collactanei, & collactaneæ, vel diſcipuli, & diſcipulæ. Eutropii equidem alumna apud Claudianum lib. 1. in eumdem Eutropium

—————— & ſæpe lavanti.
Nudus in argento lympham geſtabat alumnæ.

ex eis non erat, quarum meminit Lipſius. Inſcriptiones autem de alumnis utriuſque ſexus loquentes, habentur etiam apud Gruterum, Gorium, Muratorium, & cl. Mamachium *Orig. Chriſt.* tom. III. p. 19. Sequentem exſcripſi anno elapſo in hortis Juſtinianeorum.

D . M
STABERIAE FE
LICITATI FECIT
VALERIVS SEREN
ALVMNAE PIENTISS
QVAE VIXIT ANN
XVI MENS VIII
DIEB
XXII

Tam activæ quam paſſive, ideſt tam pro diſcipulo, quam pro præceptore, vox iſta *alumnus* accipi poſſe putavit Nonnius, ſed reprehenditur a Laurentio Valla.

D M

256.

D M
L. CL. NICON. EMIT. TERRAM. ET
MACERIAM. STRVXIT. MONVMEN
TO. SVO. ET. FL. EVCARPIES. COIV
GIS. SVAE. FECIT. SIBI. ET. CL. AVGV
RIO. ALVMNO. DVLCISSIMO. ET
LIBERTIS. LIBERTABVSQ. POSTERISQ
EOR. ANE. FRONTE MONVMENNTI NAGRO

:R. P. XVIII . LAT.:.:.:.: MPX

COIVGIS. *Conjugis*, immo *Conjugi* ſuæ, *Ante frontem monumenti in agro*. ME. pro ME. TE pro TE. NT pro NT quadratarii pigritiam teſtantur.

:R. In *fronte* pedes. XVIII.

LAT.·.·.MPX. Latitudo his ſiglis indicatur pedum X. Aſciam in lapidum fronte inſculptam vidimus ſup. cap. IV.

257.

D . M
VALERIAE PANTHIAE
FECIT VALENA TROFIME
ALVMNAE DVLCISSIMAE
ET. SIBI. ET. SVIS. LIBER
LIBERTABVSQVE
POSTERISQVE EORVM

PANTHIAE. Cognomen ex Diis omnibus: ſic apud Gruterum *Claudia Panthæa*.

TROFIME. Abſque adſpiratione: alibi *Trophime*, & *Trophimus*. Sociatio vero litteræ E cum M. ſæpe in Muſei noſtri marmoribus occurrit.

258.

D . M
ARTEMISIAE
ALVMNAE SVAE
CARIS SIMAE
FECIT HERMES
QVAE VIX ANNXI
MENS II D . V . B . M

ARTEMISIAE, Nomen amantiſſimæ illius Mauſoli regis uxoris, cujus hiſtoriam nemo profecto non novit.

CARIS SIMAE. Æqua hac litterarum diviſione, cenſendum eſt quadratarium totius lapidis lineas æquare voluiſſe.

259.

NICOLAO
ALVMNO

260.

D M
Q · GRANIO AEL
:::ANO · Q · ET GENT::
::LIS · Q · VIX · AN · III
M · II · D · XII · Q
GRANIVS SCY
MNVS ALVMNO
B · M

NICOLAO, Græcum nomen eſt quod interpretari poteſt *victor populi*. Nomen itidem potius chriſtianum quam ethnicum. Famoſus in hiſtoria Apoſtolorum eſt Nicolaus ille Antiochenus, qui uxores communes eſſe debere docebat. Hic, ſectaque Nicolaitarum anathemate percutitur Apocalip. cap. II. *Sed hæc habes, quia odiſti facta Nicolaitarum, quæ & ego odi.*

261.

D M
PASSENIAE . PROBAE
L . PASSENIVS . CARICVS
NVTRICIVS . FEC

NVTRICIVS. Et *Nutritius*. Maritus Nutricis. Nutricii vocabantur etiam nutritores, quorum mentio eſt in omnibus antiquarum inſcriptionum collectionibus. In Bibliotheca Vaticana extat adhuc cippus, in quo legitur

D. M
CALLINO
RFO
NVTRITORI

vo-

vocabantur & *Tatæ*; ut Nutrices, *Mammæ*: ex Fabretto

DIS. M
ZETHO. CORINTHVS
TATA. EIVS. ET. NICE
MAMMA. F
V. A. I. DXVI

Ita & *Tatula*, & *Mammula* apud eruditissimum Passionejum, *Iscript.ant.* p.99. Not.b. Aptius in sequenti Fabrettiana, ubi *Tata* cum *patre* confundi nequit

D. M
VICTORI. FILIO
BENEMERENTI
MVRSINE. MATER. ET
MERCVRIVS, PATER
ET. HILARIVS. TATA. FE
CERVNT. VIXIT. AN.II. M.III

aliquando, neque improprie *Cunarii*, qui ut censeo uxoris nutricis vices interdum gerentes, infantibus insomnibus dicere solebant (inquit Cornutus, ad Persium *Sat.* 3.) *lalla lalla*. Charidemi cujusdam cunarii, meminit Th. Bartholinus *de Puerp. vet.*, ubi Martialis versum refert

Cunarum fueras motor Charideme mearum.

Threpte vero *Cunariæ* lapis apud Gruterum

D. M
TEIAE THREPTE SO
sic ROR PIISSIMAE CVNA
RIAE RVFINAE V V
GLYPTVS FRATER QVI
ET FELIX VIVOS VIVAE
POSVIT

Apud nos nutritius est, quem vocamus, *padre di latte*, seu *Bailo*, a græca voce βαΐουλος, quod *bajulet*, gestetque ulnis pueros. *Hinc*, inquit Pignorius de Servis, *in aula Constantinopolitana fuit olim magnus Bajulus, uti narrat Georgius Codinus*. Hinc forte *Bajulivus*.

262.

DIS. MANIBVS
THETIDIS. VIX
ANN. IX. ET CHARI
DIS. SORORIS. VIX
ANN. XV. FECIT
PATER. EX. VISO
TI. CLAVDIVS
PANOPTES. ET
MATER CARMOSYNE
TV. QVI LEGIS. ET
DVBITAS MANES
ESSE. SPONSIONE
FACTA. INVOCA
NOS. ET. INTELLEGES
ITEM. EVNO. NVTRICIO
EARVM COLLIBERTO SVO

FECIT PATER EX VISO. Erant quippe inter ethnicos manium contemptores nonnulli, qui proinde a manibus in somniis torquebantur: unde Tibullus lib. 2. el. 6.

Ne

Ne tibi neglecti mittant mala ſomnia manes,
Mæſtaque ſepitæ ſtet ſoror ante torum.

Incredibile ergo non eſt Ti. Claudium in colendis manibus negligentem, larvis nocturnis, maliſque ſomniis deterritum, filiarum ſuarum manes, nobiliore forſitan erecto ſepulchro, placari juſſiſſe. Conjectura innititur eo potiſſimum, quod nemo pius monumentum ſuis excitabat EX VISO, hoc eſt per quietem admonitus, ſed ſponte, lubentique animo. Quamobrem cenſendum eſt Ti. Claudium Panoptem id *ex viſo* feciſſe, quod antehac facere neglexerat.

PANOPTES. Latine, *qui omnia videt*.

CHARMOSYNE. Charmoſina ſive *Hilaria* quædam fuere feſta apud Ægyptios.

ET DVBITAS MANES ESSE. Cum ethnici hac voce *Manes* mortuorum animas intelligerent, nemo (niſi qui ſtulte animam una cum corpore interire arbitrarentur) exiſtere manes diffitebatur.

SPONSIONE FACTA. Formula erat, qua ſe invicem litigatores provocare conſueverant. Cum enim petitor diceret e. g. *Ajo hunc ſervum eſſe meum, quia ex ancilla mea natus eſt*; Reus vero reſponderet: *nego tuum eſſe, quia ex ancilla tua natus non eſt*, tum petitor; *ſpondeſne quingentos, ſi ex ancilla mea natum eſſe probavero*? cui reus, *ſpondeo*: poſt hæc pecunia interponebatur, quæ tunc ſacra erat, ſtipulatio vero, & reſtipulatio *ſponſio* dicebatur. Vide Varr. de L. L. lib. v. Ad hanc ergo formulam alludunt, ut puto, heic adloquentes Thetidis Charidiſque manes; inſipidæ profecto parentum nugæ.

INVOCA NOS. *interroga nos, & intelliges*. Prudentius equidem anonymus quidam apud Gutherium de *Tur. Man.* VIATORI: *Nequeo in tenebris reſpondere*.

INTELLEGES. Muratorius vir doctiſſimus, ſed autographorum marmoreorum intempeſtivus emendator, legit INTELLIGES. Paulo ſuperius, de immutatione E in I, ſatis dixi.

263.

D·:·:·:·:·:·:·:
M. TERENTI. PATER
NI EX-H. P. CITERIORE
AESONENSI AN. XVIII.
LICINVS POLYTIMVS
LIBERT. ET. EDVCATOR

EX. H. P. Syntomia eſt, ſeu abbreviatio, qua *Hiſpania* exprimitur. Siglæ vero iſtæ, an alias occurrant, ignoro: eas ſane nec apud lapidum collectores inveni, neque apud priſcarum notarum interpretes.

CITERIORE. Hiſpania in duabus dividebatur provinciis, ulteriori ſcilicet, & citeriori, uti lib. III. docet Plinius, quem conſules.

AESONENSI. *Iſona* oppidum nunc Cataluniæ; Romanis *Æſona*, uti ex ſequenti lapide apud *la Martiniere* Dict. Geogr. *lit.* I.

FVLVIO. FILIO. F. RESTITVTI
FILIO. CATVLAE. P. AESONENSI

vocabatur etiam *Jeſſonia*, & *Iſauna*.

AN. *qui vixit* ANNOS XVIII.

POLYTIMVS. Græcum Polytimi liberti nomen inſculptum viſitur ad lævam pulcherrimamæ illius Muſ. Capitolini ſtatuæ, quæ Ve-


venatorem repræfentat . Licinium Polytimum M. Terentii Paterni . qui vixit annos XVIII. educatorem hic habemus. Educator, patris, ac matris nomine comprehenditur apud Alciatum *per* l.1, *de obfeq.*, fed proprie *educator* is dicebatur, qui pueros a juventute inftruebat, quafi pædagogus. Plautus diftinguit *alere* ab *educare*; unde in *Menechm.* act.1, fc.1. parafitus

Nam illic homo homines non alit ,verum educat. verumtamen apud Gothofredum, Calvinum, aliofque jurifconfultos, educare eft alimenta, & ad victum neceffaria præftare. Sumitur etiam pro nutricio; hinc Byrrhena in Apulej *Met.* lib.1I. *Ego*, inquit, *te Luci*, *meis iftis manibus educavi*, & deinceps: *ego fum Byrrhena*, *cujus forte nomen inter tuos frequentatum* educatores *retines*.

264.

DIS . MANIBVS . SAC
CALAMVS
TI . CLAVDII . CAESARIS
AVGVSTI . GERMANICI
PAMPHILIANVS
VILICVS . EX . HORREIS
LOLLIANIS
EX.D.D.D.S.D.D

Cum nemo ex prifcæ Urbis defcriptoribus de horreis Lollianis verba fecerit, conjici poteft ex illis fuiffe, quæ fub Nerone patriæ fuæ incendiario flammis confumpta funt. *Conflagravit*, inquit Socrates lib.7. cap.39. *magna pars urbis*, *ita ut maxima horrea perierint*, Lolliana autem extitiffe horrea conftat ex noftro hoc faxo, cui mire opportuneque fuffragatur fragmentum illud quod adhuc juxta Mufei noftri fcalas vifitur fub num. I., quodque heic exhibeo, ut partim horum horreorum iconographia lectoribus, Petri Bellorii librum non habentibus, innotefcat.



Lollia gens aut Tiburtina fuit, aut saltem prædia, villamque Sallustianæ proximam habuit Tiburi, uti testatur inscriptio quædam ibi reperta atque a cl. Vulpio edita *in Tiburt.* P.1. lib.18.

HIC . LOCVS . ITA . VT . MACERIA
CLVSVS . EST . AD . RELIGIONEM
SEPVLTVRAE . LOLLIARVM
ATTICILLAE . FILIAE . ET . STACTES
VXORIS . ET . M . LOLLI . AMARANTI

Ceterum familiam hanc licet plebejam, celebrem tamen fuisse atque consularem colligitur ex Horatio, qui annum se XLIV implevisse LEPIDO ET LOLLIO COSS. asserit in *epist.* ad librum suum

Forte meum si quis te percuntabitur ævum,
Me quatuor undenos sciat implevisse Decembres
Collegam Lepidum quo duxit Lollius anno.

Fuit is prænomine *Marcus*, gessitque laudabiliter consulatum cum Q. Æmilio Lepido A. V.733. Ch.21. Hunc horreorum Lollianorum fontisque Lolliani (de quo in primo volumine) ædificatorem existimo.

VILICVS. *Villicus*. Vid. not. ad inscript. tom.1. num.31.

EX . D . D . Ex decreto decurionum.

D . S . D . D . Rectius D . S . D . *De suo dedit*. Unum enim ex duobus istis elementis D . D . delere necesse est; secus absurdissime legeretur Calamus Pamphilianus *dederunt*. Emendandus est Fr. Blanchinius, qui Calamum non *horreorum*, sed *hortorum Lollianorum* custodem dixit. *Era costui guardiano degli orti Lolliani*: sic in comm. ad Liviæ columbarium p.9.

265.

P. AEMILIO . P . F . NICOMEDI PATRI
INCOMPARABILI
DECVRIALI DECVRIAE LICTOR
COSTRIVM DECVRIAR . X . PRIMO
ITEM DECVR LICTOR POPVLARIS
DENVNTIAT . X . PRIMO
ITEM PRAECON AEDILIVM CVRVL
X . PRIMO
AEMILII NICOMEDES ET NICOMEDES
ET . THEOFILA . FILI::ET
HEREDES . FECERVNT

DECVRIALI. Decuriales scrinia servabant, *erantque viri*, ait Bulengerus, *scribendi dicendique periti*. P. Æmilium Nicomedem decurialem decuriæ lictorum, decemprimum decuriarum COSTRIVM (ita in autographo) idest *Castrensium*, item decemprimum denuntiatorum decuriæ lictorum popularium, tandem decemprimum præconum ædilium curulium fuisse hoc marmor testatur. De decuriis summatim alias egimus: de lictoribus adi cl. P. A. BRASCHIVM *de fam. Cæsenn.* cap. XXIX.

X . PRI-

X.PRIMO. *Decemprimo*. Decemprimi, Græcis Δεκαπρῶτοι *decaproti*, erant decurionum decem primarii viri: hi in provinciis tributi modum in capita, & agros definiebant, & exigebant pro ea forma, quæ ab Imperatore, & præfecto prætorio ad rectorem provinciarum missa esset, & quod deerat de suo sarcire cogebantur, ob quæ onera ipsis ruri habitare non licebat; id autem imprimis operam dabant, ne tenuiores opprimerentur. Decemprimorum, præter ICtos mentionem faciunt Julius Firmicus *Mathes*.lI. cap.12. ubi figurate: *si sic posita venus conjunctionem Lunæ acceperit &c. inter nobilium civitatum faciet decemprimos*; & Cicero, qui pro Sex. Roscio, *decretum*, inquit, *statim fit*, *ut decemprimi ad L. Syllam proficiscantur*. Munus *decemprimatus* dicebatur; Græcis, *decaprotia*. Decemprimos curiales, & decemprimos scholarum non semel memorat codex Theodosianus.

DENVNTIAT. Denuntiatores Romæ in qualibet Urbis regione habebantur, quorum munus fuit deficientibus accusatoribus gravia facinora *denuntiare*, ne impunita manerent. Nardinus tamen in sua *Rom. vet.* lib.III. cap.4. *denuntiatores* Romanis eos fuisse putavit, qui nunc vulgo *mandatarii* dicuntur; an recta interpretatio, videant eruditi. Hos sane *denuntiatores* extitisse liquido patet ex basi illa marmorea, quam magistri vicorum in honorem Adriani Imperat. erexere, quamque Gruterus vulgavit p. 250.

PRACON. Præcones erant ministri publici, quorum diversas classes enumerant Pitiscus, & Calvinus in *lexic. jurid.* Præcones in curiis, in comitiis, in funeribus, in castris, in ludis scænicis recensent auctores nonnulli. Ita præcones, ædilium curulium decreta publicabant, quemadmodum alii senatus consulta.

AEMILII NICOMEDES. *Nicomedis*. Hunc eum esse reor, cujus epitaphium (nostri ut ita dicam appendix) legitur in collectione Gruteriana p.348. *pr.edit.*

FILI FECERVNT
D . M
PVBLII . AEMILI . NICOMEDI . IVN [sic]
QVI . VIXIT . ANNIS . XLII . DIB [sic] XX
DOMINO . D . III . INTER DECEM
PRIMOS
PATRI BENE MERENTI
DVLCISSIMO
P . AEMILIA CYNEGIS ET
P . AEMILIVS ALYPVS NICOMEDES . EQ

THEOFILA. F pro PH sphalma est quadratarii, a cl. Muratorio in suo ejusdem Capitolinæ inscriptionis exemplo, intempestiva quidem benignitate, emendatum.

AVG.

266.

AVG
C.IVLIVS CLARVS
SIBI.ET.SVIS.ET
DAPHNINI.CONIVGI.SVA:
INTER APPARITORES

AVG. Quid illud AVG non assequor: forte C. Julius Clarus AVG. L. aut S.

APPARITORES. Magistratuum nuntii *apparitores* dicebantur, idest ministri *apparituram* magistratibus facientes. Apparitores fuere tum in curia, tum in militia, in qua modo cohortales vocati sunt, modo prætoriani. Sed cum annorum militiæ nulla in nostro lapide fiat mentio, Julium Clarum non ex militaribus, sed potius inter curiales adscriptum fuisse censendum est. Hos a Longobardis nunc vocantur *messi*, a Romanit *cursori*, a Senensibus *donzelli*. De pontificum apparitoribus alibi: de Mercurio deorum apparitore consules mytologos.

DAPHNINI. Cum secundus hujus nominis casus sit *Daphnidis*, tertius erit *Daphnidi*: sed istud sphalma dormitanti quadratario tribuendum.

267.

DIS MANIBVS
TI.CLAVDI
AVG.L.ABASCANTI
A RATIONIBVS
VIX.AN.XLV
CLAVDIA EPICHARIS
VXOR CONIVGI
BENEMERENTI F

A RATIONIBVS. Idem ac *rationalis*. Ministros a rationibus Augustorum, Neronis, patrimonii Cæsaris, voluptatum, cellæ, hortulorum; ita rationales saltuum, summarum, summarum Ægypti, vinorum, reperiuntur in antiquis lapidibus, aut apud jurisconsultos. Quomodo inter se diferrent longum nimis molestumque foret; quamobrem confer Bulengerum, Donatum, Budæum, Pancirolum, Calvinum aliosque. Hic vero de quodam Augustæ domus subministro intelligendum puto, quem nos italice *computista*, aut *ragionato* dicimus.

ABASCANTI. *Abascantus* cognomen, quod fascini amuletum est Tertulliano: sane Abascantus interpretatur *fascinationibus minime obnoxius*. Nominis autem impositio (*Abascantus* enim ap. Gorium tom.1. p.342. nomen est non cognomen) sine omine non fiebat; hinc lustrici dies, hinc nominalia celebrabantur. Audiatur Capitolinus in vita Clodii Albini Imp. *Septima ejus diei hora, convivio, quod celebritati pueri deputabatur, cum ei fierent nomina, septem Aquilæ parvulæ de nido allatæ sunt*. Ubi Casaubonus: *loquitur de solemnitate diei lustrici, quo infantis nomi-*

nominalia sunt celebrata. De nominibus, aut cognominibus bene auspicatis quædam innuit Val. Maximus in epitome *de nom. rat.* vid. etiam Stephani Pighii notas ad ejusdem Valerii libros.

EPICHARIS. Quod hic Claudiæ cognomen, nomen fuit fortissime cujusdam fœminæ, quæ mori potius, quam conjuratorum in Neronem nomina publicare maluit: unde Tacitus Ann. lib.xv. *clariore exemplo*, inquit, *libertina mulier in tanta necessitate alienos ac prope ignotos protegendo, cum ingenui, & viri, & equites Romani, senatoresque intacti tormentis carissima suorum quisque pignorum proderent*.

268.

DIIS
MANIBVS
C. CALVIVS
MERCATOR
VIXIT. ANN. VI
MENSIBVS V
FECIT
COSSVTIA
IRENE

269.

D. M. MOSCHAE
VLPIA EVTYCHIA
VERNAE DVLCISSI
MAE. FECIT

270.

VIPSANIA HILARA
VIPSANO. SPINTHER
CONIVGI SVO FECIT

Tria hæc epitaphia una tantum tabula continentur.

MERCATOR. Cognomentum C. Calvii; quomodo enim infans sexennis mercaturam exercere potuisset? ita apud Reinesium p. 817. Q. M. ANTONI MERCATORIS ET C. M. ANTONI GEMELLI, & pag. 521. IVLIO MERCATORI TVBICINI.

VERNAE. Servorum genus tum viris tum fœminis commune, uti patet ex sequentibus apud Pignorium *de servis* p. 27.

FVSCVS. AVGG
NOSTRORVM
VERNA
VILLICVS
TVTELAE
VOTVM
REDDIDIT

& ibid.

LVCIDAE. AVG. VERNAE

Dicebantur etiam *Vernales*: apud eumdem

LEONAS AVGG. VERNALIS

Vernanum Deum a *Vere*, ut puto, denominatum colebant; quod constat ex tabula Antiatina regnante Innocentio PP. XII. reperta, atque a Roccho Vulpio egregie illustrata, ubi legimus

LISIMACHVS AEDIT. VERNANI

ejus festum celebrabatur, uti docet Blanchinius, die XIV. Octobris. De his iterum inferius.

MOSCHAE. Nomen a *moscho*, odore omnium suavissimo. EVTYCHIA: *fortunata*.


SPINTHER. *A favilla* cognomentum. Alias sine adspiratione *Spinter* armillæ genus.

271.

DIS MAN
COSSVTIAE
ARESCVSAE·F·
CN COSSVTIVS
AGATHANGELVS
CONIVGI
SVAE BENE
MERENTI
VIXIT ANNIS
XXXX.V

272.

DIS . MAN
CN COSSVTIVS
CLADVS
CN COSSVTIVS
AGATHANCELVs
FRATRI . SVO
ISDEM . LIBERTO
BENEMERENTI. F
VIXIT ANNIS
XXX . V



AGATHANCELVS, *Agathangelus*: TH pro TH. In primo laterculo ara quadrata est, in cujus dextero latere pes Romanus, libella cum perpendiculo circinus rectus, norma, malleolus, celtes, & circinus incurvus; ex quibus conjicimus Cossutios istos fabros fuisse lignarios, seu ferrarios, aut forte architectos. Idem Cn. Cossutius Agathangelus titulos posuit conjugi Arescusæ, & fratri; sed illi decimo ab obitu fratris anno, qui annos tantum vixit trigintaquinque. Mirum igitur haud est idem cognomen, in eodem licet saxo, incostanti tamen diversaque ortographia fuisse exaratum: in primo scilicet laterculo THAN; in secundo THAN & Vs. Cossutia gens equestris fuit, ex qua Cossutia illa quam Cæsar repudiavit, C. Cossutium Meridianum, & L. Cossutium Sabulam exhibent denarii Patiniani *in fam. Rom.* M. Cossutius laudatur ab Oratore *in Verrinis* lib. 3. *Cusuccia* pro *Cossutia* apud Fabrettum p. 146. ubi *de Cossutiis*.

273.

C . IVLIO . C . L
PHILOLOGO
AEBVTIAE . Ɔ . L
EPIGONE

PHILOLOGO. Quamvis hic lapis in Museo Capitol. situs sit sub titulo studiorum, & artium, tamen heic *Philologum* cognomen esse C. Julii suspicor. Neque obstat quod philologus latinis sit *vir eloquentiæ humaniorumque litterarum studiosus*, nam cognomina ex scientiis desumpta non semel adnotavimus, ut Blandius *Agricola*, Cejonius *Musicus*, Ærelius *Philomusus*, Valerius *Scholasticus*, immo & Marcius *Philologus* (qui *Venator* erat) apud Gruterum, & Reinesium. Verumtamen cum apud eumdem Gruterum legatur Attejum *Philologum* Pudentis *Grammatici discipulum*, præceptori suo urnam collocasse, conjicere hic quoque licet C. Julium eloquentiæ operam dedisse. Libertos enim

enim de ſcientiis litteriſque peritiſſimos laudant nonnullos (quorum unus fuit celebris ille Phlegon Adriani Imp. L.) Romanæ hiſtoriæ ſcriptores.

EPIGONE, Latine *generis inſtauratio*, *renovatio &c.*

274.

DAMA · LIVIAE · L · CAS
PHOEBVS · PHILOLOGI

Quid illud CAS, ignoro. Gorius interpretatur CASTELLARIVS, aut CASEARIVS. At quoad *caſearium*, philologum virum, eloquentiæ ſtudioſum, caſei fartorem, aut caſei menſæ Auguſtæ cuſtodem dicere nefas. Si quis igitur eruditiſſimo interpreti aſſentire maluerit, τὸ *philologi* nomen hic pariter fuiſſe liberti cenſebit.

275.

THELYCO
EVTYCHI
ACTES · AVG · L · L
ALVMNO · A MANV
VIXIT · ANN XX

ACTES. Ejuſdem nominis libertam perdite adamavit Nero.

A MANV. Servorum *a manu* opera in ſcribendo utebantur veteres. Philomanem Cæſaris ſervum *a manu*, qui domini ſui necem per venenum ejuſdem inimicis promiſerat, quique ob excogitatum ſcelus extremo ſupplicio affectus eſt, commemorat Svetonius. Ita compertum eſt Auguſtum crura fregiſſe cuidam Thallo ſervo pariter *a manu*, quod pro epiſtola prodita denarios IↃ accepiſſet. Nos *amanuenſes* hoſce appellamus. Verum cum Thelico *alumnus* dicatur, puto de adoleſcente ſeu juvene loqui, qui præceptoris ſcholam adhuc frequentaret, a quo nitidius ſcribendi artem diſceret.

276.

PREPON . C . ATEI CAPITONIS
A . MANV . SIBI . ET
MINVCIAE . Ↄ . L . CALLITYCHE
CONIVGI . SVAE

C. ATEI CAPITONIS, Prepon ſervus a manu heic nominatur C. Atej Capitonis qui conſularem dignitatem exercuit cum C. Vibio Poſtumo A. V. 759. Hunc Capitonem inter hiſtoricos perperam retulit Riccobonius, ut validiſſimis argumentis probat Gherardus Voſſius. Rectius alii Svetonii teſtimonio innixi, inter juriſconſultos collocant, quos ſequi debuerat Tortorellius in opuſc. *de giureconſulti Romani*.

MINVCIAE. De gente Minucia, primum

mum patricia, postea plebeja a qua liberta ista nomen duxerat, adi Patinum de fam. Rom.

CALLITYCHE. Italico sermone interpretari potest *bellafortuna*.

277.

T. FL
CAPITOLINVS
DECVRIALIS

CAPITOLINVS. Ejusdem cognominis inter historiæ Augustæ scriptores Julium agnovimus, qui Salmasii sententia verius scripsit quam elegantius. Cognomina a Romanis collibus desumpta nonnulla exhibent antiqua marmora: ita apud Gruterum A. Cæcilius *Quirinalis*, Domitius *Esquilinus*, Secundinus *Aventinus*, Cn. Cattius *Palatinus*, Aur. Cælius *Cælianus*.

DECVRIALIS. De decurialium munere, satis superius.

278.

PLACIDVS Ɔ P. VITELLI
TABVLARIVS

TABVLARIVS. Qui tabulas publice servat, sive obsignator tabularum, Ulpiano *supputator*: ex istis fuisse autumo T. Ælium cujus inscriptio refert Vulpius de Tiburtinis P. 2. pag. 416. sic

T. AELIVS AVG	ORTI
TABVLARIVS	EVHODION
	VILLAE TIBVR
TIS. ET	VICTORIA
FILIO. DVL	CISSIMO
B.	F

Item qui Magistratibus in publicis privatisque negociis inserviebat. Ejusdem erat in tabulario (quod in ædibus Capitolinis extitisse probat Nardinius) instrumenta publica referre. Quod Romanis *tabularium*, nobis est archivium. De tabulario, in quo sæpe causæ explicabantur ita vetus inscriptio ab eodem Nardinio edita in R. A. lib. v.

Q. LVTATIVS. Q. F. CATVLVS. COS. SVBSTRVCTIO
NEM. ET. TABVLARIVM. S. C. FACIENDVM
COERAVIT

279.

MENELAVOS. C. CES
DISPENSATOR
VIXIT. ANN. XXIII

MENECLAVOS. *Menelaus*, Menelai Agamnenonis fratris, Helenæque maritum infortunia ipsis adolescentibus comperta sunt.

C. CES. *Caii Cæsaris*: Caii Caligulæ Cæsaris dispensator.

PHI

280.

PHILADELPVS NYPHAS
NERONIS . CAESAR . PHILADESPOTI
EX HORREIS . PETRONIAN CONTVBER
DEC EIVS

Nemo ex antiquis regionum urbis descriptoribus horreorum Petroniæ gentis locum indicat: quapropter donec aliquod monumentum fide dignum effodiatur, frustra recentiores in eo perquirendo insudabunt. Sciendum tamen est olim nonam urbis regionem, immo viam quæ nunc *Resella* vulgo dicitur, amnem quemdam *Petronium*, sive *Petronianum* a gente Petronia denominatum, atque a cujusdam cati fonte scaturientem, præterfluxisse. De hoc amne hæc Festus: *Petronia amnis est* (amnem antiqui fœminine enunciabant) *in Tiberim profluens, quam magistratus auspicato transeunt, cum quid in campo agere volunt; quod genus auspicii perenne vocatur*. Cum igitur Petronia gens sacro huic amni nomen fecisset, verisimile mihi videtur eamdem gentem in eadem regione ædes, forteque & horrea habuisse. Ast ego nihil affirmo, Petroniam vero familiam e Sabinis oriundam existimant Carolus Patinus, Morellius, aliique: patriam insuper Petroniorum afferunt fuisse *Mutuscam* Sabinorum oppidum, quod oliviferum vocavit Virgilius lib. VII. hodie, sicut nonnulli opinantur *Trevi*, ubi sequens inscriptionis fragmentum, teste Patino pag. 203. repertum est

T . PETRONIO
T . F . SERG . SABINO
TR . MIL . MAG . IVVENT
. . . .

De Mutuscæ oppido pauca adnotavi in commentariis Geographiæ *Æneid.* ad editionem Monaldinianam appositis.

Ex eadem familia ortum duxisse T. Petronium Arbitrum, qui aulæ Neronianæ vitia, satyrica libertate perstrinxit, haud dubito. Ea nunc qua decet urbanitate emendandi sunt Gorius atque Blanchinius. Iste nimirum quod PHILADELPHVS scripserit pro PHILADELPVS: ille quod lineas arbitrarie distribuerit: uterque vero quod columbarii tabulam, totam hanc inscriptionem complectentem in duas partes dividendam censuerit. Gorius enim partem hanc

PHILADELPVS
NERONIS . CAESAR
EX . HORREIS . PETRONIAN
DEC

ponit sub num. CXC. Alteram

NIPHAS
PHILADESPOTI
CONTBVER
EIVS

sub num. CCXXXIII. Ita Blanchinius

PHILADELPHVS &c.

signat numero 84.

NIPHAS &c.

numero 85. Tabula profecto, quamvis duos complectatur titulos, tamen Philadelphum, & Philadespotum communem habuisse loculum demonstrat; ideoque ossa quæ Nyphadis pietas conjunxerat, eruditissimis viris disturbare minime licebat. Muratorius quoque *Philadelphus* scripsit pro *Philadelpus*.

DEC. *Decurio*. Servos libertosque Cæsareæ domus in varias decurias fuisse distributos, nemo est qui nesciat. Propterea tam frequens decurionum mentio in Augustorum familia. Mox Saturninum ex D . IIII h. e. *ex decuria quarta* videbimus.

281.

PHILOMVSVS . TERT
L . VILICVS

TERT. *Terti* ideſt *Tertii* libertus:

VILICVS. Cum non ſemel τὸ VILLICVS per unicum L in ſaxis inſculptum reperiatur, hoc pacto conſtanter ſcribendum eſse cenſuit Fabrettus. At tunc ſcribendum pariter foret VILA pro *villa*, VILATICVS pro *villaticus*, VILICOR pro *villicor*, quod profecto ab iis, qui recte ſcribendi artem profitentur, approbari nequit.

282.

ACIRIS
CAESARIS . AVG . L
MINISTRAT

ACIRIS. Liviam ſecundam *Aciri* ſororem laudat inſcriptio quædam columbarii Liviæ Auguſtæ.

MINISTRAT. *Miniſtrator*. Miniſtratores generatim dicuntur qui *miniſtrant*. Falſum eſt igitur (quod nonnulli autumant) *miniſtratores* eos tantummodo vocari qui menſæ adſtant, potumque domino miniſtrant. Legitur utique apud Senecam ep.95. *tranſeo miniſtratorum turbam, per quos ſigno dato ad inferendam cœnam diſcurritur*; legitur in ſatyræ Petronianæ capite XXXI. *vinum dominicum miniſtratoris gratia eſt*. Verum legimus quoque apud Tullium *de orat.* cap.II. *cum te Sulpiti objurgabam, quod miniſtratorem peteres, non adverſarium*; & apud Svetonium *in Vitell.* cap. 17. *Alterum femur ſubdebile, impulſu olim quadrigæ, cum auriganti Cajo miniſtratorem exhiberet*; ex quibus ſane locis colligitur *miniſtratorem* ſumptum aliquando pro *ſubmonitore*, qui ſcilicet omiſſa, memoriæ reddebat agentium; & non ſemel pro ſervo munus adminiſtrante, a convivalibus officiis longe diverſum, uti videre eſt apud veterum Scriptorum interpretes.

283.

D . M
SATVRNINO
CAES . N̄ . SER . MINISTRA
TORI . EX . D . ĪIII . FECIT .
M . VIPSTANIVS SILVANVS
AMICO . B . M .

CAES. N̄. *Cæſaris noſtri ſervo miniſtratori ex decuria quarta*. Saturnini nomen frequentiſſime legitur in antiquis ſaxis. Saturninum Cæſaris *præſignatorem* memorat Ficoronianus lapis a Muratorio vulgatus cl.XII. pag.915. Saturninum Romanum martyrem, Uſuardus.

D . M

284.

D . M . S
PARIS . IMP . DOMITIANI
AVG . GERMANICI . SER
MINISTRATOR . SIBI . ET
CLAVDIAE AGATHETYCHE
CONIVGI . BENE . MERENTI
QVAE . VIX . ANNIS . XXI

PARIS. Cognomen fuiſſe Alexandri Priami filii, benemerentiſſimique Cythereæ judicis, nemini eſt incompertum. Nomen etiam fuit cujuſdam Comædi, cui præ cæteris libertis faviſſe Neronem tradunt hiſtorici. Noſter vero iſte *Paris* ſervus fuit miniſtrator imperatoris Domitiani.

AGATHETYCHE. Claudiæ cognomen, nominibus Agatha (*bona*) & Tyche (*fortuna*) contextum. Perperam Muratorius, qui eamdem retulit inſcriptionem, edidit Claudiæ AGATYCHE. Rectius in alia ediderat AVLIA AGATHETYCHE. Ceterum antiquorum Scriptorum lectoribus compertum eſt τὸ ΑΓΑΘΗ ΤΥΧΗ formulam fuiſſe acclamationis, qua in rebus omnibus agendis Græci utebantur, ut ex Appiano liquet. Sic Arrianus lib. 1. *Epiſt.* cap. 1. Pætum Thraſeam renuntianti in Senatu de ſe judicium fieri, hoc pacto reſpondentem facit i. e. ΑΓΑΘΗ ΤΥΧΗ. Nervam quoque in Trajano adoptando hæc præfatum Xiphilinus tradit, ſcilicet ΑΓΑΘΗ ΤΥΧΗ τῆς βουλῆς &c. Adi Lucianum *in vitarum auctione*. Huic plane reſpondet pervulgata illa Latinorum præfatio: *Quod bonum fauſtum fortunatumque*, quam compendioſis his litteris B. F. F. ſignabant.

285.

DIS MANIBVS
ANTONIA IONIS FECIT
M. ANTONIO CHRYSOGONO
DECVR . CONIVGI
BENEMERENTI ET
ALEXANDRIAE
VERNAE SVAE


IONIS. In aliis lapidibus modo IONICE, modo IONIA, aliquando IONE ut IONE DOMITIA apud Murat. p. 930. ION viola eſt muraria ſeu purpurea, item gemma apud Indos violacea.

CHRYSOGONVS. Fœtus aureus, ſeu ex auro genitus. DECVR. *Decurioni*.

ALEXANDRIAE. Nomen ab urbe: ita Aria ATHENAS, Julia EPHESIA, Terentia ALBANA, Tettia SORANA, Nonia CORINTHIA, Tullia NICOPOLIS, ANTIOCHIANA &c. apud vetuſtorum marmorum collectores.

M. AE-

286.



M. AEBVTIVS . M . L
MACEDO . PATER
M . AEBVTIVS . M . L
CALLISTRATVS . F
V.M.AEBVTIVS.M.L.ERoS
V.IVLIA.L.L.BERENICE.VF
IVLIA.L.L.HESVCHIVM
POMPONIA. L.L.SELENE
CLODIA . Ɔ . L . ANTIOcis

AEBVTIVS. Gens Æbutia (cum AE diphtongo contra Livium; Græci enim Αἰβούτιος) cujus nomen ab iſtis libertis uſurpatur, è patriciis fuiſse colligitur ex Livio, a quo celebratur P. Æbutius, cujus opera, & amicæ Hiſpalæ Feceniæ, nocturnæ Baccharum libidines detectæ ſunt.

SELENE. Nomen a Luna: ita *Panſelene* plenilunium, & *ſelenoides*, lunatus.

ANTIOCIS. Antiocis. NT pro N. & T. ita VF. pro VF. forte *vivens fecit*.

V. M. AEBVTIVS. *Vivit*: h. e. adhuc *vivente* M. Æbutio. Littera enim V in elogiis ſepulcralibus, indicat titulum viro illo ſuperſtite fuiſſe poſitum: aliquando Y pro V ut in marmore M. Aurelii Staſimi apud Lupum p.113. Revera Gentiles (quemadmodum ætate noſtra Chriſtiani nonnulli) aliquando, empta in ſculptorum officinis urna, aut cippo, requietorium ſibi adhuc viventes parabant.

In Aræ faſtigio nonnulla inſculpta ſunt fabrilia inſtrumenta, amuſſis, perpendiculum, norma, libella, & pes Romanus; *potius* (inquit Fabrettus de *Aquæduct.* Diſs. 2.) *ad ſignificandum cujus profeſſionis homines cineres inibi conſervarentur, quam ut exacta pedis menſura demonſtraretur*. Marmor, in Cœlimontanis Matthæjorum hortis erutum, ſplendidiſſimus Hieronymus dux Matthæjus, muſeo Capitolino donavit.

D M

287.

D M
CLAVDIAE
TYCHE
CONIVGI OPTIMAE
CHRISAON CAES
N̄ SER
A FRVMENTO MINIS
TRATORVM

OPTIME. *Optimæ*; MA pro MA: ita in FRVMENTO Vides VM pro VM

CHRYSAON. Fortaſse *Chryſaor*, h. e. aureum enſem habens: vel *Chryſion*, aureum numiſma, ſeu aliud, indecens dictu.

A FRVMENTO. Ex iis fuiſse hunc ſervum puto, quorum munus erat frumentum quod miniſtratoribus aliquando largiebatur, aut tenuiore pretio vendebatur, modio, atque rutello admetiri. De frumentario hæc Lucilius apud Nonium

Frumentarius eſt, modium hic ſecum, atque rutellum
Vnum habet

Notatu dignum eſt hic ubique omiſsas fuiſse interpunctiones; quod ſane in Græcis marmoribus frequenter animadvertimus; in latinis vero perrarò.

288.

IVLIA ARESCVSA FECIT. SIBI. ET
Q. HATERIO EVAGOGO CONIVGIS.∴∴
DEC. COLL. FABRVS TIGN.∴∴∴∴∴∴
LIBERTIS LIBERTABVS POSTERISQEORVM
ET. Q. HATERIO VALENTI. ITV. AMBITV. E∴∴
IVLIAE. EVRAESINI FILIAEITVAMBITVEX∴.PLO.
Q. HATERIO FHICENE. INTROITVHAB.∴∴IN
HOC. MONVMENTO. H. M. H. N. S

CONIVGIS∴. *Conjugi ſuæ*.

DEC. COLL. *Decurio collegii*.

FABRVS TIGN∴. *Fabrorum* h. e. *Fabrorum tignariorum*. Tigna dicuntur trabes grandiores; quas in parietem immittimus quoties ſupra parietem columnas ſtructiles imponere conſtituimus ad tectum e. g. porticus ambulatoriæ ſuſtinendum. *Tignarios* vero fabros appellamus non eos dumtaxat, qui tigna dolant, ſed teſte Paullo lib. 235. ff. *de verb. ſignif.* omnes qui ædificant, qui nimirum trabes, ſeu tigna in pariete immittunt. Vidi quondam in muſeo Kircheriano inſcriptionem in qua TEGNVARIVS legitur, non TIGNARIVS

D . M
M . AVRELIVS . AVG . L
FABER TEGNVARIVS

FHICENE . *Phicene*. INTROITV . De *itu*, *anditu*, *ambitu*, *introituque*, quatenus ad res sepulcrales pertinent, non semel in hisce commentariis disserui.

H. M. H. N. S . *Hoc monumentum hæredes non sequitur*. Ceterum, fabros tignarios, collegium habuisse Romæ, ex hoc musei nostri lapide, manifeste constat.

289.

D . M
T . FLAVIO . AVG . L
IANVARIO
ADIVTORI TABVLAR::
XX . HEREDITATIVM
VIX . ANN XXVI
FLAVIA . EROTIS
PATRONO
IDEM . CONIVGI
BENEMERENTI
FECIT

Adjutores dabantur non tantum levandi tabulariorum laboris causa, verum etiam ut hoc nomine Augustorum, sive Augustarum majestas clarius elucesceret. Hic ergo T.Flavius Januarius adjutor fuit tabulariorum *vicesimæ hereditatium*, quæ & lex *vicesimæ* vocabatur, & lex *Julia de vicesima*; idest vectigal quoddam ab Augusto, uti refert Dio lib. LV. locupletandi ærarii causa institutum. *Tulit idem Augustus*, inquit Calvinus, *ut quæ hereditates, legata, & donationes mortis causa ad alienos, aut locupletes pervenirent, earum pars vicesima ad fiscum pertineret*.

PATRONO IDEM CONIVGI. Ex his colligitur T. Flavium Januarium cum eadem Flavia, quam jam clientem habuerat, nuptias postmodum iniisse. At vide apud Tullium *de Divinat.* quid inter patronos & advocatos differat: Patroni enim a laudato viro vocantur *Oratores*, advocati vero *Jurisperiti*.

D M

290.

D M
P . AELIO . AVG.·.·.·.·.
ADIVT . TABVL . XX.·.·.·.·.·.
AELIA . EVTAXIA . CO.·.·.·.·.
. ET . P. AELIVS.·.·.·.·.·.·.·.·.
PATRI . P.·.·.·.·.·.·.·.·.·.
. ET . SIBI.·.·.·.·.·.·.·.·.·.·.·.·.
LIBERTABVS . P.·.·.·.·.·.·.·.·.·.

P . AELIO. Fragmentum sic restituendum arbitror ; videlicet P. *Ælio. Augusti. liberto. Adjutori. Tabulariorum. vicesimæ. hereditatium. Ælia. Eutaxia. Conjugi. carissimo. & P. Ælius. patri. pientissimo. & . sibi. & . libertis. libertabus. posterisque. eorum.* EVTAXIA. Græca vox est *ordinis conservationem* significans : sic Eutactus, *bene ordinatus*. Muratorius quintam ejusdem inscriptionis lineolam præteriit.

291.

DIS MANIBVS
FLAVIANI
CAESARIS N̄ . S ER
QVI . FVIT . ADIVTOR
A . RATIONIB
IVSTVS . CAESARIS.·.·.·.
FRATRI . PIISSIMO

ADIVTOR A RATIONIBVS. Nempe adjutor servi illius, qui erat *a rationibus* domus Cæsarum : hic *ratiocinator* quoque appellabatur ; servus scilicet, cui *ratiocinium* in familia obtigerat. Romanis nunc vulgo *computista* ; Langobardis vero, *ragioniere*. Hinc *rationes depungere* dicuntur, qui computationem expendunt. Ratio enim constare tunc dicitur, quando accepta, & impensa congruunt. Pallantem *a rationibus* T. Claudii imperat. Svetonius nominat. In alia inscriptione parieti cujusdam domus ad D. Stephani *del Cacco* affixa, M. Aurelius Coccejus dicitur *rationalis*.

292.

A . IVNIVS
AIVTOR

293.

PASICRATIS . CAESARIS
TABVLAR . IMMVN

AIVTOR. Ut sup. *Adjutor* ; at cujus officii ignoratur. PASICRATIS : male Muratorius PASICRATES ; male apud eumdem, TABVL. pro TABVLAR. De officio tabulariorum vide sup. in *not.* ad inscript. 278. Pasicratem ergo hic habemus Cæsaris servum,

vum, immunitate donatum, Italico ſermone *giubilato*. Doctiſſimi viri Blanchinius, & Gorius recte contra Raph. Fabrettum, qui eos tantum *immunes* vocatos fuiſſe excogitavit, quibus ſacri faciendi permiſſio concedebatur, varia immunitatis genera recenſuerunt. Profecto immunitas modo dabatur perpetuo, modo vero ad tempus. Hinc ſuperius in inſcriptione 25. IMM. A. IIII. hoc eſt *immunes annos quatuor*; & apud Gruterum p. XIII. IMMVN. PERPET. *immunis perpetuo*.

294.

BROMIVS
CVSTOS . RATION
PATRIMONII

BROMIVS. Servorum nomina abſque prenomine nonnulla in Liviani columbarii lapidibus adnotavi: ſic PASICRATES *tabularius*. TYRANNVS *dec. trib.* DAPHNVS *diſpenſator fiſci*. AMIANTVS, & APRILIANIDES *arcarii*. SECVNDIO *aquarius*. ANTEROS *colorator*. ROMANVS *a tabulis*. MALCHIO *pædagogus*. REGILLVS *pediſequus*. Ceterum Bromius, Græcè Βρόμιος, latine *frementem* ſignificat, fuitque Bacchi cognomentum, quo uſus eſt Orpheus in hymnis. Diodorus a tonitrus ac fulminis ſonitu in ortu Bacchi, vocatum tradit.

CVSTOS. Ideſt *rationis Cæſarei patrimonii cuſtos*,

295.

DIS MANIBVS
TETTIAE SORANAE
CONIVGIS OPTIMAE
ET . SANCTISSIM.·.
TI . CLAVDIVS . AVG . LIB
HOMERVS . TABVLAR
A RATIONIB . PERMISSV MANILIAE
ARIADNES QVIVS IN HOC MON HAB.·.

TETTIAE SORANAE. Cognomen a *Sora* Latii urbe ad fluvium Lirim, ob id potiſſimum præclariſſima, quod patria fuerit Ven. S. R. E. cardinalis Baronii annalium eccleſiaſticorum facile patris.

PERMISSV. Annuente ſcilicet Manilia Ariadne.

QVIVS. *Quæ jus in hoc monumentum habuit*: ideſt *ad quem* monumentum ſpectabat, aut jure fundationis, aut jure hereditario,

TY-

296.

TYRANNVS
VERN DEG TRIB AVG
DAT OLLAM
PHILADELPO COSER
POTITIANO PISTORI

DEG. *Dec*. Hoc est *decurio tribunorum augusti*: Tres eruditissimi viri, Gorius scilicet, Blanchinius, & Muratorius hanc inscriptionem vulgarunt. At Gorius numeralem notam III. quæ in autographo haud extat, adjecit, posuitque DEG. III. Blanchinius DEC. ITR. pro *Dec.Trib.* & OLLA pro *Ollam*. Muratorius COSIR pro *coser.*, omnes demum PHILADELPHO pro *Philadelpo*. Notum tamen est litteram θ aliquando mutatam fuisse in π: olim quidem *triumpus* scribebant pro *triumphus*, uti testatur Cicero *de Orat.* cap.48. *post autem*, *convicio aurium flagitante*, inquit Cellarius *triumphus* dixere; in posterioribus etiam *triumfus*: ita nonnunquam *tropæum* pro *trophæum*. Revera *Philadelphum* Neronis Cæsaris servum paulo superius vidimus.

COSER. *Conser*. CONSERVO. Omissio litteræ N. haud infrequenter in veteribus saxis occurrit.

POTITIANO. Cognomen a *Potitiis*, Herculis sacerdotibus, desumptum videtur.

PISTORI. Vide quæ de Pistoribus innui *in not.* ad inscript-238. *Secundarii* panis opificem fuisse hunc Augusti pistorem, non mihi incredibile: Augustus enim, teste Svetonio, *secundarium* panem maxime appetebat.

297.

D M
APRILIAN
NIDI SEVE
RI CONSV
LARIS AR
CARIO FIDE
LISSIMO DO
MINVS

298.

AMIANTVS
AVGVSTAE . L ARC:.·
IS DAT CHIO HOMERIFRAT:.

299.

CLASSICVS
PAPIRIANVS
P . P
ARCARIVS
POSVIT

CONSVLARIS. Cognomen potius quam munus hic indicari censeo: cognomina a dignitatibus desumpta retulimus in notis ad inscript.171. ubi Licinium *Sacerdotem*, T.Claudium *Censorem*, C.Hostium *Principem*, N.Appium *Centurionem* vidimus.

DOMINVS. Severus ipse Aprilianidis dominus, arcario suo *fidelissimo* (quod mirandum) monumentum posuit, seu ollam dedit. De arcariis vide Tom. 1. pagin.151.

ARC::: *Arcario*. IS. h. e. Amiantus ipse dat Chio Homeri fratri. Notatu dignum est horum fratrum, alterum Homeri poetarum principis nomen tulisse; alterum sumpsisse ab ejusdem Homeri patria: Χῖος enim Homeri patriam fuisse nonnulli asserunt. AMIANTVS, nomen a quodam lapide fossili & in mo-

modum lanæ friabili. Ex ejusdem filis eliychnia, mappas, linteaque veteres nonnunquam conficiebant, quæ sordidata igne purgabantur.

CLASSICVS. Classici Papiriani inscriptionem in ara sculptam, ex immunditiis quibus diu noctuque deturpabatur, redemi, atque ex vico areæ S. Johannis vulgo *della Pigna* proximo, in musei Capitolini curatoris cubiculum nuperrime adsportavi.

P.P. Papiriam tribum fortasse his siglis quadratarius indicavit, quod novum omnino non esse testatur doctissimus Zaccarias in Inst. lapid. 448.

300.

M. EVTIC.:.
IX ANIII. M. V. D:::
CHARITO
VIX. AN. I. M. VIIII. D. XXF
DAPHNVS
CAESARIS. N
SER. DISP. FISCI
CASTRENSIS
VERNIS SVIS KAR
FECIT

IX ANNIII. Vixit annos tres, menses quinque, dies... CHARITO vixit annum unum, menses novem, dies viginti.

DISP. FISCI CASTRENSIS. Dispensator *fisci*, hoc est *ærarii Castrensis*. Populus enim ærarium habebat, quod vocabatur *ærarium Saturni*. Ærarium vero principis *fiscus* dicebatur, uti ex Spartiano colligitur, qui de Hadriano hæc habet: *Damnatorum bona in fiscum privatum* (nempe in Cæsaris ærarium) *redigi vetuit, omni summa in ærario publico recepta*. Hic de fisco castrensi agitur: hujusce fisci seu ærarii dispensator fuit Daphnus, qui militum stipendia persolvebat, aliasque militares impensas moderabatur. In Muratoriano nostri lapidis exemplari EVTICHII nomen desideratur.

KAR. *Carissimis*. De K pro C vide Cellarium in orthogr. lat. pag. 8.

301.

DIS. MANIBVS. M. ANTONIVS. BERYLVS
DECVRIO. SIBI. ET. CONTVBERNALI. SVAE
ANTONIAE. LACENAE. DEDIT. V. A. XIIX

BERYLVS. Forte *Beryllus*, gemma subviridis atque perlucida.

LACENAE. *Lacæna*, mulier ex Laconia.

CONTVBERNALI SVAE. Servorum conjugium nonnunquam contubernium vocatum, alibi ostendimus.

D. M

302.

D . M
T . FLAVIVS . AVG . LIB.
NARCISSVS . FECIT . SIBI
ET . COELIAE . SP . FILIAE
IERIAE . CONIVGI . SVAE
ET . LIBERTIS . LIBERTABVSQVE
POSTERISQVE . AEORVM
T . FLAVIVS . AVG , LIB . FIRMVS . NARCISSIANVS
RELATOR . AVCTIONVM MONVMENTVM REFECIT . EX
SVBSCRIPTIONE . EORVM QVORVM IVRIS EST DANDI FECIT IDEMQVE SV B
STITVIT SEXTIAM . CHRYSIDEM . CONIVGEM . SVAM ET SEXTIAE
EPITEVSIX . COGNATAE . EIVS . ET LIBERTIS . LIBERTABVSQVE
POSTERISQVE EORVM

RELATOR AVCTIONVM. Auctio ea fuit venditionis species (ut verbis utar Jurisconsultorum) qua pluris licitanti res aliqua addicebatur, præcone pretium proclamante. *Cum repente*, inquit Cicero *Phil.* II., *a te præclara illa tabula prolata, qui risus hominum de te erat? tantam esse tabulam, tam multas, tam varias esse possessiones ex quibus, præter partem Miseni, nihil erat quod is qui auctionaretur, posset suum dicere: auctionis vero miserabilis adspectus, vestis Pompeii non multa, eaque maculosa, ejusdem quædam argentea vasa collisa, sordidata mancipia*. Auctionum proclamationis formulam pronunciat Menæchmi servus Messenio apud Plautum in *Men.* Act.v. Post hæc enim domini verba

Frater faciam ut tu voles
Auctionem hic faciam, & vendam quicquid est.

Messenio elata voce hæc profert

Auctio fiet Menæchmi mane sane septimi.
Venibunt servi, supellex, fundi, ædis, omnia
Venibunt, quiqui licebunt, præsenti pecunia.
Venibit uxor quoque etiam, si quis emptor venerit:
Vix credo tota auctione capiet quinquagesies.

Has bonorum auctiones, & subhastationes factas fuisse modo in foro Olitorio, hodie *piazza Montanara*, modo in ædibus Capitolinis, colligitur ex Tertulliani verbis *Apol.* cap.13. *Sic Capitolium, sic forum olitorum petitur; sub eadem voce præconis, sub eadem hasta, sub eadem Quæstoris annotatione divinitas addicta conducitur*. T. Flavius Firmus fuit ergo *auctionum relator*, publicasque auctiones in acta, vel in tabulas auctionarias referebat: officium profecto antea ignotum.

MONVMENTVM REFECIT. *Restituit*. Ita apud Tullium, *reficere* ædem sacram; ædes *reficere* quæ vitium fecerunt; &, *Demosthenes pecunia sua muros refecit*. Ita pariter in saxo anno 1774. ad S.Paulli via Ostiensi reperto, atque nunquam edito legimus.

P . AELIVS . PRITVS . AVGG : NN . LIB
REFECIT . SIBI . ET . SVIS . ET . PVBLILIAE
HELPIDI . COIVGI . BENE . MER
ET . ET
LIBERTIS . LIBERTABVSQVE . POSTERISQVE
EORVM

SVBSTITVIT. De jure substituendi heredes alibi egimus: vide si vacat Calvinum. CHRYSIDEM. *Auream*: Chrysides vero sunt aureæ crepidæ. EPITEVSIX, forte *epiteusis*, aut *Epiteuxis*.

303.

L . AXIVS
DAPHNVS
CHORAVLES

CHORAVLES. Ex græcis vocabulis χορὸς *tripudium*, & αυλος *tibia*, seu *fistula*. Choraula, Choraulæ, & Choraules vocabantur qui cum choro tibiis canebant. Primis temporibus, teste Svetonio choraules in comædiis canebant; postea a comædia seipsos separaverunt, & seorsim in scæna artis suæ specimen exsequebantur, habebantque chorum, qui ubique comitabatur. Eumdem fere morem nostra quoque ætate, molestissimi quidam feriatique homines totius Italiæ deambulatores imitantur. De musicorum choro eleganter Seneca ad Lucilium ep.48. *Non vides quam multorum vocibus chorus constet? unus tamen ex omnibus sonus redditur: aliqua illic acuta est, aliqua gravis, aliqua media: accedunt viris fœminæ, interponuntur tibiæ; singulorum illic latent voces, omnium apparent.* Authores nonnulli, antiquorum proverbio, *nullum convivium sine citharoedo*, nimis addicti, choraulas a conviviis excludunt, citharoedosque tantummodo mercede conductos opinantur. At ex sequentibus ejusdem Senecæ verbis; *in comessationibus nostris plus cantorum est, quam in theatris olim spectatorum fuit*, perspicuum est choraulas etiam in conviviis aliquando tibiis cecinisse.

304.

DIS MANIBVS
DECEMBRI . PICTORIS
VIXIT A̅ XXXIIII . M̅ . I
ET D . X . MITTHVNI
BALVXOR CONIVGI
BENE MERENTI
FECIT

305.

ANTEROS
LIVIAE
COLoRATOR

PICTORIS. Picturæ artem summopere coluisse Romanos testantur non historici tantummodo, sed & ipsæ quæ adhuc extant hujusce artis reliquiæ, inter quas celeberrimæ illæ sunt potissimum enumerandæ, quæ vulgo *le nozze Aldobrandine* vocantur, quæ scilicet Romæ in Aldobrandinorum ædibus, integræ (curante excellmo D. Paulo Principe Burghesio, bonarum artium cultore eximio) atque a temporum injuria tutæ servantur. Notum est insuper picturæ operam dedisse nobiles etiam viros, ex quibus Fabius qui proinde cognominatus est Pictor, quod ædem Salutis picturis ornaverit anno V.C. 450. *Cognomen ex pictura*, inquit Plinius lib. 34. *traxerunt Fabii: principes ejus cognominis, ipse ædem Salutis pinxit, quæ pictura duravit ad nostram memoriam, æde Claudii principatu exusta.* Præter hunc, duos nominat Plinius viros consulares, qui nobilissimam hanc artem exercuerunt. Apud Græcos hoc servis vetitum innuit idem Auctor l. 35. cap. 10. Apud Romanos vero pictores fuere inter servos domus Augustæ, uti colligitur ex lapidibus, & ex Petronii verbis cap. 29. ubi satyricus ille domus Neronianæ picturas recensuit. Pluribus immo gaudebant privilegiis, nam censum capitis etiam servi non pendebant, hospites

pites recipere non cogebantur, pergulas & officinas locis publicis sine pensione tenebant, in civitate, quam elegerant morabantur. V.C. Theod., & Panciroⅼ. *de corp. Artif.* num. 3. Cornelii Philomusi pictoris SCAENARII qui ab aliis distinguebatur extat inscriptio apud Gudium pag. 214.

ANTEROS. Idest *Cupido Cupidini contrarius*.

COLORATOR. Multum a pictoribus differebant coloratores: isti enim colores tantummodo dissolvebant, parabantque, aut ad summum colores tectoriis inducebant pingebantque parietes, & pavimenta, quemadmodum fieri jussit Caligula uti narrat Svetonius; cum Circenses ludos ederet. Hinc coloratores *pavimentarii*, de quibus inferius in tabula Antiatina. Vocabantur etiam ἰνδικοπλάσται, quod, coloribus quibus ad pingendos parietes utebantur, Indicum preferrent. Neque attendendi qui coloratores eos fuisse putant, qui colores conficiebant: nam primo quomodo colorum opifices appellarentur, nemo Auctorum docet, secundo quia tunc *colorarii* potius, quam *coloratores* dicendi forent.

306.

SECVNDIO IVLIAE . AVG
AQVARIVS . DAT . OLLA
ADVENAE CONIVGI . PIAE

SECVNDIO. *Gen.* SECVNDIONIS quasi Δευτερίας, inquit Salvinius apud Gorium, *quod de secundo vino dicitur*. Hac suscepta, licet violenta nimis etymologia, Servus hic noster, nomen officio prorsus contrarium sortitus est.

AQVARIVS. Aquariorum aliqui vocabantur etiam castellarii, quorum erat aquas publicas custodire, atque e castellis erogare. Clementem, aquæ Claudiæ castellarium laudat marmor apud Pignorium *de servis* cap. 5. Inter agricolas *aquarii* dicebantur & qui aquam in agros, hortos, & vireta, nec non in prata derivabant. Palæmon apud Virgilium

Claudite jam rivos pueri, sat prata biberunt.

Insuper qui in ædes aquam gerebant, qui in balneis frigidaria tepidaria, & calidaria moderabantur, qui demum aquam, ut opus erat, ministrabant, omnes in aquariorum corpus aggregati erant. Verum & alii fuere aquarii impudicarum mulierum sordidi asseclæ, quos lenones vocabant. Lampridius de Imp. Commodo, *aquam gessit*, inquit, *ut lenonum ministeriis probrosis natum magis, quam ei loco crederes, ad quem fortuna pervexit*. Horum aquariorum mentio est apud Plautum in *Poen.* act. 1. ubi de quarumdam meretricularum lavatione hæc habet

Postquam illuxit aurora, nunquam cessavimus ex industria
Ambæ lavari, atque fricari, aut tergeri, aut ornarier
——*aggerundaque aqua sunt viri defessi duo.*

Hinc *aquarioli* ad contemptum dicti sunt, & *bacariones*, qui hujusmodi munus in domibus meretriciis obibant, & lavantibus scortis in aqua aggerunda, & effundenda ministrabant. Propterea Secundionem de istorum grege unum fuisse suspicor, eo magis quod ex servis erat Juliæ Augusti filiæ, quæ, impudicitia, singulas forte sui ævi lupas, magno post se intervallo reliquit. Locus Macrobii Saturn. lib. 2. cap. 5. suspicionem hanc meam mire confirmat: *anerterant in se*, inquit, *populum in spectaculo gladiatorum Livia, & Julia, comitatus dissimilitudine. Quippe cingentibus Livia gravibus viris; hæc juventutis, & quidem luxuriosæ grege circumsidebatur*.

IVLIAE. Ita in autographo: corrigantur igitur Gorius in textu, & Blanchinius in adnonationibus: uterque enim LIVIAE pro Juliæ scripsit. OLLA; lege *ollam*.

307.

M. LIVIVS PYRSVS
LOCHIADIS . L
. A MAN OL DAT
CERYLLVS . DISP

AMARANTITO
CERYLLI DELICIVM
VIXIT . ANNIS . III . M III
DAT OLLAM CERYLLVS L

M. Livius Pyrsus (*pyrsia* significatio est, quæ fit accensis, & sublatis facibus; hinc *pyrsos*, festum anniversarium Argivorum) Lege M. *Livio Pyrso Lochiadis* amanuensi: huic ollam dat Ceryllus dispensator, Amarantito vero, Cerylli delicio, ollam dat ipse Ceryllus libertus, forteque pater. Male Gorius AMARANTHIO pro *Amarantito*; male DELICIVS pro *Delicium*. Blanchinius quoque perperam scripsit AMANDI pro A MAN. & AMARANTHO pro Amarantito, & bis CIRILLI pro CERYLLI, omisitque post *Ceryllus* secundo loco siglam L. Quæ in exscribendis lapidibus sit adhibenda diligentia, ipsa tantorum virorum ablepsia, aut ut moderatius loquar, amblyopia satis ostendit.

308.

M . IVLIVS . AVG
L . ISMARVS
A . MANV

309.

CALAM.:.
LIVIAE
DISPENSA:.

310.

ROMANVS
LIVIAE DEC.
A . TABVLIS

311.

C . IVLIVS
POTHINVS
CAESARIS FVLLO

ISMARVS, quasi *Ismirus*, seu *hismiridius*, apis asper, quo gemmæ teruntur: Itali *smeriglio*. A MANV, vid. sup. not. ad inscrip. 275. Blanchinius male LIVIVS pro *Julius*. CALAM.:. *Calamus Liviæ dispensator*. DEC. A TABVLIS. Idest *decurio tabulariorum Livianorum*. POTHINVS. *Dilectus*.

FVLLO. Nos *curandajo*, simul, & *cavamacchie* dicimus. Fullonum enim non solum est vestes lavare, & purgare, sed etiam ex eisdem maculas eluere. Antiquitus lavabantur creta & sulphure; sed quomodo, quove ordine, præscribit lex Metella *de Fullonibus* a Cæcilio Metello lata. Vid. Calvinum in leg. Rom. Fullones in collegium coaluisse compertum est magis auctoritate marmoris Capitolini, quod edidi T. I. Inscrip. 24. p. 50. (ubi Fullones nominantur) quam testimonio marmorei fragmenti a Fabretto relati cap. IV. pag. 333.

112.

∴ROS . AVG . L . ROGATOR
LIVIA . LEZBIA

Eros Augusti libertus *Rogator* . De rogatorum officio jam satis in not. ad inscription. 240.

∴VS . ROGATOR . Fragmentum nominis cujusdam rogatoris, puta *Julius* &c. Gorius scribit ∴FICIS . ADMIS . pro ∴FICIS . ET ADMISS∴ explicatque *ab officiis admissionum*, quam sane interpretationem haud approbo, nisi cum interprete deleatur copula ET , qua duo diversaque inter se officia indicantur . Ceterum, virum *ab officiis admissionum* (si quis unquam in aula Cæsarum munus istud exercuit) Gorius fuisse putat, quem vulgo dicimus *maestro di camera*: Blanchinius vero, *segretario d' ambasciata* . An recte, viderint alii . Hos ego quidem non *ab officiis admissionum*, sed *admissionales* dictos autumo nam quamvis Svetonius in vespas. cap. 14. dixerit: *quidam ex officio admissionis simul expeliens, abire Mothoniam jusserat*; verba tamen habentur apud Lampridium in Alex.Sev. aperte *admissionalium* existentiam testantia, verbisque Svetonii preferenda : *cum amicis*, inquit Lampridius, *tam familiariter vixit*, *ut communis esset ei sæpe consessus &c. salutaretur vero quasi unus de Senatoribus*, *patente velo*, admissionalibus *remotis* . Adi Pignorium, & Salmasium, qui Blanchinio, & Gorio diligentius de admissionalibus disseruerunt: iste *in comment.* ad Lampridii historiam; ille in op. *de servis* cap.21.

113.

∴VS : ROGATOR
∴FICIS . ET ADMISS∴
∴CAESARIS MATERNVS

314.

∴FELICIS . TI
∴CAESARIS
∴AD POSSESS

AD POSSESS . *Ad possessiones* . Qui nimirum bona immobilia, quæ Cæsar possidebat, curabat . Novi incognitique hujusce officii notitia, saxo huic Capitolino debetur .

315.

HELIODORO . AVG . L . TABVLA∴
PANEROTIANO . HON . ET∴
ANTONIAE . MYSTICHE CONIV∴

HELIODORO . *Heliodorus est solis donum* : Augusti *tabulario* HON . *honorato* . vid. sup. inscript. 50., & Chimentellum de hon. Bisell. lib. 33.

PANEROTIANO cognomen a quadam gemma *paneros* dicta .

MYSTICHE . *Mysticum* est quod in arcanis deorum fit . Quare Blanchinius ediderit THEODORO pro HELIODORO, non assequor .

HE-

316.

HERENNIA LAVD
sic CONIVNX CALAIS
CVBICVL PVLCHRI

LAVD. *Laudice*, ut in aliis ſaxis. CALAIS. forte *calamis*, ab acu *harundinea*, qua olim utebantur mulieres componendis capillis. Viri nonnulli, *calami* nominati, in noſtris inſcriptionibus reperiuntur. CVBICVL. *Cubicularius*; de hoc officio ſatis in not. ad Inſcript. 44.

317.

DIS MANIBVS
ABASCANTN VICARIO
DE . SE . BENEMERITO
PHILETVS . HER
T . I . O . SER

VICARIO. De vicariis, nihil Pignorius; pueriliter Sponius: *vicarii*, inquit ſect. VI. pag. 218., *qui vicos aliorum obibant*, quod profecto negari nequit. Doctius T. Popma *vicarium*; ſervum ſervi *majoris*, ſeu *ordinarii* in familia, dicit: hinc Horatius ſat. 7.

Sive vicarius eſt qui ſervo paret uti mos
Veſter ait, ſeu conſervus.

in eadem enim familia erant alii lautiores ſervi, alii tenuiores; qui vero infimum ſervitutis locum tenebant, *mediaſtini* vocabantur: hos, *ſordidioris operæ* ſervos appellavit Seneca. Quippe ordinarios ſervos ſub ſe vicarios habuiſse auctor eſt Ulpianus L. 17. D. *de pecul.* ubi legimus: *ſi ſervus meus ordinarius vicarios habeat, id quod vicarii mihi debent, an deducam ex peculio ſervi ordinarii?* Martialis lib. 2.

Eſſe ſat eſt rerum, jam nolo vicarius eſſe.

Vicarias quoque ancillas in grege ſervorum fuiſſe teſtantur ſaxa: ita *Regillam* Quartionis, & *Myrinam* Fauſti fullonis *vicarias* inter Gruteriana reperimus. Ordinario ſervo libertatem adepto, ſi Vicarius ab eo liber efficiebatur, ipſummet in patronum agnoviſſe, opinatur Fabrettus: recte quidem; at quæ vir doctiſſimus ſubdit, nimirum ſervos quandoque in ſervitute remanentes, ſuos libertos habuiſſe, non placent eruditiſſimo Oderico, quem adeas in ſyll. vet. Inſcript. p. 220.

T. I. O. SER. Deſperatæ prorſus interpretationis ſiglæ, quas nullibi vidimus. PHILETVS, *amabilis*.

318.

DIS MAN . NAIDI . CAESARIS . VERNAE
EX . NVMERO . PYR^{R}ICHE . V . A . XXV . M . II . DVN . O
ONESIMVS CAESARIS N̄ . CONIVGI . B . L
FECIT . ET . SIBI . ET SVIS . POSTERISQEORVM

PYR* ICHE. Pyrricham ſaltationem *Trojam* Servius vocat Æn. lib. v. At multum a Troja pyrricham diferre cenſeo: hæc enim pedeſtris ſaltatio fuit; illa modo pedeſtris, modo equeſtris. Trojæ inſuper auctor fuit Aſcanius; Pyrrichæ vero Minerva, quæ, ut narrat Dionyſius poſt deletos Titanas fertur prima cum armis ſaltaviſſe, choreaſque duxiſſe; aut Curetes dum Jovem, quem nutriebant, mulcerent armorum ſonitu, compoſitoque membrorum motu. Plato etiam *de leg.* lib. 7, *Pyrricham* eſſe docet quæ motione

ne corporis imitatur ictus. Troja denique nec ſaltatio erat, nec rhytmicus corporis motus, ſed curſus, atque Trojanum agmen. Virg. lib. cit.

Hunc morem, curſus, atque hæc certamina primus
Aſcanius, longam muris cum cingeret Albam,
Retulit &c.
Trojaque nunc, pueri, Trojanum dicitur agmen.

Nais ergo fuerat ex numero Pyrriche; ideſt (ſi tamen quid video) e numero mulierum quæ pyrricham in ludis publicis ducebant. Iſtud enim ſpectaculi genus exhibuiſſe Neronem teſtatur Svetonius: *exhibuit*, inquit, *& naumachiam: marina aqua innantibus belluis; item pyrrichas quaſdam e numero epheborum*. Fæminas interdum ſpectante populo ſaltaviſſe conſtat ex Dione quemdam Æliam Catulam laudante, quæ licet depontana ſaltavit in ludis Juvenalibus, ab eodem Nerone celebratis: id immo colligitur ex ejuſdem hiſtorici ſequentibus verbis: *Cæteri, qui propter ſenectutem, & morbos præcipue nihil poterant facere, canebant; ſe enim exercebat unuſquiſque ut poterat, erantque ob eas res ſcholæ conſtitutæ, quas frequentabant clariſſimi viri, mulieres, puellæ, adoleſcentuli, vetulæ, ſenes,* Vid. Xiphil. *in epit.* Neque obſtat quod ſaltatio hæc militaris fuerit; nam fæminas quandoque Martis certamina ſimulari conſueviſſe teſtatur epigramma quoddam ἀνέκδοτον a doctiſſimo Salmaſio proditum in comment. ad Spartiani hiſtoriam, hujuſmodi

DE PYRRICA

In ſpatio Veneris ſimulantur prælia Martis,
Cum ſeſe adverſum ſexus uterque venit.
Fæmineam maribus nam confert pyrrica claſſem,
Et velut in morem militis arma movet.
Quæ tamen haud ullo calibis ſunt tecta rigore,
Sed ſolum reddunt buxea tela ſonum.
Sic alterna petunt jaculis, clypeiſque teguntur:
Nec ſibi congreſſu vir nocet aut mulier.
Luſus habet pugnam, ſed habent certamina pacem:
Nam remeare jubent organa blanda pares.

Ipſam immo Pyrricam duxiſſe affirmat Alex. ab Alex. *gen. dier.* lib. VI. cap. 19. hæc ſcribens: *In Panathenæis armatos pueros ſaltare voluerunt, in quibus pueri, puellæque, manibus amplexi, nunc in orbem, nunc in obliquum per diverſos flexus* Pyrricam *in theatro ſaltabant*. His adde quæ a laudato Dionis epitomatore narrantur; nempe Neronem pugnas etiam noctu ſæpe exhibuiſſe, & interdum nanos, & fœminas inter ſe commiſiſſe. Compertum denique fœminas nonnunquam more gladiatorum publice in amphitheatro decertaſſe, quod elegantiſſimis verſibus aſſeruit Statius in Sylv. l. I.

Hos inter fremitus, luſus
Spectandi levis effugit voluptas:
Stat ſexus rudis inſciuſque ferri,
Et pugnas capit improbus viriles:
Credas ad Tanaim ferumque Phaſim
Thermondotiacas calere turmas.

Nil mirandum igitur militares choreas, ideſt Pyrricas duxiſſe aliquando mulieres, eo magis quod hoc ſaltationis genus, fæmineum (ideſt Minervæ) fuerit inventum.

CAESERIS. *a* pro *e*: ita in alia Muſ. Capitolini: T. CLOELIVS DE VICO CAESERIS.

319.

D*I*S MANIB
IVLIAE SEDATAE
DEC
CONTVBERN
C. IVLII BATHYLLI
IMMVNIS

DEC. *Decurio*. Quemadmodum liberti, ita libertæ in decurias dividebantur; propterea ſicut libertorum decuriis præerant decuriones viri, ita decuriis libertarum decu-

riones fœminæ, ex quibus fuit Julia Sedata, C. Julii Bathylli contubernalis, ideſt uxor: Conjugium enim vocari ſæpe *contubernium*, itemque uxores, *contubernales*, liquet ex pluribus inſcriptionibus penes antiquorum lapidum collectores. Unum tantummodo Gruterianum dabo

FELIX . AVG . ADIVT . A . RAT . QVI
SORTITVS . IN . CONTVBERN SVO
ARRIAM . RVFINAM . QVAE . FVIT
VXOR . EIVSDEM
&c.

Ita apud Svetonium de Imp. Veſpaſiano legimus lib. VIII. cap. 3. *poſt uxoris exceſſum, Cænidem Antoniæ libertam adamavit, dilectam quondam ſibi revocavit in contubernium, habuitque etiam Imperator pene juxtæ uxoris loco.*

BATYLLI. Inſcriptio non ad illum ſaltatorem Bathyllum pertinet, quem falſo Salmaſius in ſuis ad Vopiſcum notis pantomimicæ ſaltationis inventorem facit, primumque hanc, extra tragœdiam, atque comœdiam, in ſcenam latinam, imperante Auguſto, induxiſſe arbitratur. Vid. Nic. Caillachium de lud. ſcen. pag. 53. ed. Patav. Non ad ſaltatorem, inquam, ſed ad C. Julium Bathyllum, qui templi ab Auguſto, & Livia in Palatino erecti æditũus fuerat, cujuſque marmor alterum illuſtravi: Vid. tom. I. num. 50. p. 89.

320.

LVCIFER . V . A . I . ET . D . XLV | CALLISTVS
HESPER . V . A . II | V . A . XII
PROTOGENES . CAESAR . AVRIF . FILIS . SVIS
DONAT . TI IVLIVS . IRENIO . DEC

321.

M . LIVIVS
AVGVSTAE . L .
MENANDER
AVRIFEX

322.

STEPHANVS
TI . CAESARIS
AVRIFEX
| PHILETE
STEPHANI
IMM

323.

EPYTICANVS
AVRIFEX

324.

M . IVLIO
DIVAE . AVG . L
AGATOPODI
AVRIFICI
M . IVLIVS PROCLVS
| IVLIAE
IVCVNDAE
AGATOPODIS
FIL . V . A . III . M . II . D . X

325.

M. IVLIVS. AVGVST
AGATHOPVS
AVRIFEX. DAT
IVLIAE. RESTITVTAE
IVLIAE. VITALI
IVLIO. FELICI

Hæc ſunt marmora, quæ in Muſ. Capitol. ad aurifices ſpectantia viſuntur. Gorius tamen, & Blanchinius ſequentia vulgarunt,

ZEVSIS. LIVIAE. L
AVRIFEX
RVFA. TERTI. L

Noſtra breviter illuſtrabo ſervato enumerationis ordine.

LVCIFER. Raphael Fabrettus in inſcript. cap. IV. p. 305. quos vetuſtorum nominum etymon interpretari ſuſcipiunt, acriter reprehendit, ac Sertorii Urſati curam omnia paſſim cognomina nominaque explicandi *putidam* vocat atque *inanem*. Hanc tamen cum nec inanem nec putidam exiſtimarint doctiſſimi viri Alex. ab Alexandro, Reineſius, A. M. Salvinius, Gorius, interdum Muratorius, aliique, ſic & ego, bona Fabretti venia, Urſati exemplum ſequar, eamdemque curam imitari haud erubeſcam. Lucifer ergo nomen eſt a ſtella Veneris proveniens; quæ quum antegreditur Solem latine dicitur *Lucifer*, græce φωςφόρῶς. Martialis lib. 8.

Phoſphore redde diem; quid gaudia noſtra moraris?
Cæſare venturo, Phoſphore, redde diem

quum vero ſubſequitur, appellatur *Heſperus*, & *Veſperugo*. Alter fortaſſe ex his Protogenis noſtri liberis natus erat ſummo mane, alter poſt Solis occaſum

PROTOGENES. *Primogenitus*.

326.

CVRTIA | IVCVNDA
MYRINE | AGATOPODOS
CLADI | AVR

327.

PHILOMOSVS
TERTI. L. INAVR

quæ in ejuſdem muſei Columbario numquam extitiſſe pro certo habeo. Ex laudatis ergo viris ea accipe.

HEDYS. AVR | SECVNDA
HEDI

CAESAR. Ita, & quidem recte etiam Blanchinius: Gorius vero legit CAPSAR, Protogenemque noſtrum Cæſaris aurificem in aurificum Capſarium transformavit: verum corpus aurificum Capſarios habuiſſe neque ſcriptorum, neque ulla conſtat lapidum authoritate. Putavit equidem vir eruditiſſimus ſcriptum in marmore CAESAR, *ſed de hac*, inquit, *lectione* CAPSAR *certior factus*, *novum officii genus conſiderandum propono*, *hactenus incognitum*. Verum ego oculorum, digitorumque meorum teſtimonio certior Gorio factus, CAESAR in marmore legi affirmo.

AVRIF. Aurifex Cæſaris. Qui ſcilicet non vaſa aurea tantum, & anulos, ſed omnia utenſilium genera, quibus utebantur Auguſti, ditioreſque urbis, faciebat. Aurificum quippe artem antiquiſſimam eſſe, ex innumeris Iliadis Homericæ locis colligitur. Celeberimorum aurificum nomina reperiuntur huc illuc penes auctores; at D. Joſephum, MARIAE Deiparæ ſponſum, aurificem fuiſſe, ſomnium eſt Hugonis Card. ut ſcite innuit doctiſſimus Lamius *de erud.* Apoſtol. pag. 224. ed. alt. Flor. 1776. Ceterum qui artem hanc exercebant dicebantur etiam *Aurarii*, quod conſtat ex lapidibus a Fabretto in col. Traj. c. 18. & a

& a Petro Servio in feriis juvenilibus cap. 8. editis.

322. STEPHNVS. *Stephanus*. Nomen a corona: *Stephanophorus*, qui coronam gestat. N. pro AN.

323. EPYTHICANVS. Seu EPYTHINCHANVS ut alibi, i. e. *Fortunatus*. Eximium gemmarum opificem, Epitynchanum nomine Augusti ævo floruisse asserit Jo. Faber in imag. ill. viror. num. 62. pag. 41. Gorius *in gemm. mus. Medic.* tab. 9. p. 23. gemmam cum Germanici effigie vulgavit, in qua legitur EPITYNCHANI OPVS. Uterque opinatur hunc, illum ipsum esse, quem marmor nostrum inter Augusti libertos enumerat: at noster, *aurifex* dicitur; nec probari potest *aurifices* gemmas sculpsisse. Sponii enim epigramma (quo potissimum nititur Gorii sententia) hujusmodi

Noverat hic docta fabricare monilia dextra,
Et molle in varias aurum disponere gemmas.

Non equidem gemmarum *scalptorem* enunciat, sed monilium quemdam egregium *artificem*, gemmarumque *ornatorem*, qui gemmas eleganter in aurum disponebat. Qui sculpebant, *gemmarii* dicebantur, uti ex lapide a Fabretto edito cap. 2. pag. 89.

325. AGATHOPVS. *Pede bono*, ex versione Salvinii, qui AGATHOPVS legi debere docet, non vero AGATHOPOS.

326. CLADI. *Claudii*. Claudius Nero satyrice dictus est *Cladus Mero*; at hic suppressio litteræ V error forte est quadratarii: forte inquam, nam Cladi cognomen reperitur in fastis, ex quibus constat C. Cælium *Claudum* consulatum gessisse anno V. C. 659. cujus imaginem vulgavit Causeus in mus. Rom. tom. I. sect. 1. tab. 20.

327. PHILOMOSVS. *Musicæ artis amator*, ut alibi explicavimus.

INAVR. *Inaurator*. Differebat ab aurifice: aliud est enim vasa & similia ex auro elaborare, aliud utensilia ex quavis materia inaurare. Inaurabantur aliquando statuæ, ut videre est in æneo illo Hecatis Triviæ statuarum acervo, qui in Mus. Capit. miscellanearum cubiculo adservatur; tres heic statuas videbis, in quibus antiqua adhuc auri inductio apparet. Hinc Catullus *auro pallidiorem* quamdam statuam dixit. Currus quoque & laquearia inaurata memorant Horatius, Propertius, aliique. M. Ulpium Dionysium AB AVRATVRIS legimus apud Gruterum, & Boldonium in Epigraph. lib. v. Hunc aureorum utensilium domus Augustæ custodem fuisse reor.

Emendandus nunc Blanchinius, qui in lapide (heic) 322. edidit STEPHNVS pro *Stephanus*, & PHILETI pro *Philete*, & in 324. PROCVLVS pro *Proclus*. At magis emendandus Gorius apud quem (inscr. 321.) reperies CAPSAR, uti notavimus, pro *Cæsar*. in 322. hanc additionem ATIA DAT ACIDI LIV. quæ in autographo non extat. in 323. STEPHNVS ut Blanchinius. in 324. EPYTYCANVS pro *Epythicanus*. in 325. PROCVLVS pro *Proclus*: in 327. tandem CLAVDI pro *Cladi*.

328.



DIS . MANIBV
FIRMO . CAESARIS
SER . DE MONETA
VIX . ANN . XXV . FEC
AIIFNA

DE MONETA. Ex his nempe quos T. Cæsar monetæ propoſuerat. Tranquillus: *præterea monetæ publiciſque vectigalibus peculiares ſervos præpoſuit*, diverſos utique a *monetalibus* quibus curam cudendæ monetæ demandata erat, quique inter urbanos magiſtratus connumerabantur; diverſos itidem a *monetariis*: hi enim metallum tractabant, & ſignabant, & dicebantur etiam *ſignatores*, *ſuppoſtores*, & monetæ *malleatores*, uti ex inſcriptione a Patino relata in numiſm. Impp. p.34.

APOLLINI . AVG
SACR
FELIX . AVG . LIB . OPTIO . ET
EXACTOR . AVR . ARG . AERIS
ITEM . SIGNAT ; SVPPOSTORES
MALLEATORES . MONETAE . CAESARIS
N

eorum tantus fuit numerus, ut Aureliano imp., bellum moverint, quod teſtantibus Vopiſco, Eutropio, aliiſque, vix extingui potuit. Cætera officia conſtanter enunciantur per *a*, aut per *ab*; ſic *a* manu, *a* veſte, *a* diplomatibus, *ab* epiſtulis, *ab* ægris; *ab* atrio &c. Hoc vero, quod Firmus exercebat, per DE; eadem nimirum propoſitione, qua nonnunquam ſervorum domicilia indicantur, ut Noſtia ornatrix *de* vico... *de* ſacra via, *de* æde Bellonæ, *de* Subura, *de* vico Cæſaris *de* vico Scauri, *de* vico Liciniano, *de* inſula: quapropter haud mihi inveriſimile videtur Firmi domicilium juxta monetæ officinas ſitum heic indicari. Ipſe enim locus cudendis monetis deſtinatus (quem in regione Urbis octava, non longe a ſaxo Tarpejo extitiſſe, authoritate Livii aſſerit Nardinius R. A. lib.v. cap.16.) vocabatur *moneta*; unde Sidonius Apoll. in carm.23.

Portis, Porticibus, Foro, Theatro
Delubris, Capitoliis, Monetis
Thermis &c.

329.

TI . CLAVDIO . AVG . L . EVTYCHO
PAEDAG . PVERORVM
TI . CLAVDIVS . AVG . L . EVNETES
FRATRI . SVO . ET . FLAVIVS . AVG . L
VENVSTVS . AB . AVRO . POTORIO
PAEDAGOGO . SVO . FECERVNT

330.

MALCHIO . DRVSI
PAEDAGOGVS . DEC.
HELPIDI . LIVIAE . L . MALCHIONT
OLLAM

PAEDAG. *Pædagogo*: de pædagogis vide quæ scripsi tom.I. in not. ad inscr. 99. & 137.

AB AVRO POTORIO. Præpositos auro escario, argento escario, auro gemmato, argento scenico, habemus in vetustis marmoribus: heic servum *ab auro potorio*, hoc est qui vasa aurea ad potandum custodiebat, lavabat, forteque etiam Augustis convivantibus porrigebat. Servi pariter *a gemma potoria* meminit lapis Pisaurensis. M. Ulpium Phædimum Trajani *a potione*, nominat saxum Mazzochianum. Augustorum in vasculis potoriis luxum ex ipsa vasorum varietate colligitur; nam præter aurea, argentea, & gemmata, vasa habebant Deliaca, murrhina, Samia, crystallina, Theraclea &c. Vid. Nic. Baysium de vasc. tract.

DRVSI. *Liviæ filii*, cujus gesta celebravit Horatius carm. lib. 4. DEC. DECVRIO.

331.

D M
T . FLAVIO . AVG . LIB TICHICO
ADIVTORI . A VESTE CAS
TRENSE . LIB . PATRONO . B . M
FECER . FELIX ET ARRVNTI
.·.ANVS . ET . EPICTESIS . ET . SIBI
.·.T . SVIS . LIB . LIBERTABVSQ
POSTERISQ . EORVM

A VESTE CASTRENSE. E lapidum antiquorum collectionibus nonnulla vestium genera erumpunt, quibus utebantur Augusti: vestis nempe matutina, vestis regia, magna, scenica, gladiatoria, triumphalis, privata, venatoria, quarum seorsim cura peculiaribus

bus servis tradebatur. Heic T. Flavius Tichicus occurrit adjutor *a veste castrense*, quæ alio vocabulo *paludamentum* dicitur, quo induti in castra procedebant non Imperatores dumtaxat, sed & duces, aliique milites; hinc Juvenalis sat.VI.

Cumque paludatis ducibus, præsente marito
Ipsa loqui recta facie.

Curiatii, adversus Horatios pugnaturi, certe paludati incesserunt, quod innuit Livius, hæc de Horatiorum sorore referens: *cognitoque super humero fratris paludamento sponsi quod ipsa confecerat, solvit crines.* Tullius tandem ad Cassium: *Pansa noster paludatus ad tertium calend. Januarii profectus est.* Attamen eorum sententiam, qui hac denominatione, i. e. CASTRENSE, singula vestimenta, quibus in castris utebantur milites vocari debere arbitrantur, non aspernor. Lapidem, servum alium a veste *castrensi* Neronis exhibentem, accipe ex Leon. Cecconio hist. Præneſt. lib.I. cap. VII.

ALCIMVS
NERONIS . CAESARIS
AVG . SERVOS . A
VESTE CASTRENSI
VIX . ANN . XXX sic

332.

D . M
EVTYCHES . CAE . NS . PEDISEQV
STATIONI . CASSTRESE . FEC .
MATRI . PIENTISSIMAE T .
FAVSTVS COLLEG AEIVS
FECERVNT . SIBI . VTRIVSQVE
SVORVM ET POSTERISQVE
EORVM

333.

PRINCEPS.:..:.:.:. AM.:.
PEDISEQ . DEC.:.:.: .:. .:.

334.

.:.S PEDISEQ.:.
.:.N . DEC ET . DAT.:.
.:.:.TVSAE CONIV.:.

335.

REGILLVS
LIVIAE . PED

336.

M . IVLI.:.: CARISI.:.:
IVLIA . ELATE . PEDISEQ

337.

.:.:.AMYRIS	LIVIAE
PEDISEQ . GNISMO	APHRODISIAE
LIVIAE . SER . MAGISTR	CONIVGI . SVAE
SVoDAT . OLLAM	DAT OLLAM

332. NS. *Nostri servus.* PEDISEQV. *Pedisequus*; aliquando *pedisequos*, *o* pro u. & *pedissequos* duplici *ss.* ut apud Plautum in *Mil. glor.* act.IV. ubi Pyrgopopolynices, Palæstrioni dicenti *sequere hac me ergo*, respondet, *pedissequos tibi sum.* Qui dominum præcede-

cedebant, exclamantes *date locum domino meo*, uti testatur Acron in Hor. ep. lib. I, *Anteambulones* dicebantur: hinc Martialis

Sum comes ipse tuus, tumidique anteambulo regis.

Qui vero dominum subsequebantur *pedisequi* vocati sunt.

STATIONI . CASSTRESE . *Castrensi*; forte *stationis castrensis*. Stationes erant loca publica potissimum circa Forum sita, in quibus otiosi stare, ac confabulari solebant, quemadmodum nostrates in officinis, quas *caffè*, italice loquentes, dicunt nobilioreque nuncupatione *ridotto*, *casino*. At hic de stationibus castrensibus agitur, de quibus ita Suidas: *Statio est ordo per vices ante castra stantium*: quamobrem pedisequi istius officium fuisse opinor Cæsarem suum comitari cum is castra circumiret exploraturus utrum excubiarum, aut Centurionum aliquis stationem deseruisset, quod delictum erat capitale, teste Polybio.

COLLEG .. AEIVS . *Collega ejus*.

333. PEDISEQ . DEC . *Pedisequorum decurio*.

335. LIVIAE . PED . Servos a pedibus etiam mulieres aluisse liquet ex hoc lapide, in quo Regillus pedisequus Liviæ dicitur: nostra vero ætate non nobiles tantum mulieres, sed viliores pedestresque femellæ sine pedisequo (vulgo *il domenichino*) urbem circumire erubescerent.

336. IVLIA ETATE PEDISEQ . *Pedisequa*. quæ dominam subsequebatur. Cleæreta apud Plautum in Asin. act. I.

———————— illi rei studet
Vult placere se se amicæ, vult mihi, vult pedissequæ.

Quædam erant, teste Cornificio, pedisequæ puerorum, quorum gressus dirigebant. Omitto servos a pedibus, qui epulantium dominorum soleas custodiebant; horum meminit Martialis lib. XII.

Bis Cotta soleas perdidisse se questus,
Dum negligentem ducit ad pedes vernam,
Qui solus inopi præstat, & facit turbam.

Omitto & pueros *ad pedes* dictos, quod cœnanti domino ad pedes starent: unde Seneca de Benef. lib. III. *servus qui cænanti ad pedes steterat, narrat quæ inter cænas ebrius dixisset*.

337. .·.·AmYRIS . Fortasse *Thamyris pedisequa*: primas enim nominis litteras excidisse liquet ex marmoris fractura, quam Blanchinius non notavit, & Gorius ignorabat. Uterque propterea AMYRIS, veluti perfectum nomen, scripsit.

MAGISTR . *Magistro suo*, idest pædagogo. Quippe heic agi, ut Gorio placuit, de magistro Palatino; cui, docente Gutherio de off. dom. Aug. lib. I., tota Palatii disciplina, quoad mores, pertinebat, minime censeo. Magisterium enim palatinum diu post Augusti ævum institutum fuisse autumo. Nudum insuper Gnismi nomen (non CHISMI ut apud Blanchinium) servum enunciat infimi subsellii. Thamyris denique nec simpliciter *Gnismum*, palatii magistrum nominasset; nec *suum* dixisset magistrum, quem tam conspicuum munus exercuisset; nec viro, tanta decorato dignitate, *ollam dare* ausa esset vulgaris, atque de pedisequarum grege fœmina. Ego quidem sic censeo.

Q.COR-

338.

Q . CORNELIVS . Q . L
PHILOMVSVS SAGARIVS . A THEATRO
MARCELLI . FECIT . SIBI . ET . SVIS
CORNELIAE . DAPHNE . CONLIBERTAE . SVAE
ET CORNELIAE NYMPHE SORORI EIVS . L
SE VIVO INTVLIT
CORNELIAM PROCVLAM . FILIAM . ANN . VII
CORNELIAM HELPIDEM CONLIBERTAM . ET
CALLITYCHEN . MATREM . EORVM . ET
C . PINARIVM GEMELLVM

De Sagariis quorum officinæ ſitæ erant prope Marcelli theatrum, egimus cap.I. ſub num.85. Memini a quodam lapidum collectore arbitrari *Quintum* hunc *Cornelium Philomuſum*, eumdem eſſe cum illo, quem alter laudat lapis apud Muratorium p.948. At iſte pictor ſcænarius dictus eſt, *Publiique* libertus; noſter vero libertus *Quinti*, atque ſagarius.

PHILOMVSVS. *Muſarum amans*. DAPHNE, *laurus*. HELPIS, *ſpes*. CALLITYCHEN a *pulchritudine*, & *fortuna*, quaſi *pulchra*, & *fortunata*.

NYMPHE. Si a voce *Nymphin*, ſeu *Nymphe*, *cavitatem* ſignificat, *inter mentum & labrum inferius*: ſi a Nympha, cujus genitivum Nymphai, *ſponſam* enunciat, aut quod in mulieribus anatomice vocatus *Myrtos*. Muratorius ſcribit *Nymphæ*: in autographo legitur abſque diphtongo.

A THEATRO MARCELLI. Theatralis hujus ædificii prope forum Olitorium in honorem MARCELLI ab Auguſto quadratis lapidibus extructi veſtigia ad hæc uſque tempora cernuntur. De hoc canere videtur Propertius lib.3. cum ait

Quid genus, aut virtus, aut optima profuit illi
Mater, & amplexam Cæſaris eſſe focos?
Aut modo tam pleno fluitantia vela Theatro,
Et per maternas omnia geſta manus?

Quondam ibi fuere nobiliſſimæ Sabellæ gentis ædes, quæ nunc ad præclariſſimam Urſinorum familiam ſpectant. Fragmentum theatri Marcelli partim aream ſignificans hic, pro ut juxta ſcalas muſei Capitolini viſitur, accipe



ſcenographiæ itidem reliquias heic ad exterorum notitiam delineari curavi



Theatro proximum extitiſſe Apollinis delubrum conſtat ex Fabrettiana inſcriptione, ubi

APOLLINI . LATON
AD THEATR . MARC

SE VIVO INTVLIT. Adhuc vivente in idem ſepulcrum intulit oſſa Corneliæ Proculæ, Corneliæ Helpidis &c.

339.

D . M
AELIO BVLIMIONIDI
.·.·.VRNO ADLECTO . AELI
A . IANVARIA . FIL . ET
VLPIA . HEROIS . CON
IVNX . B . M . F . ET . SIBI
ET . SVIS . LIB LIBER
TABQ . POSTERISQ
EORVM

ADLECTO. Fuerunt *adlecti* in militia, ut in not. ad inſcript. 218. diximus, & *adlecti ſcenæ*, alioſque adlectos, ſeu adſcriptos in ſaxis antiquis legimus. Ex quibus fuerit Ælius hic Bulimionides fragmentum ::VRNO non indicat. Muratorius ſcripſit VI VIRO creavitque ſic Ælium noſtrum *ſexum-viram*.

340.

AMIANTHVS . LIVIAE
AD VENEREM
.·.LIR . HOMERI . L
DID . AMIANTHVS.I.·.·.

AELIA . IANVARIA . FIL. Filiæ, ante defuncti uxoris nomen, alias obſervavimus.

AD VENEREM. Laudatus Muratorius pag. 886. num. 6. Homerum libertum in *Homerum* poetarum principem, mira confidentia transformavit; fragmentum .·.LIR in ly-

lyram, concluditque Amianthum ad lyram Homerica carmina decantaſse, *ut voluptatem audienti dominæ crearet*. Ineptiarum profecto haud ſcio an ulla ſit major, graviſſimiſque Liviæ moribus injurioſior. Intelligendum ergo cum Gorio, & Blanchinio, *Amianthum* æditum, ſeu cuſtodem fuiſse delubri Veneris Capitolinæ, in quo Livia, teſte Svetonio in Calig. cap. 7. Agrippinæ filii jam pueraſcentis effigiem, habitu Cupidinis dedicavit, quamque Auguſtus in cubiculo ſuo poſitam, quotieſcumque introirer, exoſculabatur. In aliis ſaxis legitur Cerdo æditus Veneris, Doris æditua Dianæ, C. Servilius ad templum Romæ, & Auguſtorum, T. Claudius æditus a Veſta, & in noſtris num. 50. Bathilius *æditus templi divi Auguſti, divæ Auguſtæ, quod eſt in Palatium*. DID. Ded. *dedit*.

341.

HERACLADISMA
AVG.·.MEV.·.·
·.·BICVLARIO AVG
·.·.·.·.·.·.·.·.·.·.ARE

342.

MYRTILVS.·.·
SVPRA CVBICV.·.·
ORTHRO . ET.·.·

343.

PASCHVS
AMARANTI
SVPRA
CVBICVLAR

344.

NICODEMVS
SPONSIAN
DEC. CVBICVLARIO

M. IVLIVS
AVG. L
THAMBVS

345.

PARTHENIO
LIVIAE. L
CVBIC

PHILARGYRVS
PARTHENIONIS. L
PARTHENIO. PATR
OLLAM DAT

346.

PAPHIAE LIVIAE CEVLIS
CHRYSEROS. CVB DAT
M. LIVIVS ALEXAND LIVIAE THALVSA.·.·
FILIVS. EORVM

341. HERACLA. Heracla *dis manibus*. *Heraclion* panacis herbæ ſpecies ab Hercule inventam. *Heraclius*, lapis lidius. In Goriano exemplari deſunt hæc DISMA. MEV. ARE.

:.·BICVLARIO. *Cubiculario*: de hoc officio ſatis T. I. cap. L in not. ad inſcript. 44.

342. MYRTILVS. *Idæa vitis*. Supracubicularios; non equidem ſupracubicularius; in ſaxo enim Gruteriano aperte legitur AMARANTHVS SVPRA. CVBICVLARIOS; qui nimirum cæteris cubiculariis præerat. ORTHRO tempus matutinum.

343. PASCHVS. Paſchillus vates fuit ridiculus: hinc notiſſima Romæ ſtatua, quam *Paſquino* dicunt. Muratorius illud CVBICVLAR, hoc pacto perperam diviſit.

CVBIC. LAR

Scripſitque Paſchum curam habuiſſe cubiculi, ubi Lares colebantur. Curam ſic cubiculorum confundit cum officio illius, qui cubiculariis præpoſitus erat.

344. DEC. *Decurio cubiculariorum*.

345. PARTHENIO. Nomen forte *a virginitate*. PHILARGYRVS, *argenti cupidus*: legi debet Philargyrus libertus Parthenionis, illius ſcilicet, qui Liviæ cubicularius di-

ci-

citur, dat ollam Patri, qui Parthenio, ut ille, vocabatur: tunc legendum PARTHENIONI PATRI.

346. PAPHIAE. Veneris cognomen. CHRYSEROS. *Aureus amor*. In lapide 343. apud Gorium male PASCHVSAE. ET. pro *Paschus*. male etiam CVBIC. LAR. pro *Cubicular*. In lapide vero 344. hæc desiderantur M. IVLIVS. AVG. L. THAMBVS. Blanchinius hanc edidit, sed aliam omisit, nempe quam heic vides sub num. 342.

347.

ATTICVS
LIVIAE
STRAT DEC

348.

PANAENVS LIVIAE
LECTOR. DEC

ATTICVS LIVIAE. In utraque subintelligendum *libertus*: idest *Atticus Liviæ libertus*, & *Panænus Liviæ libertus*.

STRAT DEC. *Stratorum decurio*. Stratores alii dicebantur qui frenum equi principis tenebant, eumque in equum levabant. Spartianus in Caracalla: *denique cum Strator in equum levaret, latus ejus pugione confodit*. Alii reos militari custodiæ traditos servabant, quod ex actis Martyrii S. Cypriani aperte colligitur. Hujus officii antiquitas constat ex verbis M. Tullii ad Cœlium quæstorem suum scribentis: *existimavi esse faciendum, ut ad te Stratores meos, & lictores cum litteris mitterem*. Sponius sequentem inscriptionem

DIOMEDES AP.·.·
STRATOR
FAVSTAE. HAEDIAE
VXORI POSVIT

interpretatus est *Diomedes Appiæ Strator*: si recta interpretatio, *Stratores viarum* fuisse negari nequit: idem profecto sensisse Cuperum in Lact. *de mort. persec.* notavit Pratillus in descr. viæ Appiæ lib. I. At adi Bergerium de *viis consul. & milit.* SILIVM HOSPITEM T. Claudii Candidi *Stratorem*, & ANT. FORTVNATVM *Stratorem* Augustorum nominant Gruteriani lapides. Laudatus Pratillus opinatur Atticum nostrum illorum fuisse Stratorum decurionem, qui dominæ equum conscendenti præsto erant, atque ad ejusdem latera stabant, eosque italica voce appellat *palafrenieri*. Mulieres equitasse, nemini sane non compertum; at hoc de Livia Augusta, nemo quod sciam, asserit. Intelligendum ergo de domus Augustæ stratoribus, de illis scilicet qui subsellia, scamna, lectos Liviæ, stragulis, tapetibusque sternebant: notum enim est Romanos, principes & magistratus honorandi caussa, pavimenta stragulo insternere solitos, quod *Instratum* vocabant. His honorata stragulis Liviam, non domi tantum, sed foris, ac præsertim cum theatrum introisset, eo magis censendum est, quod Augusti esset Sacerdos, eique sedem curulem, & fasces Senatus decrevisset.

PANAENVS. *Undequaque laudabilis*: ita Salvinius.

LECTOR. *Lectorum decurio*. Augusti uxorem, servos lectores alere decebat. Augustus enim, ut refert Svetonius, cum interruptum somnum recuperare nequisset, *lectoribus, aut fabulatoribus accersitis, resumebat, producebatque ultra primam sæpe lucem*. Hanc ergo conjugis sui consuetudinem imitabatur Livia, quæ viri sui voluntatem summa sagacitate, summoque studio obsecundabat. Ceterum Romani, etiam inter epulas lectores nonnunquam inducebant, uti testis est Plinius qui lib. I. epist. 15. *Heustu*, inquit *promittis ad cœnam, nec venis &c., audisses comœdum, vel lectorem, vel lyristen*. Fabrettus lapidem vulgavit p. 311., in quo CNIDE nominatur LIVIAE. DRVSI. LECTIX.

TVR.

349.

TVR . ANNVS . VERNA . TAB . APPARITOR
SACRIS . OMNIVM . IMMVNIS
IS . DEDIT . TI . CLAVDIO . AVG . L . VETERANO
COL . VN . BAR . IVM . TOTVM
IS . INTVLIT IANTHVM . AVG . L
FRATREM SVVM

TVRANNVS. *Tyrannus*; primo loco V pro Y peregrinum; ſic *Æguptus*, *lacrumas*, *Sulla*, pro *Ægyptus*, *lacrymas*, *Sylla*; unde Flavius Caper grammaticus apud Cellarium: Y *litteram nulla vox noſtra adſciſcit*: & Priſcianus lib. I. Y & Z *Græcorum cauſſa nominum adſcivimus*. Reliqua in hac tabula notatu digna, jam alibi illuſtravi.

IS. Ipſemet Turannus *dedit* &c. ipſemet jure donationis in idem columbarium *intulit* Fratrem ſuum. Quod ad puncta attinet ea aliquando in titulis ſepulchralibus ponere ad ſingulas ferme ſyllabas moris fuiſſe tum Romanorum, tum Græcorum autumant eruditi: ſic apud Gorium in inſcrip. Etrur.

CAS . TI . NI . VS . PRAE . SES
M . CAS . TI . NI , O . OC . TA . BI . A
NO . FRA . TRI . B . M . V . A . XVIIII

h. e. *Caſtinius Præſes*. M. *Caſtinio Octabiano Fratri*. Mos iſte ethnicorum invaluit quoque apud Chriſtianos, uti ex lapide ab Ant. Lupo in epit. S. Severæ edito pag. 72.

SAL . FEL . IA . E . RACLI . A
TE . CVM . PA . CE .

& ibid.

ΔΗ . ΜΗ . ΤΡ . ΟϹ
Α . Γ . Α . ΘΟ . Δω . Ρω
ΤЄ . ΚΝω

Demetrius Agathodero filio: apud Phil. Bonarotam *vetr. ant.*

EY∘HO∘DI∘ONI∘MA.RI.TO
TY∘CHECVM∘QVEM
FECIT∘AN∘NoS∘XVIII
SPI ☧ RI∘TVS∘TV ☧ VSIN
PACE∘

Antiqui hac interpunctione utebantur ad mœrorem luctumque parentum exprimendum: ſententia hæc eſt cl. Fabretti, quam tamen *ingenioſam* magis, quam *veram*, prælaudatus Lupus exiſtimavit, hac potiſſimum ratione, quod nimirum lapides habeantur non funebres, neque atri, immo vero hilares atque jucundi, ſimili tamen modo punctis ſyllabatim interſecati: hunc accipe

IMP . CAES . M . AN . TO . NI . O .
GOR . DI . A . NO - PI . O . FE . LI . CI
AVG &c.

Quid inſuper probant pauca tantum marmora ſic inſcripta, cum innumerabilia communi interpunctione ſculpta videantur? Verumtamen Fabrettianam ſententiam omnino rejiciendam non arbitror. Puto enim pauſas fuiſſe generice ab antiquis interjectas in monumentis, ut attentius a prætereuntibus legeretur titulus, quo memoriam ſui, vel ſuorum, poſteritati tradere conabantur. Attenta igitur viatorum lectione facile in eorum animis modo benevolentiæ modo commiſerationis affectus, prout tituli ſententia poſcebat, ſuſcitabantur. Hinc formulæ: SISTE VIATOR . HAVE . SALVE . VALE QVI LEGIS . OPTO VALEAS QVI LEGIS . BENE TIBI VIATOR QVI ME NON PRAETERISTI LEGENDO . TE ROGO QVISQVIS ADES. Hinc in Pacuvii epitaph. ap. Crinit.

Adoleſcens tametſi properas, hoc te ſaxum rogat
Ut ſe aſpicias; dein quod ſcriptum eſt legas.
HIC . SVNT . POETAE . PACVVII . MARCI . SITA . OSSA .
Hoc te volebam neſcius ne eſſes; vale.

& in Fabii Dorsenni monumento de quo Seneca apud eumdem Crinitum lib. I. de poet. lat.

HOSPES - RESISTE . ET
PHILOSOPHIAM . DORSENNI . LEGE

Pausæ ergo in viventium saxis ad æmulationem puta, aut admirationem in prætereuntium animis excitandam interposuisse reor; in funebribus vero, ut legentium lacrymæ, atque suspiria productiora fierent.

350.

C . IVLI . EVTHICHI
ET . QVINTILIAES AVRAES
IMMVNIVM

QVINTILIAES. *Quintiliæ Auræ*. Sociatio latinæ diphtongi secundi casus AE, cum græca ejusdem casus terminatione S, merum est quadratarii, aut potius tituli authoris sphalma; nam secundi casus diphtongum, Græci, non ut Latini, per AE, sed per HS scribunt e. g. ΣΟΦΙΗΣ. Idem ortographiæ mendum irrepsit in aliis lapidibus, in quibus LIVILLAS pro *Zivillæ*, AVGVSTAES pro *Augustæ*, ANTONIAES pro *Antoniæ*.

IMMVNIVM. Fœminam viri sui immunitatis compotem, singularis istius monumenti titulus perspicue enunciat. Quare igitur Gorius disputaverit utrum feminis immunitas concederetur, non assequor. Quippe aut neganda prorsus huic lapidi fides, aut fœminis quoque immunitatem aliquando oblatam fuisse fateri necesse est. Vide tamen quæ de neganda fœminis immunitate scripsit vir egregius.

351.

DIADVMENVS . LIVIAE
MENSOR DEC . DAT
LOCHIADI LIVIAE SARCINATR . CONIVGI SVAE

MENSOR. Aut *Liviæ mensor*. aut *mensorum decurio*. De mensoribus vid. in not. ad Inscript. 143.

SARCINATR. *Sarcinatrici*. Quæ scilicet *sarcinas servabat*: sic Cornelius Fronto: at forte rectius quæ vestes suebat, & reficiebat (quod ætate nostra peculiare est Judæorum institutum) uti colligitur ex Caii verbis. *Maxime si qua sarcinatrix*, inquit, *aut textrix erit, aut aliquod vulgare artificium exerceat*; Juliam Jucundam insuper habemus ap. Gudium p. 220. sarcinatricem *a mundo muliebri*; idest quæ mundum omnem muliebrem sarciebat. De eodem grege fuisse censeo Damalim, Veraniam Primam, Iphidem, Callitychen, Lucretiam Placidam, aliasque vulgares feminas, quarum est mentio in antiquis saxis apud Gruterum, & Pignorium. In inscriptionibus Basil. S. Pauli a Margarinio editis num. 569. legitur

VALERI	HILARAE
BELLONIS	CALPVRN
EPPIANI	SARCYNAK

Sarcinatores etiam (qui & *Sarcitores*) nominantur in Plautina Aulul. act. I. ubi Megadorus

Solearii astant, astant molochinarii.
Petunt fullones; sarcinatores petunt.

At perperam Nonius sarcinatoris artem, cum sutoris confundit: quid enim sequens Lucilii versus *Sarcinatorem esse summum, suere centonem optime* ad Nonii interpretationem tuendam valeat, non video. Certe sarcinatoris erat sarcinas reficere; Sutoris vero, crepidas calceosque suere.

EV-

352.

EVPHRO . TERTI
AEDITVVS
ATIMETVS . COMOEDVS

EVPHRO. *Euphro*, vir prudens. ATIMETVS modo incomparabilem virum significat; modo *ignobilem*, *inhonoratum*.

AEDITVVS. Cujus templi, aut sacrarii, ignoramus, quamvis in lapide ad hunc usque diem integro, nihil desideretur. Fuerunt & Ædituæ, quod tamen non ex Tullio *Antistitas Fanorum* commemorante colligitur, ut Gorio placuit, sed ex antiquis monumentis. Antistitæ enim quasi Dominæ rebus sacris preærant: Æditux vero ut famulæ templa curabant, custodiebantque.

COMOEDVS. Qui *Comœdus* scribunt, per AE, hujus Augusti ævo insculpti lapidis authoritate corrigantur. Ceterum Atimeti urna in Liviano columbario reperta servum indicat domui Augustæ addictum, adscriptumque inter comœdos qui Liviam ceterosque principes epulantes recreabant. Romani quippe non dumtaxat acroamatis, psaltriis, citharœdis, tibicinibus inter epulas delectabantur, verum etiam mimis, scurris, histrionibus, atque comœdis. Hinc Plinius lib.I. epist.15. Septitio Claro: *audisses comœdum, vel lectorem, vel lyristen, vel, quæ mea liberalitas, omnes*. Aliquando post cænam comœdiam inducebant uti testatur alterius Plinii authoritate Bulengerus *de conviv.* lib.II. cap.30.

353.

DIS MAN
ARTEMAE
CAESARIS
AMOMIANO
FEC. AVG. LIB
PHO CASI. SVO
PIENTISSIMO

AMOMIANO. Quam frequens, atque communis apud Romanos odoramentorum usus, neminem latet: horum non ultima amomiana, & cinamomiana, ex fructibus odoris amomo, & cinnamomo, quæ ad fines Trogloditarum nascuntur, elicita. Vide Plinium H. N. lib.XII. cap.13. Cum ergo Artema dicatur Cæsaris *Amomianus*, suspicor hunc *servum* fuisse odorarium, seu unguentarium, a quo scilicet unguenta odora conficerentur. Attamen si quis cognomen fuisse Artemæ contendet, non renuam. Habemus enim Licinium *Amomum* Liciniæ unguentariæ filium ap. Muratorium pag.962. P. Claudium *Amomum* ap. Odericum p.218. *Cinnamum* in tessera Gladiatoria ap. Gorium. Item *Cinnamum dispensatorem* nominat Petronius cap.30. His adde *Amaranthum*, *Nectareum*, *Ambrosium* in collectaneis laudatos. Tunc vero supple L. aut S. nempe ARTEMAE CAESARIS *liberto*, aut *servo*.

PHOCASI. In lapidibus, τὸ SVO semper aut ad consiguineos, & affines, aut ad servos refertur: *conjugi* SVO, *filio* SVO, *matri* SVAE &c. *vernæ* SVO, *nutricio* SVO, *ar-*

cariæ

cario SVO &c. Nunquam quod sciam ad nomen. Porro Julia SVO ex. gr. Eroti SVO, Lucilio SVO &c, nullibi (nisi in epistularum titulis) reperio. Cum igitur verbum hoc PHOCASI neque consanguineum, neque affinem enunciet, officium, aut potius artem indicare censeo, forteque legendum PHOECASIO, sutori nimirum *Phœcasiorum*, quæ calceamenta coriacea fuere (Nigronio, atque Rubenio incognita) Deorum & Sacerdotum propria: unde Juvenalis sat. 3.

Phœcasianorum vetera ornamenta Deorum. & rusticorum, uti vult Hesychius, atque Philosophorum, ut apud Senecam de Benef.lib.VII. *Pytagoricus quidam emerat a sutore phœcasia (rem magnam) non præsentibus nummis*: de quibusdam demum militibus satyrice Petronius c.42. *in exercitu vestro phœcasiati milites ambulant.* Verum non certam sententiam, sed levem potius conjecturam profero.

354.

.:.LIVS . EROS . DEC
.:.ASSA . EROTIS . DEC

355.

PANNYCHVS . NERONIS . AVG
.MMVNIS DAT ALCIMO AVG
.VCFRATRI SVO ET ALEXANDRO
.CORINTHO L EIVS
.:.POSTERISQVE EORVM

DEC. *Decurio*, sive *decurioni* &c., prout casus requirit: ita hæc explicanda est sigla, tum in isto, tum in sequentibus saxis. .ASSA. *Bassa* ut in aliis nonnullis.

PANNYCHVS, Gorius scribit PANNYCVS; in notis vero monet legendum esse PANNYCHVS cum H. sic utique legendum, nam sic in autographo, quem eruditissimum virum non inspexisse liquet ex mendis, omissionibusque, quibus scatet exemplum ab eo editum p.80. num.XI. ubi insuper puncta arbitrarie adjecit, quæ in autographo omnino desiderantur.

PANNYCVS . NER.:.
IMMVNIS . DAT . ALC.:.
:.CVBECE . PATRI . SVO . ET, AL.
.:.:.CORINTHO . L . :.
.:.OSTERISQVE

Blanchinius quoque eamdem inscriptionem mendosam, mutilamque vulgavit sub n.113. sed alio deinceps reperto fragmento ad eumdem lapidem spectante, mox integram, atque emendatam dedit sub num.218. Notandum heic Gorium suas Liviani columbarii illustrationes exarasse eodem anno, nimirum 1727., quo suas Franciscus Blanchinius typis consignaverat: has tamen Gorium, antequam suas ederet, perlegisse, haud credo: Nam quamvis ipsemet Gorius Blanchinii commentaria in præloquio Eruditis enunciasset, horum tamen in suis nunquam mentionem fecit. Præterea si Blanchinianas lucubrationes saltem pervolutasset, Columbarii lapides tot mendis refertos profecto non edidisset.

L. *Libertis ejus.*

In

IN veteris Antii ruinis nobilissima interdum reperta sunt monumenta, cura ut plurimum, & impensis præclarissimi, amplissimique S.R.E. Cardinalis Alexandri Albani. Tabula, seu tabulæ fragmentum, quod vides, duplicem complectens partem, anno MDCCXXIII. ex ejusdem Antii ruderibus effossum tradunt Vulpius, & Blanchinius: hic in *inscript. serv.* domus Augusti cap. ult. ille in suo *Lat. vet.* T. III. Uterque idem monumentum illustravit; quamobrem vitandi laboris causa, unius, vel alterius, immo utriusque heic prorsus omnes elucubrationes rursum edere utique mihi liceret. Id sane doctissimos recentissime fecisse viros, neminem latet; Muratorium scilicet qui Josephi Bimardii dissertationes, & epistolas, ne verbo quidem addito, in suum *Thesaurum* invexit: Alexium Mazzochium, qui Michaelis Maittaire, & Francisci Conradii æneæ tabulæ Britannicæ illustrationum, in suis Heracleensium tabularum commentariis editionem iteravit; & Joannem de Vita Episcopum Reatinum, qui Cll. virorum Jo. Bapt. Passerii dissertationem *de anaglypho Beneventano*, & Paulli Mariæ Paciaudi de quodam *Cereris Augustæ mensore* exegesim, a capite ad calcem usque, denuo in *antiquit. Benevent.* prodidit.

At primo, nonnulla ex iis, quæ in hac tabula recitantur, cum jam alias in nostris musei Capitolini saxis occurrerint, abunde, aut saltem quantum res, locusque postulare mihi visa sunt, elucidavi. Secundo, Vulpii atque Blanchinii commentaria adeo in promptu, & sub manu sunt eruditorum, ut ea heic rursus edere supervacaneum foret. Vulpius enim non in Lat. vet. dumtaxat, sed iterum in peculiari dissertatione ann. 1726. Romæ excusa, monumentum istud Antiatinum publici juris fecit. Blanchinius pariter & in opere cit., & in suis ad Anastasium Bibliot. prolegomenis Tom. II. Idem denique reperies apud Muratorium novi Thes. tom. I. p. 305. Ipse igitur tabulæ sinopsim perbrevi instructam commentatione referam, ac sphalmata, si quæ in laudatorum auctorum exemplaribus irrepserint, accurate recensebo, nec non autographi Capitolini subsidio, diligenter emendabo; proinde viros eruditos iteratam ejusdem marmoris editionem approbaturos fore spero.

Prima ergo tabulæ pars nonnullos Cæsareæ domus servos, eorumque ministeria exhibet, qui Imperatoris ædes, Antii, ad exemplar ædium urbanarum extructas, curabant. Cujus vero Imperatoris servi fuerint, inquirit Vulpius: sed cum ædium Antiatinarum authorem fuisse Augustum nemo diffiteatur, omnibus idcirco imperatoribus Augusto scilicet, ejusque successoribus Tiberio, Caligula, & Claudio operam dedisse arbitror. Secunda, anni Juliani mensium Julii, Augusti, Septembris, Octobris, Novembris, atque Decembris, calendarium profert, in quo dies ludorum, aliorumque munerum, in honorem Imperatoris celebratorum notantur.

Septem insuper in eodem saxo memorantur consulatus, qui miram primi sæculi Christiani fastis lucem adferunt: nimirum C. PONTII. Quemdam C. Pontium, cui Dio, *Nigrini*; Svetonius, *Nigri* cognomentum ascìverunt, collegam habuisse Cn. Acerronium Proculum, minime dubitandum, cum id asserant gravissimi authoritate viri Tacitus Ann. lib. VI. atque Svetonius in Tib. At horum historicorum verba perpendere necesse est. Tacitus: *Quos omiserit* (Tiberius) *reciperitve, in incerto fuit, ob propinquum vitæ finem. Neque enim multo post supremi Tiberio consules, Cn. Accerronius, C. Pontius magistratum accepere, nimia jam potentia Macronis.* Svetonius cap. 73. *Tiberius obiit in villa Lucullana octavo, & septuagesimo ætatis anno, tertio & vigesimo imperii, Cn. Acerronio, C. Pontio Nigro Coss.* Cum igitur Tiberius regnare cæpisset A. Ch. 14., regnasset vero ann. 23. moritur ergo anno a Christo nato 37. ex quibus consulatum C. Pontii incidisse in annum Ch. 37. perspicuum est.

CLAVDII CAESARIS AVG, & CAECINAE LARGI (quem anonymus ab Emo Card. Norisio emendatus *Longum* vocat) ann. Ch. 42.

TI. CLAVDII CAESARIS AVG. cum L. VITELLIO II. ann. Ch. 43.

Quartus, quem memorat tabula, consulatus, ad M. STATILIVM. TAVRVM cum L. QVIN-

L. QVINCTIO II pertinet, atque ad annum Ch. 44.

Quintus, ad Q. VERANIVM, & AVLVM (apud Pighium *Cajum*) POMPEIVM GALLVM, quos fasces suscepisse A.Ch. 49. fertur.

Sextus, ad C. ANTISTIVM VETEREM cum M. SVILLIO NERVILINO, aut ut alii malunt (a quibus dissentio) M. RVFO NERVILLIANO ann.Ch. 50. Vid. quæ de M. Suillio dixi Tom. I. pag. 212.

Septimus denique, ad CLAVDIVM AVG. cum SER. CORNELIO ORPHITO, ann. Ch. 51. *quibus consulibus* inquit diserte Vulpius, *præ Annonæ caritate agrorumque sterilitate ingens ac universalis fames ingruit*. Hanc Antiochiœ prædixisse Agabum virum prophetam testantur acta Apost. cap. xi. 28. *Et surgens unus ex eis nomine Agabus, significabat per spiritum famem magnam futuram in universo orbe terrarum, quæ facta est sub Claudio*; ideſt (authore Dione lib. 60.) imperii Claudii anno secundo. Hos præter consulares fastos, nomina quoque in hanc tabulam præscripta habemus VI. virorum, qui annua corporatorum vernarum magisteria his consulibus susceperunt. Advertendum tamen nonnulla, ob tabulæ (tres quondam columnas exhibentis) fracturam, desiderari.

In prima igitur columna partim excisa, sub Acerronii Pontiique consulatu, magistrorum (quorum nomina perierunt) officia descripta remanent.

1. ∴·.·. *a supellectile*. De quo vide inferius in inscript. M. Livii Anterotis

2. ∴·.·. *Atriensis*.

3. ∴·FINIVS.·.·*Atriensis* qui Atrium curabat. Hunc *custodem* appellavit Ovidius, cum male crinitas fœminas sic hortaretur de A. A. lib. 3.

Quæ male crinita est custodem in limine ponat

Blanchinius: *paggio*, inquit, *o sia altra guàrdia nobile dell' anticamera*: at, quod nostratibus *anticamera*, Romanis fuisse *Atrium*, nunquam audivi. Quæstiunculam ni fallor dirimit Petronius Arbiter his verbis cap. 28. *In aditu ipso stabat* Ostiarius *prasinatus*. Et c. 29. *Ad sinistram intrantibus, non longe ab* Ostiarii cella, *canis ingens catena vinctus* (Raderus ad Mart. epigr. lib. ix. perperam vinctum ipsum Ostiarium censuit) *in pariete erat pictus, superque quadrata littera scriptum* CAVE. CAVE. CANEM. Hinc Georgius Erchardius ostiarii cellam, *atriensem* vocat in comm. Petron. italice dicitur *guardaportone*, gallice, *le Suisse* Vid. quæ de atriensibus dixi in not. ad inscript. num. 121.

4. .·.·.EX.D.D.ALLEC. Ⱶ∽ ATR. *Atriensis*

5. ·..·AEVS *Topiarius*. Vid. not. ad inscrip. sub num. 121.

6. .·.·MNVS *pedisequus*. De pedisequis sub num.

7. *Cajus libertus adjutor*

In secunda columna quatuor (præter suffectos) desunt ordinarii consules cum collegis; a consulatu scilicet Acerronii, & Pontii ann. Christi 37., ad consulatum Claudii II. cum Cæcina Largo. Lacunam hoc pacto explendam docent fastorum tabulæ.

M. AQVILIVS IVLIANVS
P. NONIVS ASPERNAS — ann. Ch. 38.
C. CAESAR CALIGVLA AVG. II
L. APRONIVS CAESIANVS — Ch. 39.
C. CAESAR CALIGVLA. III
L. GELLIVS POPLICOLA — Ch. 40.
C. CAESAR CALIGVLA. IV
CN. SENTIVS SATVRNINVS — Ch. 41.
quibus suffecti sunt
Q. POMPONIVS
VENVSTVS

Hujus ergo anni Ch. 41. Magistri corporatorum vernarum Antii fuerunt

1. *Felix Cæsaris mensor*. De mensoribus vid. inscript. sub num. 143.
2. *Claudius Nessus*.
3. *Claudius Hermes*.
4. *Sextioninus*.
5. *Pantagathus Atriensis*.
6. ·.·.·IRIMVS *subvillicus*. V. num. 31.

Anni Ch. 42., Claudio. II & Cæcina coss.

1. *Gratus Topiarius*.
2. *Leo Atriensis*.
3. ·.·,THVS *Topiarius*.
4. *Salvius Politor*.

Vul-

Vulpius hunc *politorem*, argenti, æris, vel vestium fuisse ait. Verum hujusmodi politoris, hoc appellati vocabulo, nemo, quod sciam, meminit - Rectius sciteque idem Vulpius (authoritate Ulpiani scribentis, *aut agrum politori damus in commune quærendis fructibus*) politorem ad rem agrariam deinceps retulit. *Polimenta* porcina nominat Plautus in *Menech.* Act. 1.

Duorum hic desiderantur magistrorum nomina, & officia.

Subsequitur ejusdem Claudii Aug. III cum Vitellio II. an. Ch. 43. consulatus. Sexumviri

1. *Zelus Aug. lib.*

2. *Claudius Atimetus a Bibliotheca.*

Bibliothecæ ædium imperatoriarum curator. Romanorum bibliothecas laudat Seneca. Ulpiam tamen, diu post Senecam a Trajano extructam, cæteris celebriorem fuisse tradunt historici. Apud Jacobum Mazzochium epigr. urb. pag. 99. legitur

ALEXIO
CAESARIS
AVG . AB
BIBLIOTHECE

a Biblioth. Græca servum nominat Pignorius.

3. *Lisimachus æditus Vernanus*

idest, *Dei* cujusdam *Vernani*:

4. *Princeps tabellarius.*

Vulpius, memoria lapsus, nomen pro dignitate sumpsit; ideoque hunc servum, *tabellariorum Principem* dixit. C. *Hostium* cognomine *Principem* memoravi in not. ad inscript. 171.

5. ∴*TAN topiarius.*

6. ∴AIVS.

Sequentis anni Ch. 44. Statilio Tauro, L. Quinctio coss. magistratu sexumvirali functi sunt

1. *Trypho* ADIVTI∴ fortasse *adjutor*. De adjutoribus sermonem habui num. 291.

2. *Philetus æditus Fortunarum*

Duplici sub imagine Antiates Fortunam coluisse innuit hic *Fortunarum* æditus: innuit & monumentum Gruterianum FORTVNIS ANTIATIBVS *senatus decreto* dicatum; probant nummi Q. Rustii, duplicem apud Patinum Fortunæ effigiem exhibentes; confirmat demum Macrobius Saturn. lib. 1. his verbis: *videmus apud Antium promoveri simulacra Fortunarum ad danda responsa.* Qua vero de causa duplex Fortuna ab Ethnicis coleretur aperit Lactantius *de falsa Sap.* lib. III. Quod nempe ejusdem numinis diversas admodum dotes & diversa esse munia crederent. De Æditus egi in not, ad inscript. n. 50.

3. *Chresimus a bibliotheca.*

4. *Felix Camp.*∴ forte *Campanus*, ut vult Blanchinius; aut *Campidoctor*, ut Vulpius cui libentius assentior; nam præter Lampridium (quem Vulpius laudat) Campidoctoris, ad rem militarem spectantis officii, mentionem faciunt Ammianus & vetus Juvenalis scholiastes: iste ad sat. VI. *monstratos a campidoctore*; & ad sat. V. *a sene magistro campidoctore*: Ille lib. XV. *Murinus ex campidoctore eo tempore vocans* &c. Quidam legunt *ex campiductore*, quem castrorum stationum designatorem dicunt. Glossarii vero, Vegetius lib. 13. aliique, *campidoctores*, non *campiductores* scribunt. Ita in lapide ejusdem Mazzochii p. 131.

NEMESI SACRAE CAMPESTRI
PRO SALVTE DOMINORVM . N . N . AVGG
P . AELI P . AELIA PACAIVS SCVPIS . QVOD
COH . DOCTOR VOVERAT NVNC CAMPIDOC
TOR COH . I . PR . PV . SOMNIO . ADMONITVS
POSVIT . L . L

Armidoctorem, quem Glossæ ὁπλοδιδάσκαλον exponunt, eumdem esse cum campidoctore monet Salmasius

5. *Agathopus tector.* Tectores dicebantur, quorum opere apud veteres incrustabantur parietes, ita ut splendorem transmitterent. Albarios tectores qui *dealbatores* etiam vocati sunt, & *albini*, commemorat Tertullianus *de Idol.* cap. 8. ubi; *scit*, inquit, *Albarius tector, & tecta sarcire, & tectoria inducere.*

6. *Venustus spec.* Vupius *speculator* (de quo egimus num. 165.); ego vero *speclarius*: ducor autem ut hoc censeam ex eo, quod omnes fere tabulæ nostræ Magistri, artifices fuerint: ita inferius SPECLAR II. Speclarii, quos & *specularios*, & *speculares* dictos reperio,

rio, ſpecula faciebant modo argentea, modo ex ære, interdum ſtanno, & ære mixtis. Specula Brunduſina apud majores optima, primumque ſpecula feciſſe Praxitelem Pompeii ætate aſſerit Plinius lib. 33. cap. 9. Speculi formam videre potes ap. Gorium tom. I. & in meo *de Ornatricibus* opuſculo pag. 10., & 29. In lapide Gruteri p. 5. ſpeculum venereum inter deorum donaria enumeratur

IOVI . IVNONI . MINERVAE
ANTONIA . M . LIB
APHRODISIA . SCYPHOS . H
VENEREVM . SPECVLVM
DONVM DEDIT

C. Pomponium Apollonium SPECLARIVM prodit Gorius tom. I. pag. 357. Hinc Thalaſſiam, quæ in inſcriptione Sponiana (Miſcell. ſect. VI.) SPECIARIA dicitur, *ſpeclariam* fuiſſe arbitror. Nec obſtat Reineſiana a Pitiſco commemorata; nam Sex. Attius, qui in illa nominatur, haud dicitur SPECIARIVS, ſed græco vocabulo, latinis licet litteris inſcripto, MYRONITES Μυρωνητής, quem utique Reineſius (nova equidem voce, neque ab ullo auctore antiquo probata) *ſpeciarius* interpretatur.

7. *Antipater Aug. lib. ex decreto decurionum ſeſtertium millia ſexcenta*. Blanchinius opinatur Antipatrum, & inferius Zoram atrienſem, ac Sepunium Clarum adjunctos fuiſſe, pecunia oblata, ſexumviris, decreto decurionum. At primo Romanos magiſtratus venales unquam inſtituiſſe, diffiteor: ſecundo, ſervos ſeſtertium duo millia, ad annualem dumtaxat honorem capeſſendum numeraſſe, haud facile credam. Proinde Antipatrum, Zoram, & Sepunium eos fuiſſe autumo, quibus ludorum edendorum curam decuriones tradiderant, aut tribus ex $\overline{VI}$. viris in magiſtratu vita functis, ſuffectos: hæc tamen, non veluti ex tripode, ut multi cum mortuis conticentibus certantes faciunt, pronuncio. Hactenus ſecundæ tabulæ columna. Ex tertia vero quatuor pariter exciderunt conſulum collegia; annorum videlicet a Christo nato 45. 46. 47. 48. ſic in faſtis ſignata.

M . STATILIVS CORVINVS M . VINITIVS QVARTINVS	an. Ch. 45.
C . VALERIVS ASIATICVS M . VALERIVS MESSALLA	an. Ch. 46.
CLAVDIVS IMP. IV L . VITELLIVS . $\overline{III}$	an. Ch. 47.
A . VITELLIVS L . VIPSANIVS POPLICOLA	an. Ch. 48.

Anni ergo Ch. 48. Vitellio, & Poplicola Coſſ. Sexumviri Antiatini fuere

1. *Ti. Julius Graphinata*.
2. *Ti. Claudius Romanus*.
3. *Batellus Ver. a cap. Bib.* Quid *a cap. Bib.* ignorarunt Vulpius & Blanchinius; ignoro & ego, nam quamvis officium aliquod ad Bibliothecam enunciet, illud tamen *Verna a cap.* explicare, perdifficile.
4. *Primus Hilarianus a ſuppellectile*
5. *Argæus Geber Cenſorinus*
6. *Secundus Tector Euporianus*.

Euporiani cognomen, *progreſſum expeditum* ſignificans, prodit & alia inſcriptio, quam habes ſup. num. 232. Unde heic pariter *Secundi* cognomen eſſe affirmare licet: ita, aut TECTOR, ejuſdem viri nomen eſt, aut legendum *Secundus Euporianus Tector*; eo magis quod in hac tabula officia, & artes conſtanter ultimo loco inſcriptæ reperiantur.

7. *Zora Atrienſis*
8. *Sepunius Clarus ex decreto decurionum ſeſtertium duo millia*.

Anni Ch. 45. Veranio, & Gallo Coſſ. Sexumviri nominantur

1. *Hellus Atrienſis*
2. HER..·APID

Vulpius illud APID interpretatur SERAPIDIS. An æditus templi Serapidis? Sed Serapidis templum apud Antiates extitiſſe aliquod, ne Vulpius ipſe innuit in Lat. vet. T. III. ubi fuſe de templis Veneri, Neptuno, Herculi, Apollini, & Mithræ, ab Antiatibus excitatis, diſſerit. Blanchinius, qui ſuppreſſo æmuli nomine, Vulpii ſententias, ut plurimum, nimiaque forte acritate, refellit, heic legit (addita L) *Lapidarius*, multumque eruditiſſimeque de Lapidariis, Lithotomis, & Lithaſtis loquitur,

3. .·.HRES AD*iutor*,

3. H.·.

4. H.·.·*Pavimentarius*, qui pavimenta *vel cocto latere, vel marmoribus sterneret, opere præsertim quod & musivum, & tessellatum dixere, ex minutissimis scilicet variorum marmorum particulis compacto, quæ in unum coaptatæ quamlibet figuram, vel imaginem repræsentaret*. Hæc Vulpius, qui merito pulcherrimum omnium antiquorum esse scribit pavimentum antiqui templi Fortunæ Primigeniæ a L. Sulla (quicquid in contrarium adferat abbas quidam Bartholomæus natione Gallus, quem tamen, monumentum hoc nunquam nisi ære incisum inspexisse credo) Præneste conditi. Pavimentum istud, non ut plerique evulgant, neglectum, ac temporum injuriis commissum, immovero summa cura diligentiaque, in ædibus Prænestinis Barberinorum principum adhuc servatur. Alterum ex opere pariter musivo pavimenti fragmentum nuperrime visebatur prope villam vulgo *la Ruffinella*, in colle Tusculano sitam. Hisce vero diebus SSmi D. N. PII PP. VI. in museum Vaticanum translatum est: id heic commemorare operæ pretium censeo, ne ii (a quibus deinceps extorre hoc marmor frustra in collibus Tusculanis forte perquiretur) innumeros scriptores, qui in illis collocatum tradunt, advenis convenisque imposuisse suspicentur.

5. *Saturninus sphærista*, idest *lusor pilarius* Pilæ ludum præ cæteris antiquissimum esse discimus ex Homero, apud quem Odyss. lib.VI. *Reginam, ad ancillas pilam σφαῖραν jacientem* legimus. In balneis Romanorum erant sphæristeria pilarum ludo accomodata, quæ optime a Vulpio hodiernis cubiculis, seu potius mesaulis oblongis, vulgo *pallacorda* comparantur. Plinius ep. lib.v. *Apodyterio*, inquit, *superpositum est sphæristerium, quod plura genera exercitationis, pluresque circulos capit*. Verumtamen, cum pilæ ludus, nec ars foret neque officium, sed inter jucundas exercitationes recensendus (de quibus profecto in inscriptionibus nunquam fit mentio) ita Saturninum artificem fuisse pilarium arbitror, qui scilicet pilas, quibus sphæristæ utebantur, faceret.

6. *Gora Atrien*. Atriensis

Anni Ch.46. Antistio, & Suillio Coss. habentur sexumviri sic descripti

1. Myro Aug. lib. *Pictor*. vid. not. ad inscript. 304.

2. *Felix Aug. lib. Juscularius*

Quod nunc vulgo *brodo*, Latini olim *jus* dicebant; quod vero illi *juscum*, & *jusculum*, nos vulgo *brodetto*: a Mediolanensibus, Papiensibus, & Alexandrinis (apud quos potissimum permulta adhuc remanent, corrupta licet primæ Romanorum latinitatis vocabula), id quod reliqui Italiæ populi *brodo* vocitant, *gius* & *giusso* dicitur. Juscularius autem, *qui juris condiendi est peritus*: sic Glossa: hinc amphibologicus Ciceronis jocus: *Ego coque tibi jure favebo*. De jusculo loquitur M. Cato in hæc verba: *infervefacito paulisper, postea jusculum frigidum sorbere, & ipsam brassicam esse*: Apicius etiam; *jusculum facere, & potare: melius etiam si in eo pullus sit decoctus*. Sane servum jusculi ministratorem, Jusculariumque appellatum in Augustorum aula, nondum usque, præterquam in hac tabula, inveni. Ex Horatii vero carminibus a Vulpio exscriptis, perspicuum est *juris* vocabulo non tantum quod nos *brodo* dicimus, sed alias quoque potiones antiquos significasse. Horatiani versus hi sunt ex Sat. lib.I. 4.

Est operæ pretium duplicis pernoscere juris
Naturam. Simplex e dulci constat olivo:
Quod pingui miscere mero muriaque decebit,
Non alia quam qua Bizantia putruit orca.
Hoc ubi confusum sectis inferbuit herbis,
Corycioque croco sparsum stetit; insuper addes
Pressa Venafranæ quod bacca remisit olivæ.

Quare Jusculariorum officium fuisse alias etiam (præter Jusculum) ac diversimode confectas potiones parare, Augustisque ministrare, ego quidem censeo.

3. *Anteros Tegularius*.

Qui imbrices tegulasque conficiebat, vel a quo ædificiorum tecta imbricatim instruebantur. Tegulas thermales, a laxitate, *mammatas* veteres vocabant; tegulæ vero, quibus aqua in vas, vel puteum derivatur, *colliciæ*, authore Festo, appellantur. Tegularum e marmore pentelico inventorem fuisse Bizam legimus in epigraphe ad ejusdem artificis sta-

tuam Naxi appoſita, quam ſic refert Pauſanias in Eliacis, ſeu lib.v.

ΝΑΞΙΟΣ ΕΥΕΡΓΟΣ ΜΕ ΓΕΝΕΙ ΛΗΤΟΥΣ
ΠΟΡΕ ΒΥΖΕΩ
ΤΑΙΣ ΟΣ ΠΡΩΤΙΣΤΟΣ ΤΕΥΞΕ
ΛΙΘΟΥ ΚΕΡΑΜΟΝ

hoc eſt, interprete Romulo Amaſæo

Naxi hæc Latoidæ fuit ſolertia Bizæ,
Cui primum ſecta eſt tegula de lapide.

Hujus vocis, nempe *tegularius* exemplum nullum reperiſſe Vulpius ſcribit: ſi diutius vixiſſet, Vulturnenſem vidiſſet lapidem a cl. Pratillo in viæ Appiæ deſcript. editum lib. II. cap.7. ubi

ANICIA MATER
P. ANICIVS P. L. EROS TEGVLARIVS
ANICIA. P. L. CHRESTA. DOMITIA CN: L
FAVSTA ANICIANA
CN. DOMITIVS. CN. L. HERMIA

Vide etiam Grapaldum *de part. ædium*.

4. *Euphemus LIAN diſpens*

Nempe Euphemus *Antonii libertus*; ſic, ac forte bene Vulpius: Blanchinius vero, qui dummodo Vulpio adverſetur, commenta interdum prodere haud erubeſcit, pro LIAN ponit AELIAN ideſt *Ælianus*, licet inter Euphemus, ut recte ſcribit Vulpius in præf. ad Lat. vet. tom.IV.) & LIAN duabus litteris AE locus minime ſuppetat. De diſpenſatore vid. not. ad inſcript. num.76.

5. *Januarius Piſtor* V. not. ad inſcrip. 238.

6. *Apollonius Atrienſis*.

Poſtremi tandem magiſtri, nimirum anni Ch. 47. Claudio Aug. V & Corn. Orphito Coſſ. hi ſignantur.

1. ∴PHIVS DE∴SVBVIL
2. ∴OPVS ON∴M. *Medicus*. V. ad inſcript. 224.
3. ∴VS∴POR∴ILIC
4. ∴LVSALLA∴ *a Corinthiis*. Vide quæ adnotavi Tom. I. pag. 53.
5. ∴PECLAR II
6. ∴DIVAE *Auguſtæ Medicus*.
7. ∴VS *Favonius Thermarius*.

POR∴ILIC. Heic etiam Vulpium inter & Blanchinium celebre diſſidium. Iſte namque explicandum eſſe opinatur *Portus Vilicus* h. e. *Cuſtos*, aut *Porticis Vilicus*; ſuæque interpretationis patronum opportune Bellorium accerſit, a quo *Portex Neptuni* nominatur. Ille vero *portandis illicibus*, ideſt *præfectus*, ſive *præpoſitus portandis ilicibus*, ad ædificia pariter, & navigia conſtruenda aptiſſimis. Etſi neuter, ut credo, palmam præripuerit; tamen, ſi legas quæ Vulpius ad ſuam comprobandam ſententiam loc. cit. ſumma quidem eruditione attulit, hunc propius ad metam acceſſiſse arbitraberis.

THERMARIVS. Qui a balneis calidis erat. *Thermutarius* vocatur in lapide Goriano. Quam uſitatæ apud Romanos thermæ colligitur ex P. Victore, qui octingentas agnovit, atque ex Plinio Epiſt. lib.IV. ſcribente: *Thermæ, quæ nunc Romæ ad infinitum auxere numerum*. Quæ vero thermarum amplitudo innuit Ammianus lib.XVI. ubi thermas *lavacra* vocat, *in modum provinciarum extructa*. Celebriores ædificavere Agrippa, Nero, Hadrianus, Antoninus, Olympiades, Titus, Decius, Gordianus, Diocletianus, Novatus, Conſtantinus.

His abſolvitur prima Tabulæ pars. Siquidem illud PEDISQ., quod in commentariis ſuis Vulpius, poſt Favonium thermarium addidit, in autographo nunquam extitit: extat utique in prima columna, ubi vir doctiſſimus collocare debuerat, poſt *topiarium*.

SECVNDA noſtri hujus monumenti pars, in qua Cyclus lunaris litteris ſignatus cernitur, feſta ludoſque ſub primis Cæſaribus celebratos, necnon præclariora Julii Cæſaris, & Auguſti facinora exhibet. At quantum ad litteras Cyclum indicantes, notandum cum Vulpio antiqua Calendaria, non ut noſtrum ſeptem tantum, ſed octo elementariis litteris continuari, nempe A. B. C. D. E. F. G. H. Quantum vero ad ſiglas ſingulis dierum numeris appoſitas, tritiſſimam licet, earum tamen laudati authoris explicationem, accipe.

N. *Ne-*

N. *Nefastus* dies
NP. *Nefastus primo*
C. *Comitialis*.
F. *Fastus*.

Ovidii Carmina Fast. lib. I. rem totam digerunt.

Ne tamen ignores variorum jura dierum.
Non habet officii Lucifer omnis idem:
Ille nefastus, per quem tria verba silentur;

nimirum DO. DICO. ADDICO

Fastus erit, per quem lege licebit agi.
Neu toto perstare die sua jura putaris.
Qui jam fastus erit, mane nefastus erat.
Nam simul exta Deo data sunt, licet omnia fari,
Verbaque honoratus libera Prætor habet.
Est quoque quo populum jus est includere septis

Locum enim comitiis destinatum, *septa* vocabant

Est quoque qui nono semper ab orbe redit

FELICIT IN CAP. *Felicitati in Capitolio*. Felicitatis effigies, fœminam repræsentans in solio sedentem, dextra caduceum, grande vero sinistra cornu copiæ tenentem in numismatis conspicitur. M. Lepidus templum *Felicitati Cæsaris* excitavit ex S. C. authore Dione lib. 44. Vid. S. Auguft. de C. D. Eidem insuper Deæ nuncupati lapides habentur apud Gruterum, & Gorium.

LVDI APOLLINI. *Apollinares* dicti. COMM CCCXXC. *Commeatus sestertium trecenties octuagies*. Per hæc significatur, ut mea opinio est, summa pecuniæ in epulum, quod dum ludi celebrabantur, populo parabatur, impensæ. Scio *commeatum*, in militia Romanorum fuisse, quod nobis vulgo *congedo*; temporis nimirum eundi, manendi, ac redeundi præscriptionem. Verumtamen accipi interdum pro cibariis ad alimoniam non exercitus tantum, sed & Reipublicæ, & multitudinis alicujus, immo & privatorum docet Calvinus in lex. Jurid. ubi Tullium laudat, qui pro leg. Man. *jam commeatu*, inquit, & *privato, & publico prohibebamur*; & Sallustium in Bell. Catil. scribentem: *si vincimus, omnia nobis tuta sunt, commeatus abunde*. Quidam, verbis decepti Festi Pompeii dicentis, *ludos Apollinares populus laureatus spectabat, stipe data pro cujusque copia*, per commeatum heic HS CCCXXC. intelligunt stipem quam teste Livio ad edendos ludos Apollini dicatos conferebant. Sed commeatus vocabulum, nonnisi pro temporis præscriptione, ut dixi, aut pro re cibaria accipi posse reor; quare stipem enunciare nequit. Hæc animo scripsi obsequendi iis, qui τὸ COMM interpretantur *commeatus*, nulla tamen interpretationi addita elucidatione. Ceterum si quis legere maluerit *commissi*, lectionem hanc me haud fastidire fateor: ludos enim *committere*, non mihi novum.

DIVI IVL NATALIS. Imperatorum natales dies celebrare senatum populumque Romanum consuevisse, innumeri tradunt scriptores. Insignis autem inscriptio Florentiæ jamdiu reperta, atque a Georgio Fabricio in monum. ant. p. 40. edita, rem totam aperiet.

TI. CAESARE TERT. GERMANICO CAESARE ITER. COS
CN ATTEIO CN. F. ARN. RVFO LVTATIO
T. PETILLIO P. F QVI II VIR
AEDICVLAM ET STATVAS HAS HOSTIAM DEDICATIONI
VICTIMAE NATALI AVGVST. VIII. K. OCTOBR. DVAE QVAE
P. P. IMMOLARI ADSVETAE SVNT AD ARAM QVAE NVMINI
AVGVSTO DEDIC. EST VIIII ET VIII K OCTOBR. IMMOLEN
TVR
ITEM NATALI TI. CAESARIS PERPETVE ACTVRI DECVRIONES
ET POPVLVS CENARENT QVAM IMPENSAM Q. CASCELLIO
LABEONE IN PERPETVO POLLICENTI VT GRATIAE AGEREN
TVR MVNIFICENTIAE EIVS EOQ. NATALI VT QVOT ANNIS
VITVLVS IMMOLARETVR

ET VT NATALIB : AVGVSTI ET TI . CAESARVM PRIVSQVAM AD
VESCENDVM DECVRIONES IRENT THVRE ET VINO GENII
EORVM AD EPVLANDVM ARA NVMINIS AVGVSTI INVITA
RENTVR
ARAM NVMINI AVGVSTO PECVNIA NOSTRA FACIENDAM CVRA
VIMVS LVDOS EX IDIB . AVG . DIEB SEX P.N. FACIENDOS CVRAVIMVS
NATALI AVGVSTAE MVLSVM ET CRVSTVLVM MVLIERIBVS VI
CANIS AD BONAM DEAM PECVNIA NOSTRA DEDIMVS
ITEM DECICATIONE STATVARVM CAESARVM ET AVGVSTAE
MVLSVM ET CRVSTVLA PECVNIA NOSTRA DECVRIONIBVS ET
POPVLO DEDIMVS PERPETVOQVE EIVS DIE DEDICATIONIS DA
TVROS NOS TESTATI SVMVS QVEM DIEM QVO FREQVENT
IOR QVOTANNIS SIT SERVABIMVS VI . IDVS MARTIAS
QVO DIE TI . CAESAR PONTIF . MAXIMVS FELICISSIME EST
CREATVS

Ita inferius TI.CLAVDI; ideſt *Ti.Claudii Germanici natalis dies*, ut in calendario Capranicorum; & circa tabulæ finem L. AVG NATAL, nempe *Liviæ Auguſtæ natalis dies*. Compertum eſt præterea ſenatum decreviſſe ut J. Cæſaris natalis dies, qui erat IIII. Id. Quintil. quotannis publice celebraretur.

MERCATVS. Calendarium a Raphaele Cyllenio renovatum, atque a Carolo Sigonio proditum, crebro MERKATVS cum K. Nempe forum nundinarium, aut quid ſimile: vocabulum tamen iſtud accipitur aliquando authore Donato, pro ipſo tempore, quo negociatores ad emendum, & vendendum conveniunt.

DIES ALL ATR. *Dies Allienſis Atra* - ATRA *ob cladem, quam Romani tulerunt a Gallis Senonibus apud Alliam fluvium in Sabinis, qui dodie dicitur* Caminate *aut* Rio di Mosso, *ac proinde dies Allienſis, qua vel iter ipſum ſuſcipere infauſti ominis putabatur*. Vulpii nota. Qui dies atri ſint, & cur ſic appellati adi Roſinum A. R. lib. IV. Eodem die Fabios ad Cremeram cæſos Plutarchus tradit. De die Allienſi vide eumdem Plutarchum *in quæſt. Rom.* Livium lib. 5. & Macrobium *Saturn*, lib. I. cap. 16., qui præ cæteris *de die atra Allienſi* eruditiſſime diſſerit.

SPEI AVG ALEXAND RECEPIT. *Dies* nempe quo *Auguſtus Alexandriam recepit*, SPEI dicatus. Spes a Romanis tamquam Dea colebatur; ideoque templum habuit a Calatino conſecratum teſte Cicerone *de legib.* lib. II. Ædem in foro Olitorio, quam incendio conſumptam Triumviri ad idipſum creati, ut narrat Livius lib. 2. refecerunt. Novum Spei templi P. Victor collocat in regione VII. Alterum, a M. Fulvio Cenſore ædificatum ad Tiberim, idem Livius lib. 40. tradit. Hinc frequentiſſime in nummis SPES *Auguſta*, SPES *publica*, SPEI *perpetuæ*, SPES *populi Romani*, SPES *felicitatis orbis*, SPES *Reip.* SPES *Romana*, *&c.* Hunc diem, ut Vulpius notavit, Horatius celebravit lib. IV. od. 14.

nam tibi quo die
Portus Alexandrea ſupplex &c.

In ejuſdem diei memoriam cuſum prodit Occo numiſma, in quo Auguſti caput cum fulmine, Victoria inſiſtens proræ, dextra corollam tenens, ſiniſtra palmam cum epigraphe.

ΑΥΤΟΚ. ΚΑΙΣΑΡ ΘΕΙΟΥ ΥΙΟΣ
ΑΛΕΞΑΝΔΡΙΝΩΝ

Vulpius in hujus tabulæ explicatione, Deſpræjus in not. ad Horatium, aliique, Auguſtum Alexandriam recepiſſe aſſerunt die ultima menſis Sextilis: Id tamen mihi haud exploratiſſimum, ut illis, videtur. Nam in noſtro Calendario feſtivus hic dies ſignatur poſt calendas Auguſti. In calendario a Jac. Mazzochio edito, Auguſti, de Antonio, victoriæ dies.

dies notatur ſextodecimo cal. Martii. In Maffejano denique, ut ipſemet Vulpius faſſus eſt, die XXVI. Martii, ubi apertiſſimis verbis legitur

HOC DIE CAESAR ALEXAND. RECEPIT

quæ ſane verba ipſiſſimum Alexandriæ captæ diem indicant, immo definiunt. Neque cenſeo, ut quidam ajunt illud heic bellum Alexandrinum commemorari a Julio Cæſare non pro bono Reip. populique Romani ſuſceptum, ſed ut Cleopatræ Reginæ, cujus conſuetudine familiariter utebatur, commodis inſerviret. Diem itaque, quo Auguſtus Alexandrinorum ſit potitus, conſtituere, difficilimum autumo: quo vero anno, omnes conveniunt, ſcilicet V. C. 723. ante C. N. 31. præter Æneam Vicum, qui ſcribit 722.

DIVVS IVL HISP VIC. *Divus Julius Hiſpaniam* ulteriorem (non *citeriorem* ut ait Roſinus: hanc enim jam ſubegerat) *vicit*. Ideſt *feriæ quotannis recurrentes* IV. *Non. Auguſti in memoriam Hiſpaniæ ulterioris a Cæſare ſubactæ anno* ab V. C. 708. *ante* Ch. N. 46. Poſtremum hoc fuit bellum a Cæſare ſuſceptum, quo confecto, Dictator perpetuus creatur.

SALVTI IN COLLE. Quemadmodum Felicitas, Spes, Fides, Victoria, Libertas, Concordia, Pietas, Securitas, Tranquillitas, ita & *Salus* in Deorum conventum ab Ethnicis relata eſt; eique templa extruxere una cum Æſculapio, ubi hodie Eccleſia *S. Mariæ Novæ* prope Titi arcum, ut probat adverſus Marlianum, Martinum Polonum, Poggium, & Blondum, Georgius Fabricius in ſua *Roma* pag. 92. Salutis etiam publicæ Auguſtus ædes ornavit, templumque aliud ædificavit Mæcenas, cum morbo gravi liberatus eſſet: unde Horatius carm lib. 2. Od. 17. ad eumdem

——— Reddere victimas
Ædemque votivam memento:
Nos humilem feriemus agnam.

M. Tullium Cornelium Cratippum Salutis ſacerdotem commemorat vetus lapis ab eodem Fabricio indicatus p. 116. Hujus tandem Deæ, quæ Hygia quoque nuncupabatur templum pinxiſſe Q. Fabium Pictorem, ſuperius ex Plinio retuli. Advertendum in calendarii fragmento, quod olim apud Lælium Vallam extitiſſe affirmat Fabricius, legi SAL IN COLLE QVIRINALI SACR. PVB. ex quibus conjicitur Salutis templum fuiſſe aliquod in Quirinali.

DIVVS IVL PHARS. VICIT. *Divus Julius in campo Pharſalico* Pompejum *vicit* ann. V. C. 707. ante C. N. 47. Virgil. verſus, quem profert Vulpius,

Romanas acies iterum videre Philippi

ad litteratio cum æſtu dimicandum (non equidem cum ſanguinis effuſione, ut Pompejum inter & Cæſarem contigerat) anſam inter Eruditos dedit. Vide luculentiſſimam Rodulphini Venuti diſſertationem, a Monaldinio in recentiori Virgilianæ Æneidis editione proditam.

FERIAE CERERI ET. OPI. AVG. *Feriæ*, dies ſcilicet feſti, *quorum ratio*, inquit Cic. de leg. *in liberis requietem habet litium, & jurgiorum, in ſervis operum, & laborum.* Feriatos ſingulorum menſium dies Rex Sacrificulus proclamabat, ac authore Arnobio adv. Gent. lib. 2., in hunc modum. *Lavatio Deum Matris eſt hodie. Jovis epulum cras. Æſculapii geritur; celebratur vindemia. Lectiſternium Cereris erit idibus proximis. Telluris natalis eſt &c.* De Prætore, ferias quoque ſolemnibus verbis indicente, adi Gellium, Macrobium, Svetonium, & ex recentioribus Briſſonium *de Form.* Feriæ ergo Opi, & Cereri ſignantur heic IV. Nonas Aug. *Opalia* tamen feſta celebrari ſolita XIV. cal. Januarii ex Macrobio colligit Hoſpinianus. Opi ſeu Telluri Saturni conjugi templum omnium primus in Attica (ubi *Themis* vocabatur) Cecrops vovit, authore Philochoro apud Gyraldum: Romæ vero, T. Tatius, in regni ſocietatem a Romulo receptus, Dionyſio, & Varrone teſtibus. Aras opis & Cereris fuiſſe in vico Jugario innuit calendarium Maffæjorum. Templum quoque Opi & Saturno ſacrum collocatur a Georgio Fabricio, ubi hodie

die *S. Maria in portica*. Aliud denique templum Opi & Fortunæ a Pertinace ædificatum testatur inscriptio ejusdem Fabricii

OPI . ET . FORTVNAE . PRIMIGENIAE
SACR
IMP . CAESAR . HELVI . PERTINACIS AVG

Hinc Pertinacis numismata apud Occonem cum epigraphe OPI DIVIN . TR . P. COS.II.
Opi Cererem , ideſt Matri filiam ſociare æquum fuit; nam ut ait Ovidius Faſt. lib.vi.

Ex ope Junonem memorant Cereremque creatas
Seminè Saturni.

Deam hanc Romani Cerealibus ſacris ludiſque (de his fuſe Roſinus A. R. lib.4.) honorabant. Hæc enim, *hominibus ad meliora alimenta* vocatis

Mutavit glandes utiliore cibo.

Vulpius inquit FERIAE CERERI ET OPI AVG, *ideſt Auguſtæ*, *ſive Auguſti*. Verum minime heic hæſitandum, legique debet *Auguſtæ*. Imperatores enim Dearum nominibus nuncupati nuſquam gentium reperiuntur. Auguſtæ vero, nomine præſertim Cereris, tum in lapidibus, tum in numiſmatis frequenter occurrunt. Scio ſæpe inveniri PROVIDENTIA , LIBERALITAS, ſeu *Providentiæ*, *Liberalitati Auguſti*; at id nihil probat; nam aliud eſt *Providentiæ Auguſti*, aliud OPI *Auguſti*, & CERERI *Auguſti*, quod ut dixi, nunquam audivi.

DIANAE IN AVENT . *Dianæ in Aventino*. Templum a populis Latinis, Servio Tullo rege excitatum, in Aventino monte Dianam habuiſſe exploratiſſimum eſt. De eodem teſtatur (ut de reliquis ſileam) marmor Salonæ in Dalmatia effoſſum, in hæc verba, ex Fabricio: CAETERAE LEGES EAEDEM SONTO QVAE ARAE DIANAE SONTO IN AVENTINO MONTE DICATAE. Ædes ſacræ Dianæ Aventinæ ab antiquariis collocantur ubi nunc S. Sabinæ eccleſia, Dominicanorum ſtrictioris obſervantiæ cœnobium.

AVG . TRIVMP . *Auguſtus triumphavit*. Tres Auguſtum triumphos egiſſe curules, nimirum *Dalmaticum*, *Actiacum*, & *Alexandrinum* docet Vulpius ex Svetonio *in Aug*. Hinc in ejuſdem imperatoris numiſmatis bigæ, & quadrigæ triumphales POR NP FER PORTVN . *Portunalia Nefaſtus primo*. *Feriæ Portuni*. Feſta hæc Portunalia celebrata die xvii. Auguſti in II urbis regione ad pontem Æmilium, quondam Sublicium , ubi ædes Portuno ſacras extitiſſe tradit Gyraldus, teſtaturque calendarium Capranicenſe in quo feſtus hic dies notatur AD PONTEM AEMI. Portunum , vel Portumnum alii *portarum* Deum faciunt, ut Feſtus qui propterea clavem in manu tenere aſſerit. Alii vero ut Servius, Deum marinum. Iſtius aut maris, aut terræ Deaſtri fabulam recitant ex antiquiſſimis mythologis Hoſpinianus, Gyraldus, Chartarius, aliique.

AEDIS DIVI IVL . DED . *Ædis Divi Julii dedicatio*. Grati animi monumentum Julio Cæſari jam in deorum numerum adſcripto, ſacram Auguſtum ædem dicaſſe, noſtro ex calendario liquet: eamdem memorat Ovidius de Ponto lib.iii. ep.5. ad Sex. Pompejum cos.

— ut erunt Patres in Julia templa vocati.

Baſilicam quoque, a Plinio *Juliam* appellatam Auguſtus fundavit in Eſquiliis. Lapis antiquus Fabricianus

T . FLAVIVS GENETHLIVS . NVMMVL
DE BASILICA IVLIA

VINALIA . F. AVGVSTVS EXCESS. *Vinalia*. *Feriæ*. *Auguſtus* hoc die xiv. cal. Sept. *exceſſit*. Plinius ad xiii. Varro ad xii. cal. Sept. vinalia referunt: at calendariis fidem magis habendam eſſe quam ſcriptoribus opinor, eo magis quod calendaria in locis publicis proſtarent. Hæc Vinalia, *ruſtica* vacabantur, ab iis diverſa, quæ celebrabantur menſe Aprili, ut apud Ovidium in Faſt. lib.4. In iſtis autem, menſe Auguſto prædicatis, Flamen Dialis, vinum legere, vindemiamque fieri jubebat, atque Jovi agnam immolabat. Apud Tuſ-

Tusculanos lege cautum erat, ne quis vinum novum, antequam Vinalia calerentur, in urbem inveheret; apud Laurentes, ne quis poma ex alieno legeret, quæ humeris vectarentur, & apud Romanos nulli vino novisve frugibus vesci licebat, antequam Flamen primitias libasset. Al. ab Alex. Gen. dier. lib.6. ex Varronis de L.L. libro 5. Leve inter Vinalia, & Bacchanalia fuisse discrimen colligitur ex Tacito, hæc, Ann.lib.xi. de Messalina narrante. *At Messalina*, inquit, *non alias solutior luxu, adulto autumno simulacrum Vindemiæ per domum celebrabat, urgeri prœla, fluere lacus, & fœminæ pellibus accinctæ assultabant, ut sacrificantes, vel insanientes Bacchæ. Ipsa crine fluxo, thyrsum quatiens, juxtaque Silius hedera vinctus, gerere cothurnos, jacere caput, strepente circum procaci choro.*

EXCESSIT, Augustus Rempublicam universam solus obtinuit an. ante C.N. 30. Regnavit annos 44. obiit vero Nolæ ex ventris profluvio anno ætatis 76. post C.N.14. *Reliquias*, inquit Svetonius, *legerunt primores equestris ordinis tunicati, & discincti, pedibusque nudis, ac in Mausoleo* (quod ipsemmet Augustus sibi posterisque suis extruxerat ad ripam Tiberis) *condiderunt*.

INFER. L. CAESARIS. *Inferiæ Lucii Cæsaris*. Lucius Agrippæ, & Juliæ filius, non, ut Vulpius ait *Augusti*, a quo tamen in Cæsarum familiam est adoptatus. Massiliæ obiit, incertum morbo ne an veneno Liviæ artibus propinato. Inferiæ sacra, ludique exequiales erant, qui quotannis defunctorum memoriam honorandi causa Dis inferis solvebantur. De inferiarum ritibus egit Vulpius in libro de Antiatibus: egi & ego in opusc. *I riti funebri di Roma pagana* P.iv. num.36.

FERIAE IOVI.·. Vulpius (quem ubique fere sequutum, heic tamen desero) addit *Latiali*. Quid revera, quodve post Jovis nomen cognomentum subsequeretur, ex tam ibidem confracto marmore elicere, divinare est. At ne id quidem Vulpio obtigit; nam ferias Jovi Latiali sacras antiqui scriptores non calendis Septembribus assignant, sed pridie idus Aprilis, teste Livio lib.4. & 5. Dec.v. scribente. *Et ne quid profectionem suam teneret, pridie idus Aprilis Latinis esse constitutam diem &c- quo die perpetuato Sacro in monte* (Albano) *in suas Provincias proficiscuntur*. Sic Calendarium apud Dempsterum: *die vigesima septima Aprilis* LATINAE FERIAE IN SACRO MONTE. Calendas vero Septembris Neptuno sacras testatur Maffeianum in quo K. SEPT. N. *Hoc die feriæ Neptuni*; ita apud Sigonium K. SEPT. N. HOC. DIE FER. NEP. Non ergo Jovi, ut in tabula nostra Antiatina, ex quo liquido colligitur peculiare atque partim ab Urbano diversum Antiates calendarium edidisse.

INF DR. Heic profecto non sequendus Vulpius, sed emendandus. Tentata namque meis, aliorumque unguibus tabula, repertus est R hoc est DR, non DI uti scribunt cum Vulpio etiam Blanchinius, & Muratorius. Legendum itaque *Inferiæ Drusi*, ac ut censeo Drusi majoris, Tiberii fratris, Germanici patris, qui ut alibi vidimus equo collapsus, fractoque inde crure, annum ætatis agens trigesimum, obiit. Hunc commendarunt Horatius, Tacitus, Svetonius, *adolescentemque* dicit Paterculus lib.2. *tot tantarumque virtutum, quot, & quantas natura mortalis recipit, vel industria perficit*. Revera Viris jam in Deorum cœtum relatis Inferias esse solutas, nemo quidem asservabit.

EQVOR. Nempe *equorum probatio*, ut inferius mense Novembri: ita Maffæjanum F.F. EQVOR PROB. Ex verbis, quibus Vulpius hæc interpretatur, patet eruditissimum virum intellexisse de probatione equorum ad cursuram (ut Varronis utar vocabulo) idoneorum, quos nos *barbari*, & *barberi* dicimus. At quam erraverit, facile colliges ex Ræyardo, Rosino, Dempstero, aliisque. Quippe aliud fuit *equorum probatio*; aliud *equiria*.

LVDI AVG AED APOLL DEDICAVIT. Ædem Apollini in Palatino Augustus celeberrimam condidit post victoriam Actiacam, cui porticum columnis Numidicis, picturis, statuisque ornatam addidit. De templo Ovidius Trist. lib.3.

Inde timor pari gradibus sublimia celsis
Ducor ad intonsi candida templa Dei;

de

de Porticu Propertius lib. 2.

Quæris cur veniam tibi tardior? aurea Phœbi
Porticus, a magno Cæsare aperta fuit.

INFER GERMANIC. Inferiæ Germanici Drusi majoris & Antoniæ minoris filii, Agrippinæ vero conjugis: fraude Tiberii, operaque C. Pisonis, hausto veneno, moritur Antiochiæ *ingenti luctu*, inquit Tacitus Ann. lib. 1. *Provinciæ, & circumjacentium populorum*. Ad hunc

——— *ut Clario missa legenda Deo*

suos Fastorum libros misit Ovidius, qui ejusdem Cæsaris triumphum carminibus calamitose deperditis, celebravit.

VERN DIES FEST. *Vernani dies Festus*. Hunc, Vernarum Deum fuisse cum Vulpio censendum. Cum vero de Vernano nihil in calendariis Urbanis reperiatur, nullaque sit apud veteres scriptores mentio, mihi magis magisque peculiare Antiates habuisse calendarium confirmat, in quo modo urbana, modo propria festa signarent.

DIVVS AVG TOG.·.RILEM. SVM. *Togam virilem sumsit*. Augustus editus est anno ante C. N. 62. Togam sumpsit annum ætatis agens 16. Togam ergo ann. ante C.N. 46. sumpsisse liquet: quo die? interrasus lapis declarare vetat; mense vero Octobri, certum est; non igitur eodem mense, neque eodem die, quo ut plurimum a Romanis sumebatur, nimirum XVII. Martii, quo die Liberalia celebrabant ut veteres tradunt scriptores, confirmatque Calendarium Maffejorum: unde Ovid. Fast. lib. 3. dist. 385.

Restat ut inveniam quare toga libera detur
Luciferis pueris candide Bacche tuis.

& dist. 393.

Ergo ut Tyronum celebrare frequentia possit,
Visa dies dandæ non aliena togæ est.

LVD. PLEB COM HS DC. Vetus calendarium, & id sequuti Gyraldus, & Reusnerus ut notavit Hospinianus, ludos plebejos spectatissimos ad diem 12. Nov. referunt; alii ad 17. Cal. Dec. quo exactis Regibus pro plebis libertate instituti sunt. Nonnulli tamen post plebis secessionem ad sacrum montem datos ferunt, atque a Sylla pacata Republica, restitutos. De his Livius lib. V. bell. Pun. sec. *Ludi plebeii per biduum instaurati, & Jovis epulum fuit ludorum causa*.

AGRIPP IVL NAT. *Agrippinæ Juliæ natalis dies*. Hæc desponsata prius Passieno Crispo, inde Cn. Domitio Ænobarbo Neronis patri, sexta tandem fuit Claudii Imp. uxor; a Nerone filio interempta est.

EPVLVM INDICITVR. Non de epulo hic agi censeo civibus dato, ut Vulpius arbitratur: epulorum enim publicorum nulla determinata dies, sed ad libitum Principis, aut Magistratus. Agitur ergo de epulo Jovi, aliisque Diis, ab epulonibus parando, quod cum in eo lecti discubitorii Diis, & Deabus tanquam epulaturis sternerentur *Lectisternium* vocabatur. *Jovis epulo*, inquit Val. Maximus, lib. 2. cap. 1. *ipse in lectulum, Juno & Minerva in sellas ad cœnam invitantur*. Lectisterniorum notitiam quamdam habes in sacris litteris Dan. cap. XIV.

IN CIRC L. AVG NATALIS. *Ludi circenses in Liviæ Augustæ natalis diei* memoriam.


SOL IN SAGITT. *Sol in Sagittario*. Crocus Euphemes Musarum nutricis filius, ipsarum Pieridum precibus a Jove inter astra relatus est, vocatusque *Sagittarius*.

AG , *Agonalia nefastus primo*. Bis in anno celebrata fuisse Agonalia nonnulli ferunt scriptores; videlicet V. Id. Jan. & 13. Cal. Maj. Alterius pariter nondum editi Calendarii fragmentum, a Verrio Flacco ut creditur ordinatum, repertumque Præneste ann. 1771. AGONIA sive Agonalia ad V. Id. Jan. refert. Attamen ex nostro, itemque ex Maffæjano signantur 3. Id. Decemb. Nominis rationes mul-

multæ a Varrone, Festo, atque Ovidio afferuntur, de quibus consulendus Hospinianus *de orig. Fest.* cap.7. Aliud autem calendarium apud Dempsterum habet Angeronalia; sacrificia scilicet, quæ in Angeronæ, Silentii Deæ honorem fiebant. Quid per AGNP intellexerit, *Agonalia* scilicet, an *Angeronalia*, Vulpius non dicit.

CON. *Congiarium* Imperatorum munus populo datum. Tiberium populo congiarium trecentos viritim donasse numos tradit Svetonius. *Congius* vero, a quo *Congiarium*, mensura quædam erat liquidorum, sex capiens sextarios; sive, ut scribit Neupoortius, *octava pars amphoræ dicebatur Congius, qui ita cepit sextarios sex, heminas duodecim.*

Miror quam maxime doctissimum virum loc. cit. p.143. scripsisse *nullum ad nos pervenisse theatri Antiatini monumentum*. Ejusdem vestigia heic exhibeo ad exemplar tabulæ a Blanchinio publici juris factæ ann.1727. Quomodo id Vulpio haud innotesceret, ænigma quippe, mihi ipsique Oedipo insolubile videtur, eo magis si advertatur marmor istud Antiatinum, quod Vulpius bis illustravit, repertum fuisse inter ejusdem theatri rudera diu antequam Vulpius suum de Antiatibus volumen ederet, nempe anno 1712.



Num.1. *Littus indicat maris Tyrrheni prope Antium*. 2. 4. 5. *Scenæ Theatri partem, quæ adhuc superest*. 3. 5. *Partem reliquam semidirutam*. 2. 4. *Aulam concameratam intra scenam theatri ubi in loco* (4) *reperta fuit tabula Antiatina*. 6. 7. 8. *Vestigium muri solidioris in hemyciclum rotundati ad fulciendos gradus ligneos theatri, intra perimetrum ejusdem muri excitandos*. Hæc Blanchinius.

Hucusque tabula Antiatina: pauca heic tamen, ex Vulpianis commentariis excerpta, advertere operæ pretium erit. Vir doctissimus in Latio vet. proph. tom. III. lib. 4. cap. 3. hæc habet: *Illud in primis noto, Kalendarium hoc, ludos, ceteraque festa signare, quæ Romæ, non autem Antii fierent; id autem manifeste liquet ex eo, quod notentur festa Felicitatis in Capitolio, Dianæ in Aventino, Salutis in Colle, quæ loca Antii quoque fuisse, Capitolium præsertim, & Aventinum, nonnisi inepte quis asseveret*. Revera id hactenus asseveravit nemo. Verumtamen opinari eadem festa, in quibus a Romanis Felicitati, Dianæ, & Saluti sacra fiebant in Capitolio, in Aventino, & in colle Quirinali, Antiates in patriis templis celebrasse, quare absurdum putarit Vulpius, non intelligo. An Felicitas, Diana, & Salus, Antiatibus sacerdotibus incognita, aut ab Antii incolis posthabita numina? Capitolium, & Aventinum nunquam Antii fuisse quid probat? Quis unquam asseverabit Venetiis, ex.gr. Genuæ, Placentiæ, Senis, extare Vaticanum, Lateranum, Cœlium, Velabrum? in his tamen urbibus SS. Petri, Joannis, Gregorii, Georgii, qui in Vaticano, in Laterano, in Cœlio, in Velabro a Romanis denominantur, festa celebrari quis, non nisi inepte, negabit. At de pretiosissima hac Tabula, jam plusquam satis.

357.

AQVILONI AQVI
LONIS VICIT CXXX
SECVNDTVLIT
IXXXVIII
TER
TVL
XXX
VII

HIRPINVS . N . AQVI
LONIS . VICIT . CXIIII
SECVDAS . TVLIT
LVITERT . TVL
XXXVJ

D. M

CLAVDIA HELICE
FFC . L . AVILL . DIONYSIo
COND . GR . RVSSATAE
CONIVG . DIGNISSI

Mazochius, Panvinius, Donatus, Gruterus, Manutius, Fabrettus, aliique hoc olim ædium Colotiorum, mox Delphiniorum, nunc musei Capitolini marmor ediderunt, nemo tamen mendis omnino vacuum. Horum vero, cœteroqui disertissimorum virorum sphalmata, quæ mihi heic recensere tædiosum, hoc exemplare, ab autographo (quod pluries, diligentissimeque relegi) descripto, corrigantur.

Inscriptionem hanc nonnulli explicarunt, summa utique eruditione, sed non ea, quæ in hujusmodi argumentis requiritur perspicuitate. Eamdem ergo (minus sane erudite, verum perspicuius) elucidandam aggredior.

CLAVDIA. *Claudia Helice fecit* hunc cippum L. *Avillio Dionysio conditori gregis russatæ coniugi dignissimo*. Fecit, dedit, posuit, idem significare, vel mediocriter eruditi sciunt.

COND. Conditoris appellatione designabantur tum Auctores, tum Patroni, forteque & ductores factionum Aurigarum, qui in

356.

∴∵IX CAESARIS
∴∵ MENSOR
∴∵DD PRO.MAG. HS ∞ DC
∴∵VDIVS NESSVS II
∴∵VDIVS HERMES
∴∵ATHVS ATR.∴RI
∴∵EGVS SEXTIONINVS
∴∵ PRO. MAG. HS ∞ DC
∴∵IRIMVS SVBVIL
∴∵ATTAL

TI.IVLIVS. GRAPHINATA
TI.CLAVDIVS ROMANVS
∴BATELLVS. VER. CAP. ABIB
∴PRIMVS. HILARIAN ASVPEL
∴ARGAEVS. GEBER CENSORIN
∴SEDVNDVS. TEC. EVPORIAN
ZORA ATR
SEPVNIVS CLARVS.EX.D.D. HS ∞ ∞

CLAVDIO CAESARE AVG Q. VERANIO
CAECINA LARGO. COS A. POMPEIO GALLO CoS

∴GRATVS. TOP
∵ LEO ATR
∴ THVS TOP
∴ SALVIVS POLIT

HELLVS ∴ATR
HER. . . . . .APID
. . . . .HRESAD
H. . . . . . .PAVIMEN
SATVRNINVS SPHAER
GORA ATREN

TI CLAVDIO CAESARE AVG COS C. ANTISTIVS VETVS
L. VITELIO II M. SVILLIO NERVILINO CoS

ZELVS AVG. LIB
CLAVD ATIMETVS ABIB
V LYSIMACHVS. AEDIT. VERNANI
HVNC PRINCEPS.∴ABELLA
ITESSET II DEC.TAN:::::::TOP
NIO.C.PONTIO COS.∴AIVS∴
::M.STATILIO TAVRO
II ASVPELLECTILE::::::
L.QVINCTIO SECVDO COS
ATRIENSIS TRYPHON ADIVTI
ENIVS ATRIENSIS PHILETVS AEDITVS FORTVNARVM
. . . . .CHRESIMVS A BIB
. . . . .FELIX CAMP
EX.D.D.ALLEC. HS ∞ ATR AG ATHOPVS TEC
AEVS TOP VENVSTVS SPEC
MNVS.PEDISQ.DELP ANTIPATER AVG L EX D D HS ∞ DC
CAIVS L. ADI

MYRO. AVG. L. PICTOR
FELIX. AVG. L. IVSCVL
ANTEROS TEGVL
EVPHEMVS LIAN DISPENS
IANVARIVS PISTOR
APOLLONIVS ATR
T. CLAVDIO AVGVSTO CoS
SER. CORNELIO ORPHITO
. . . . .PHIVS DE. . . . . .AN SVBVIL
. . . . . .OPVS ON M. MEDIC
. . . . . . VS POR ILIC
. . . . LVSALLA A CORIN
. . . . .PECLAR : II
. . . . DIVAE AVGVSTAE MED
. . . VS FAVON THER

KIVL N FELICIT IN CAP	EKAVG NP TI CLAV SPEI AVG ALEXAND RECEPIT	D KSEP FERIAE IOVI.:	....	AKNOV F IN CIRCO	GKDEC ∴
VI N			....	BIIII F	HIVN .....
V N	F IIII N DIVVS IVL.HISP VIC	EIV N	....	HS x CIII C	AIIIN ∴
IV NP ::CIS AVGVST CONSTITVIT	GIII C	FIII NP COMM	....	DPR C LV'D PLEB COM HS DC	BPR F..
	HPR C	GPR C DCCLX	....	ENON F LV'D	CNON F∴
III	A NON NP SALVTI IN COLLE	HNON F LVDI	F LVDI	FVIII F LV'D AGRIPPI VL NAT	DVIII F. .
PRID N LVDI APOLLINI COMM HS CCXXC	BVIII NP	AVIII F LVDI	GRR LVDI	GVII C LV'DI	EVII C..
	CVII C	BVII C LVDI	HNON F LVDI	HVI C LVDI	FVI C∴
NON N LVDI	DVI C	CVI C LVDI	AVIII C LVDI	AV C LV'DI	GV C∴
VIII N LVDI	EV NP DIVVS IVL. PHARS VICIT	DV C LVDI	BVII C LVDI AVG	BIIII C LVDI	HIV C..
VII N LVDI	FIV NP FERIAE CERERI ET. OPI AVG	EIIII C LVDI	...... AED APOLL DEDICAVIT INFER GERMANIC	CIII C LV'DI	AIII AG NP .
VI C LVDI	GIII C	FIII C LVDI	......	DPR C LV'DI	BPR F..
V C LVDI	HPR C	GPR C LVDI	..VS N IN CIRCO	EID NP EPVLVM INDICITVR	CID NP TEC
IIII NP LVDI DIVI IVL NATALIS	AEID NP DIANAE IN AVENT	HID NP EPVLI	..... F	FXIIX F EQVOR.PROB	DXIXI ∴
	BXIX F AVGVST TRIVMP	AXIIX F INFER DR∴ EQVOR∴	.... NP	GXVII C IN CIRC.	EXIIX CON
III C IN CIRCO	CXIIX C	BXVII C IN CIR∴	..... F VERN. DIES FEST	HXVI C IN CIRC.L.AVG NATAL	FXVII ∴
PR C	DXVII C	CXVI C IN CIRC.∴	 C		..... ∴
EID NP MERCATVS DIES V	EXVI POR NP. FER. PORTVN	DXV NP IN CIRC.∴	 C	AXV C IN CIRC.SOL.IT SAGITT	..... ∴
XVII F	FXV C AEDIS DIVI IVL.DED		..... NP DIVV AVG TOG		..... ∴
XVI C	GXIV VIN F AVGVSTVS EXCESS		..... RILEM SVM	BXIV C MERCATVS	.... ∴
C DIES ALL AR	HXIII C INFER.L.CAESARIS				

summa utique eruditione, sed non ea, quæ que & auctores nationum Hungaricarum, q

in

in ludis Circensibus modo bigas, modo trigas, modo quadrigas certatim agitabant. C. Apulejum Dioclem agitatorem primæ factionis Russatæ exhibet lapis Prænestinus ap. Vulpium: idem, CVRRVM agitasse in factionibus *Albata*, & *Prasina* testantur marmora Gruteri p. 339., & Muratorii p. 321. Scio antiquum Interpretem apud Pitiscum hac appellatione intellexisse Aliptas: ἀλείπτας ἵππων, qui scilicet oleo aurigas, & si opus fuisset equos inungebant. At ille etymologiam sumpsisse videtur ab illis Conditoribus, qui teste Rhodigino lib. 26. quoddam ferculi genus conficiebant, condiebantque. Utcumque sit, vile hoc unctoris aurigarii ministerium L. Avillio haud convenire apertum est, cum ipsemet esset in factione sua Agitator, ejusdemque ut innui fortasse & patronus. Apud Gruterum, HELLETEM SVCCONDITOREM habemus.

GR. Gregis, seu Factionis russatæ; ita apud Mazochium

D M
C. POMPEIO. FVSCENO
CONDITORI FACTIONIS
RVSSATAE. FACTIONVM
PRIMVM
PATRONO. B. M

Grex enim, pro hominum multitudine interdum accipitur. *Grex puerorum*, dicit Seneca: *Grex agit in scena*, Petronius; Terentius denique, *oro ut me in gregem vestrum recipiatis*. Cum vox ista sit masculini generis grammatici indignabuntur, nec parcent quadratario scribenti *gregis russatæ* pro *russati*. Verum subintelligendum *factionis*; quasi diceret conditoris *gregum factionis russatæ*, vel *gregis Agitatorum*, qui aurigant in factione russata. Copulationis utriusque vocis vindicem habeo Svetonium, in Domit. sic alloquentem: *duas Circensibus gregum factiones addidit*:

RVSSATAE. Quatuor in Circensibus erant quadrigariorum factiones: *Prasina*, *Veneta*, *Albata*, & *Russata*, sic a vestium coloribus, quibus Aurigæ induebantur, nuncupatæ; nimirum *viridi*, *cæruleo*, *albo*, *atque rubeo*: hinc Sidonius Carm. xxiii.

——————— *micant colores*
Albus vel venetus, virens rubensque

Russatæ ergo factionis conditorem fuisse L. Avillium, uxor ejus Claudia testatur. His quatuor, duas addidisse Domitianum, idest *purpuream*, & *auratam*, aut, ut alii asserunt, *argenteam*, dudum ex Svetonio didicimus. Quo æstu non plebs dumtaxat, & populus, sed & Imperatores modo unius, modo alterius factionis partes sequerentur, ex historicorum narrationibus plane colligitur. Caligula *prasinæ* factioni ita addictus erat, ut authoribus Dione, atque Svetonio, assidue cœnaret in stabulo: præterea equo, quem *Incitatum* appellabat, equile marmoreum, ac præsepe eburneum instruxit, eique ad prandium vocato, inauratum hordeum apponebat, vinumque in poculis aureis propinabat, pollicebaturque Consulem se renuntiaturum. Nero eidem factioni deditus, prasina veste indutus aurigabat. Vitellius vero *venetæ*, eos qui factioni suæ maledixissent, occidebat. Russata quoque factio fautorem quemdam jactabat adeo insania captum, ut in rogum defuncti ejusdem factionis Aurigæ se conjiceret. Vide insuper quæ de Domitiano, & Vero, diversæ factioni faventibus, a Svetonio, & Capitolino traduntur. Verumtamen populari hoc æstu magis Constantinopolitanos, quam Romanos efferbuisse, Xiphilini, & Zonaræ testimonio probari posset: iste enim in *Justin.* ille in *Vitell.* totam pene Constantinopolim in prasinam, & venetam divisam asserunt. At Cassiodorum audire neminem tædeat. *Stupendum est*, inquit, *quod illic supra cætera spectacula fervor animorum, inconsulta gravitate rapiatur: transit Prasinus, pars populi mœret: præcedit Venetus, & potior turba civitatis affligitur, nihil proficientes, ferventer insultant; nihil patientes, graviter vulnerantur, & ad inanes contentiones sic descenditur, tamquam de statu periclitantis patriæ laboretur*. Hactenus ille in Var. lib. III. ep. 51. Nemo tamen insanam hanc Constantinopolitanorum consecrationem uberius descripsit S. Joanne Chry-

Chryſoſtomo, cujus orationem *de Circo*, maximo cum animi oblectamento non ſemel perlegi; quare nil miror Imperatores deinceps hac oratione permotos, Circenſes, Dominicis, aliiſque feſtis diebus ſevere vetuiſſe.

Quod vero ad Agitatores ſive Aurigas, qui & Agaſones quodammodo vocabantur, attinet, an olim fuiſſent infames, perquirunt Bulengerus in opuſc. *de Circo*, & Jo. Lamius *de erud. Apoſtol.* cap.v. §. 2. Porro Theophilus, Xiphilinus, Tertullianus, aurigas infames dicunt. Quidam Eliam faciunt aurigam, uti videre eſt apud authorem libri de ſpectaculis inter S. Cypriani opera: aſt Eliam cum aurigis circenſibus conferre, quam ridiculum, & abſurdum nemo non videt. Alii Philippum Apoſtolum aurigationem exercuiſſe affirmant, ſed una dumtaxat, eaque parvi facienda authoritate freti; nimirum Indiculi nominum Apoſtolorum, quem ex MSS. Chriſtianiſſimi Regis ſumpſit Cotelerius. Quod autem de Diacono iſto Philippo, cum Candacis eunucho ſedente adducunt, nihil refert; nam ex eo quod Philippus eunuchi Candacis reginæ currum aſcenderit (quem utique haud aſcendiſſet, ſi pro famoſis habuiſſet aurigas) deduci nequit eunuchum ipſum Agitatorem fuiſſe, aut Aurigam. Revera noſtris etiam temporibus, Romæ potiſſimum, Viri nobiliſſimi equos agitare, & birota ciſiaque ducere ſolent, nec tamen ſunt Aurigæ, aut Ciſiarii; aliud namque eſt aurigarum artem ad animi ſolatium imitari, aliud ex profeſſo, atque ob mercedem exercere, curribuſque ſpectante populo in ludis certare, quod ſane non fecerunt nec Propheta, nec Apoſtolus, nec Eunuchus, neque Picus, quem Virgilius lib.7. *Equorum domitorem* vocavit, neque Heroes illi Homerici *Automedon* Achillis, *Medeon* Pilæmenis, *Molion* Tymbræi, *Cobrion* Hectoris aurigæ, qui efferveſcente bello Trojano aurigabant, & aurigando pugnabant. Porro aurigæ *inhoneſtæ perſonæ* dicuntur in C. l. 11. tit.40. l.4. Immo & *Quadruplatores* ab Ammiano Marcellino. Ulpianus tamen lib.4.ff.de iis qui infam.not. *Agitatores*, inquit, *non ſunt inter famoſos enumerandi*. Notum eſt inſuper non ſtultos improboſque tantum Caligulam, Neronem, Vitellium, Domitianum, quadrigas in Circo agitaſſe, ſed teſte Pædiano honeſtos etiam homines. Prælaudatus tandem Svetonius in Aug. cap.43. *In circo*, ait, *aurigas curſoreſque, & confectores ferarum, & nonnunquam ex nobiliſſima juventute produxit*. Si igitur Agitatores pro infamibus Auguſtus habuiſſet, quis unquam credat bene moratum Imperatorem, tantam nobiliſſimis adoleſcentibus ignominiam inurere excogitaſſe? Hac attenta inter ſcriptores diſcrepantia, cenſeo neminem ex iis, qui in circo agerent famoſum fuiſſe ob artem quam oſtentaret, ſed pleroſque propter nequitiam, morumque licentiam dignos ignominiam pati; hinc neque dicendum aurigandi magiſterium (etiamſi a nequiſſimis hominibus profeſſum) infame fuiſſe; neque negandum aurigarum artem, ut plurimum, viles ſceleſtoſque homines exercuiſſe; quod ætate hac quoque noſtra contingit.

At heic non pauca perinde de aurigis retuli, ac ſi indubitatum foret L. Avillium de grege fuiſſe aurigatorum, quod tamen incertum. Etenim cum in medio cippi, pueri, inter duos equos ſtantis, figura inſculpta ſit, nullo, bigam, aut quadrigam indicante, appoſito ſigno, Avillium noſtrum inter Deſultores recenſere nil vetat; inter illos videlicet, qui in circenſibus, duos equos abſque ephippiis, moderabantur, ac ex altero in alterum deſultabant. Virum quemdam, hoc pacto mira agilitate deſultantem, hoc ipſo anno Romæ ſpectavimus. Verum antiqui Deſultoris, non duos tantummodo, ſed quatuor agitantis equos figuram heic, aucto tamen modulo ex Leonardi Auguſtini gemmis depromptam, accipe

Huic



Huic apte quadrare videntur Homeri carmina lib. xv., latine sic nitidissime reddita a jampluries, (sed nunquam satis) commendato Raym. Cunichio

Ac veluti quondam doctus Desultor, ut omni
Quatuor e numero præstantes corpore pulchro
Legit equos, campo admissos dehinc pellit ad urbem,
Ampla volans qua strata viæ se publica tendunt;
Mirantur dextra, & læva matresque virique
Spectaclum attoniti; celer ille huc transilit, atque huc,
Mutatoque sedet dorso imperterritus.

Præterea duo tantum equi, ideſt *Aquilo*, & *Hirpinus*, qui in lapide nominantur, Avillium professione Desultorem potius, quam Aurigam aliquomodo testantur. Ut ut res sit, certe L. Avillius aut aurigando, aut desultando duobus *his equis*, Aquilone, & Hirpino, præmia quamplurima tulit, ideſt CCCCLXI. Ita in lapide Fabrettiano cap. IV. pag. 276. Pub. Ælius &c. EQVIS HIS VICI IN FACTIONE VENETA.

AQVILONI AQVILONIS. Sic haud dubie in cippo musei Capitolini, cujus inscriptionem nemo hactenus, ut innui, emendatam vulgavit. Hujusce igitur, emendatissime nunc editæ, interpretationem hanc censeo. AQVILONI, alterius, ejusdem nominis Equi filio: is in ludis Circensibus cursus velocitate cæteros superavit equos, vicitque (L. Avillio moderatore) primo ter decies supra centies; secundo præmia, nimirum palmas, aut coronas tulit octo supra octoginta; tertio triginta & septem. Hinc *Aquilo* merito vocatus, ventorum vehementissimus (qui & Boreas) a rapidissimo Aquilæ volatu sic dictus. Ovidius in Metam. lib. I.

Nubila disjecit, nimbisque Aquilone remotis,
Et cœlo terras ostendit, & æthera terris.

& Horatius Carm. lib. I.
Flebis in solo levis angiportu
Thracio bacchante magis sub inter
lunia vento.

Quidam dativum perinde respuunt, ac si necessario scribendum foret AQVILONI &c. *qui* vicit &c. Verum innumera extant saxa in quibus a nominibus, etsi tertio casu positis, abest relativum *qui*. Inter nostra T. STATILIO APRO &c. VIXIT: (ita passim in sepulcralibus) IVLIO SEIO &c. MILITAVIT &c. & apud Reinesium NEBRIDI CONIVGI &c. FVIT ANNORVM &c. Ad respuendum igitur tertium casum me potius duceret alterius equi nomen, recto inscriptum, hoc eſt

eſt HIRPINVS. Quare libenter legerem *Aquilo*, & per illud quod ſupereſt, equi colorem indicari cenſerem, videlicet *nigrum Kæſium*; namque elementum I haſtas quaſdam primo, quibus formaretur K, retinuiſſe, pro certo habeo.

HIRPINVS. Victoris noſtri Aquilonis filius, alterius Aquilonis nepos *vicit* primo quater, & decies; ſecundo tulit præmia ſex ſupra quinquaginta; tertio, ſex ſupra triginta. In aliis legitur

VICI . VICI PRAEMIA
VICI PRAEMIA MAIORA
MILLE PALMAS COMPLEVI

Præmia, ideſt palmas, coronas, veſtes, tripodes, argenteas phialas, vaſa, aliaque ſimilia, priuſquam curſum inirent, in carceribus, aut in medio circi exponebant, quod innuit Virgilius lib.

Munera principio ante oculos, circoque locantur
In medio, ſacri tripodes, virideſque coronæ,
Et palmæ, pretium victoribus.

at diu ante Virgilium, Homerus, qui (eodem diſertiſſimo Cunichio interprete) hæc habet lib.xxiii. 337.

Principio rapidis præſtantia munera ponit
Aurigis. Primo captivam ducere forma
Inſignem, atque operum doctam; latumque tumentemque,
Inſtructumque anſis tripodem: tum deinde ſecundo
Ponit equam, indomitæ cui ſextus fluxerat annus,
Quæque notham gravida prolem geſtabat in alvo.
Eximium ſtatuit dehinc, tertia dona, lebetem
Intactumque igni, niveo, & candore nitentem.
Quarto auri ponit duo magna talenta; recentem
At phialam quinto duplicem. Tum ſurgit, Achivum
Et medius placido, tales dat pectore voces:
Atridæ, Grajique omnes, Mavortia pubes,
Hæc Circo ſtant in viridi jam dona, manentque
Aurigas.

Equum alterum, *Hirpinum* pariter denominatum, celebrat tabula Muratoriana p.624. Equis nomina imponere, antiquiſſimi moris eſſe conſtat ex Poetis; nam præter *Pegaſum* muſis ſacrum, quem omnes fere vates prædicant, Homerus in Iliade laudat *Ariona* Adraſti, *Podargum*, & *Æthen* Menelai, *Pedaſon*, *Bailum*, *Xanthum* aliorum Ducum equos. Pauſanias inſuper *Achilleum*, *Specioſum*, *Sidereum*, *Dignum*, *Phœnicem*, *Coracem*, *Cneciam*, & *Samum* equos, qui in Olympicis præmia retulerunt, nominat lib. vi. Virgilius *Rebum* Maxentii lib. x. & *Cyllarum* Pollucis in Georg. lib. iii. *Phoſphorum* Auguſti, Auſonius. *Incitatum* Caligulæ, Svetonius: *Bucephalum* Alexandri, Q. Curtius. *Corporum*, Muratorii lapis; *Cretum*, Vignolius, qui hunc ad eumdem ſpectantem lapillum exhibet



Phoſphori Auguſti equi epitaphium habemus apud Auſonium xxxv. hujuſmodi

Phoſphore, clamoſi ſpacioſa per æquora Circi
Septenas ſolitus victor obire vias:
Improperanter agens primos a carcere curſus,
Fortis prægreſſis, ut potereris equis.
Promptum, & veloces erat anticipare quadrigas;
Victores etiam vincere, laus potior.
Hunc titulum vani ſolatia ſume ſepulchri,
Et gradere Elyſios præpes ad alipedes.
Pegaſus hinc dexter currat tibi, lævus Arion
Funis & ad quartum det tibi Caſtor equum.

In

In *Borysthenem* suum, tale edidisse epigramma Hadrianum innuit Dio, idemque vulgarunt Casaubonus, & Salmasius

Borysthenes Alanus
Cæsaræus veredus
Per æquor, & paludes,
Et tumulos Etruscos
Volare qui solebat
Pannonius, nec ullus
Apros eum insequentem
Dente aper albicanti
Ausus fuit nocere,
Vel eximiam saliva
Sparsit ab ore caudam
Ut solet evenire:
Sed integer juventa
Inviolatus artus,
Die sua peremptus
Hoc situs est in agro

Equorum tandem nomina quamplurima in laudata Muratorii tabula reperies; item apud Fabrettum pag. 277. qui tamen nummum Sebastiani Fœschii, in quo

TO XX
OTES

legitur, perperam explicavit TOXXOTES, pro TOOTES XX, idest *Tootes vicies* vicit, aut *viginti* præmia tulit.

HIRPINVS. N. Sigla N. equi colorem designat. Equorum namque colores sequentibus notis indicatos exhibet lapis Gruteri pag. 341. Panvinii commentariolo enucleatus, nimirum

ALB.	albus.
B.	badius.
BK.	badius kæsius.
CIN.	cinereus
GIL.	gilvus.
K.	kæsius.
M.	maurus.
MP.	maurus pullus.
MR.	maurus rufus.
N.	niger.
NB.	niger badius.
NK.	niger kæsius.
R.	rufus.
RK.	rufus kæsius.

Ex pluribus Symmachi epistolis a Jureto illustratis colligitur celebriores equos circenses, seu curules, qui primo erant Tusci, deinceps Hispanos fuisse. *Ad Hispanias misimus*, inquit lib. IX. Ep. 18., *quibus equorum curulium mandavimus emptionem*: & Ep. 20. *missurus igitur ad Hispanias meorum aliquos, qui curules quadrigas ex omni gregum nobilitate mercarentur*. At de hoc insigni marmore satis. Qui his delectatur Panvinium, & Bulengerum fuse de Circensibus pertractantes adeat, expetentibus vero Auctorem, de eodem argumento diligentius, luculentiusque differentem, abunde satisfiet eruditissimus Ludovicus Bianconi Saxonici Electoris Consiliarii, atque ad PIUM VI. P. M. Legatus, qui de Circensibus, deque Circo, ac præsertim de *Antoniniano*, opusculum, propediem est editurus. Advertendum denique litteras, quæ rubeo colore oblitæ in istius epigraphes autographo deprehenduntur, sic fuisse (a quo nescio) multis jam abhinc annis deturpatas.

358.

FAVSTO . C........................
SEXT................................COS
L . CORNELIVS . A . F . FA...VPILLVS
VT CVM . M IVNIVS
SILANI . L . MONIMVS . EX
ORDINE . SIT . NOSTRO . ET
VTILIS . REI . PVBLICAE
ET . AMATOR . MVNICIPI
MVNERAQVE . ELIVS
MVNICIPIO . CONSPICIAMVS
CENSEOLOCVM . QVI . EST . EXTRA
PORTAM . MEDIANAM . AB
EO . LOCO . IN . QVO . SCHOLA
FVIT . LONG . P . LXVII . AD
RIVOM . AQVAE . ALBANAE . ET
A . VIA . INTROSVS . IN QVO . ANTEA
COLVMNAR . PVBLICVM
FVIT . LAT . P . X . HONORIS . CAVSSA
M . IVNIO . SILANI . L
MONIMO POSTERIS QVEIVS . DARI
TVMVNIVERSICVM . M . IVNIVS
SILANI . L . MONIMVSITARAET
MVNICIPIVM . ET . REIP . SIT
VTILIS . ET . MVNIFICVS
ADMVNERA . ORNATVS
MVNICIPI . FACENDO
LOCVM . QVI . EST EXTRA
PORTAM . MEDIANAM
IN QVO . COLVMNAR . FVIT
AB . EO . LOCO . IN QVO
SCHOLA . FVIT . LONG . P . LXVII
AD . RIVOM . AQVAE
ALBANAE . LATVM
A VIA . PVBLICA . IN
AGRVM . P . X . M . IVNIO
SILANI . L . MONIMO
POSTERISQVE . EIVS
HONORIS . CAVSSA
DARI CENSVERVNT
IN . DECVRIONIBVS . FVERVNT . XXVI

Pſe-

Pſephiſmatum autogragha eodem in loco ſive urbe, ſive municipio ſervabantur, in quo Civibus de patria benemeritis decurionum decreto traderentur. Hinc nulla urbis, aut municipii nominandi neceſſitas. Fabricius alterum refert marmor, in quo Municipii nomen, ut in noſtro ſupprimitur

M. VINITIO P. F
POST. MORTEM. MVNICIPES
SVI, AERE, CONLATO. PIE
TATIS. CAVSSA. POSVERVNT

Sic in iſto, nomen municipii (cujus Decuriones M. Junium Monimum agri publici loco honorarunt) omnino deſideratur. Propterea cur Vulpius inſcriptionem hanc, nullo tamen allato ſententiæ ſuæ vindice, ad Bovillenſes retulerit, ignoro. Quare non potius ad Ferentinates? Ferentinum oppidum, nunc ut plerique aſſerunt *Marino*, ad radices extitiſſe Albani montis nemo diffitetur: Ibi caput aquæ Ferentinæ, ſive rivum aquæ Albanæ Kircherius, aliique, immo ipſemet Vulpius collocare minime dubitarunt. Ibi repertum marmor hoc noſtrum, in vinea ſcilicet tunc *Bevilacqua*, Marino proxima, immo ſub Marino ſita Fabrettus affirmat. Bovillis vero rivum ab aqua Albana denominatum fluxiſſe ullum, nemo tradit. Ferentinum autem, municipium fuiſſe, mihi credibile, Holſtenio certum, Curiam immo Romanorum, non ſemel ex Liviana hiſtoria colligitur: præclariſſimum certe oppidum fuiſſe, multumque a Romanis excultum, inſignia ibidem eruta monumenta teſtantur, opus illud præſertim Archelai, in agro Marinenſe effoſſum circa annum 1655, Homeri ἀποθέωσιν referens, atque a laudato Kircherio pervulgatum.

FAVSTO. Fauſto Cornelio Sulla, Sextidio (vel *Sexteidio* Catullino Coſſ. Ann. Urbis 784. Ch. 31. Conſules ordinarii fuere

CL. TIB. NERO CAESAR AVG V

(non III. ut Petavius ſcribit) &

AELIVS SEIANVS

uſque ad VII. idus Maii: his ſuffecti ſunt

FAVSTVS CORNELIVS SVLLA
SEXTIDIVS CATVLLINVS

Panvinius, & ex Panvinio Petavius ſuffectos dicunt C. Memmium Regulum & Fulcinium Tironem; at in lapide Gruteriano p. 1087. perſpicue

TI. CAESAR AVG. V̄. COS
SVF. VII. ID. MAI. FAVSTVS CORNELIVS SVLLA
SEXTEIDIVS CATVLLINVS

Male ergo Fabrettus ſcripſit cap. VI. pag. 463. SEX. T. minuſque recte a clariſſ. Stampa (cui fruſtra ſuffragatur Muratorius) nomen *Sextidii*, aut *Sexteidii*, in *Sextum Tidium* vertitur.

L. CORNELIVS. Nimirum L. *Cornelius* *Fa.*. (ex tribu Fabia) *Upillus*, vel *Upillius*, *decurionum* incogniti *Municipii* nomine, locum agri publici longum pedes LXVII. latum pedes X. donat M. Junio Monimo, Silani liberto, illius forte Silani, quem, Svetonio teſte, Caligula *ad necem, ſecandaſque novacula fauces compulit*.

CONSPICIAMVS. *Conſideremus*. Ita Cicero pro Mur. *Debes*, M. *Cato*, *conſpicere quibus vitiis affectum eſſe neceſſe ſit eum, cui vere illud obiici poſſit*. Hinc *vir conſpiciendus*, eſt vir *inſignis*; dignus qui *conſpiciatur*.

CENSEO. *Authoritas* erat penes Magiſtratum, *poteſtas* in populo, ut docet Cicero de leg. lib. 2. cap. 12. ideoque Magiſtratus *cenſere*, populi *jubere*, plebis vero *ſciſcere* proprium erat: *bellum Samniticum*, ait Livius lib. X., *& cenſuere Patres, & Populus juſſit*. Ita Sulpicius conſul, populum concione advocata alloquens: *quæ*, dixit, *Patres cenſuerunt, vos jubete*.

EXTRA. Lex igitur XII. tabularum IN VRBE NE SEPELITO, non Romæ dumtaxat, ſed & in Municipiis agebatur.

SCHOLA. In hac inſcriptione *Schola* cum H. In alia quam retuli Tom. I. num. 140. SCOLA ſine adſpiratione. De Scholis vid. quæ ibid. dixi.

RIVOM. *Rivum*: O pro V. ita paſſim in vetuſtioribus Saxis, *jocondus*, *ſalvom*, *cuom*, *voltis*, *ſonto*, *flovium*, *iniquom*, *maritom*, *ſuom*, & in inſcriptione L. Cornelii Scipionis, a Sirmondo illuſtrata, *Honc*, *Ploiromve*, *Conſentiont*, *Luciom*, *Conſol &c.* non exoticam barbariem, ſed Romanam vetuſtatem redolentia verba.

AQVE ALBANAE. Rivum aquæ Albanæ vidit Holſtenius in hortis Joannis Columnæ apud Marinum oppidum: aquæ ſcilicet Albani lacus, *ex quo* inquit Dionyſius lib. 1. *reductis clauſtris in ſubjectos campos diſpenſatur aqua collicibus, arbitratu agreſtium*, nempe per Emiſſarium ſive ductum ſubterraneum, qui, perforato monte in ſuburbano Albani oppidi exitum ſortitus ad volvendos molares lapides, vulgo *le Mole*, e tenebris emergit, atque ex hinc ad aquas Salvias feſtinans, Tiberi paulo poſt miſcetur. At de mirifico Albani lacus emiſſario Holſtenium, Kircherium, Vulpium, Piraneſium, quemcumque adi ſcriptorem, qui de agro Romano ſermonem habuerit.

INTROSVS. *Introrſus*, quod in Agrum ſignificat: apud Grut. p. 874. INTRORVRSVS.

COLVMNAR. Locus columnis ornatus, ſeu porticus. Apud Apulejum Florid. lib. 3. *Columnatio*: nos vulgo *Colonnato*, ſive *locus extra portam Medianam, ubi marmora Albana conficiendis columnis exciderentur*. Albanas quippe columnas in pretio apud Romanos fuiſſe innuit Svetonius, qui in Aug. cap. 72. Hortenſium ædes in Palatino columnis Albanis exornatas habuiſſe tradit. Has ſane interpretationes Vulpiana rectiores crediderim. Vulpius enim rebatur legi poſſe *columbar*, aſſerebatque vocabulum hoc a Plauto pro *carcere* uſurpari. At primo, in autographo bis COLVMNAR, nitidiſſimis inſculptum litteris legitur. Secundo, carceres extra Municipiorum portas, in agris unquam extitiſſe aperte diffiteor. Tertio demum falſo Columbarii vocabulo Plautum publicos enunciaſſe carceres aſſeritur: ſiquidem ubi Plautus (ideſt in Rud. Act. III. Sc. 6.) ſcribit

Nam in columbari collum haud multo poſt erit.
In nervom ille hodie nidamenta congeret.

non carcerem, ſed quoddam vinculi genus innuit, quo colla reorum, cum in jus traherentur, obſtringebant: alias, ut docet Turnebus, *Collarium*.

ITARAET. Fabrettus male ſcribit IN ARA ET, quod tamen majorem non affert lucem.

FACENDO. Sic in autographo: ſed lege *facienda*, ideſt *ornatus ad facienda* munera Municipii, nempe *perficienda*, *explenda*.

IN DECVRIONIBVS. Ideſt *decuriones qui locum dari* M. Junio Monimo cenſuerunt, *fuere* num. XXVI.

359.

NATALIS AVGVST.
DISPLICINANVS

360.

FVSCO . ANTONIAE CAE.·.DIS
IMM
ANTONIAE ALBANAE DEC

DISPLICINANVS, *Diſpenſator Licinianus*: ideſt *Natalis Auguſti* libertus *Licinianus*, a Licinio, quem *Dominum* habuerat antequam in Auguſti libertorum numerum adſcriberetur. Derivativa hæc nomina frequentiſſime in noſtris inſcriptionibus occurrunt. Manumiſſos, nomina priorum Patronorum ſibi adſciviſſe aſſerit Carolus Patinus ad Aureliæ Try-

Tryphenæ inſcriptionem: ita ab Ælio *Ælianos*, a Cornelio *Cornelianos*, a Mœcenate *Mœcenationes*, a Caſcellio *Caſcellianos* cognominatos ſæpe libertos invenimus. Hanc tamen Patini aſſertionem impugnat Fabrettus p.319. ſed immerito: nam præter Natalem noſtrum, Auguſti libertum, qui Licinii nomen (in cognomen tamen immutatum) retinuit, libertos, nomine patronorum cognominatos, crebro antiqui lapides exhibent. Itaque rectam Patini ſententiam a præcipiti Fabretti cenſura (ſi quid video) vindicandam cenſeo.

DISP. De diſpenſatoribus alibi egimus. Hic tantum addendum præter domeſticos Auguſtorum diſpenſatores, alios fuiſſe, nempe Caſtrorum, Annonæ, Provinciæ Lugdunenſis, Capitolii, Ludi magni, Fiſci frumentarii, ſummi Choragii, quorum in ſaxis eſt mentio.

Gorius excogitavit ſecundum N, in LICINANVS, monogrammate *N* ſcriptum fuiſſe, ut pro N & I inſerviret: aſt ſi quo monogrammate ad exprimendum NI uti quadratarius ſtatuiſſet, non ſecundo loco inter N & V, ſed primo inter N & A ſculptum repeiriretur. Blanchinius vero, ut alibi notavimus, hunc Natalem, *Diſplicinii* ſervum facit, quod profecto non affirmaſſet, ſi a quadratario non fuiſſet omiſſa interpunctio inter DISP & LICINANVS.

CAE::DIS. Blanchinius legit CABADIS: ſed CAE, ut in autographo, non enunciat *Cabidis* nomen.

DEC. Feminarum decurionatus non ſemel in ſaxis reperitur: ſic in ſequenti Pontia Tyrannis, DECVRIO dicitur.

361.

ANTIGONO
LIVIAE . L

PONTIAE
TYRANNIDI
DECVRIONI

Perſpicuum eſt igitur nonnullas fuiſſe domus Auguſtæ libertas, quibus conlibertæ, in decurias diſpertitæ, obtemperabant. Fœminas ſane a virorum arbitrio pendere minime decebat; potiſſimum quod homines, ut plurimum, venuſtis feminis blandiantur, turpes vero aſpernant. Adi ſi vacat anonymum Authorem Hyppolyti redivivi.

362.

ACTIO
AVG
A REGVRB
IMM . HON

PLAETORIAE
PRISCAE
ACTI.DEC

363.

PROTHIMO HONOR
ET.VALENTINAE . L.

364.

PONTICO
E CAESARIS
A . REGION
DEC

365.

PHILODAMO
CAESARIS
A . REG . VRB
DEC

::IGO-

366.

⁝ IGONVS
⁝ NIAE.L.
⁝ TONIAN
DEC

367.

TI.CLAVDIO
AVG L. MEROPI
PROCVRATORI
A REGIONIBVS. VRB

362. ACTIO. Certe tertio casu; nam sicut genitivus est ACTI, nempe ACTII, ut liquet ex alterius laterculi titulo, ita nominativus est ACTIVS, & sic dat. ACTIO.

A REG. VRB. *A regionibus urbis*: quæ enim per compendiarias notas scripta videntur, numero 367. integra scriptura exprimuntur. Qui *a ragionibus* dicebantur, XIIII. regiones, in quas ab Augusto tota divisa est urbs, tuebantur annuatim, atque curabant. His obtemperasse illos opinor, qui in quadam basi (Hadriano, a colonia Ostiensi dicata, atque a Grutero communi facta) vocantur vicorum, atque regionum curatores, denunciatores, & magistri. Ex secundo laterculo ad Pletoriam Priscam, Actii uxorem spectante, colligitur eumdem Actium decurionatum gessisse.

IMM. HON. *Immunis honoratus*. Tam de *Immunibus*, quam de *Honoratis* alibi tractavimus: qui nova, atque eruditiora cupiunt, Gorium adeant in commentariis ad Columb. Liviæ p. 118. Horatii enim versus

> —— *Sapiens uno minor est Jove, dives Liber, HONORATVS, pulcher, Rex, denique regum*

quem laudat Salvinius ap. eumdem Gorium, nihil ad rem facit. Revera, quid Stoicorum SAPIENS ab Horatio conceptus, cum Immunibus *honoratis*, de quibus est sermo in nostris libertorum lapidibus?

365. PHILODAMI. Libertorum nomina græcis latinisque vocabulis compacta non semel observavi, ut heic in Philodamo, nam φιλω græca vox est: *damus* vero, latina, fœneratorem significans. Sed advertendum *Damium* quoque seu *Damosium*, sacrificium fuisse, Bonæ Deæ (quæ & Damia cognominata est) in domo Cæsaris pro salute populi celebratum. Hinc Bonæ sacerdos, *Damiatrix* apud Panvinium de *Civ. Rom.* p. 145.

366. ::IGONVS. *Antigonus Antoniæ libertus Antonianus*. Gorius exscripsit ::VIAE. L pro ::NIAE. L; hinc Antigonum ex Antoniæ Drusi ædibus, in domum Liviæ Augusti transtulit. Restituatur ergo Antoniæ, nempe Antoniæ M. Antonii triumviri. Octaviæque Augusti sororis filiæ, ac Drusi uxori, omniumque virtutum fœminæ, quæ orbata marito, atque a secundis nuptiis abhorrens, cum Livia socru cubabat.

367. MEROPI. Merops nuncupabatur quidam gigas, ex iis qui Jovi bellum indixerunt, a quo cos, *insulam Meropis* appellatam ferunt. Nomen est etiam cujusdam avis apud Ælianum, & Plinium. Homines demum varias loquentes linguas, vel varios habentes vultus, *Meropes* ab Homero vocari Salvinius docet.

PROCVRATORI. Quomodo Gorius sciverit Tiberium Claudium Meropem, Procuratoris munus gessisse potius regnante Tiberio, quam imperatore Augusto, libenter audirem: mihi vero incertum; sigla enim AVG, non indicat magis Tiberium, quam Augustum; quo imperante, Meropem vixisse, ex eo liquet, quod ejusdem urna in Liviano columbario reperta sit.

PA-

368.

PARAMONVS . L . PTOL
DECVR
IVLIA STRATO PARAMON::

369.

ROMVLO COTTIE
DEC . ABBAS NICE
CANTI ROMVLVS
FRATRI DEC

370.

M . LIVIVS SILVANVS DECVR
THYMELE . SILVANI

371.

M . ANTONI ANTONIAE
ISMARI THYMELE
DEC DEC

372.

IVLIAE . TI IVLI.·.
HALINE IANVAR
DEC
C . IVLIO AV:::

373.

∴S . TERTI . L . NICEPHOR . DEC
∴∴APIAE . TERTI . L . CONIVGI
∴∴NEMERENTI
∵AM

374.

M . IVLII :::IIVI:::
RECEPTI . DEC

375.

HYMENAEI . CAESARIS
AVG . IMMVNIS . ET
BAEBIAE . PROCVLAE . CONIVGIS
PIISSIMAE

376.

TI . IVLIVS
MAMA
DECVRIO

377.

C . IVLIVS . CRESCES
DEC . DAT . OLL
C . IVLIO EROTI

378.

.·.·.LITTo LIVIAE . L . DEC.·.·.
DAT . MACARIAE . LIVIAE.·.·
L . CONIVGI . SVAE . PIAE.·.·.

379.

METRODORVS . L . DEC
SIBI . ET
QVINTIAE . CONIVGI . SVAE

380.

.·..AVDI . FESTI
.·.MMVNIS . ET
PONTI . FESTI . F
IMMVNIS

381.

ILARVS . LIVIAE . L .
CORNELIANVS . DEC

382.

.·.·.IVSTIMOTHEVS
.·.·.TLAMPADI . LIB . DEC .
.·.·.CTETI

383.

ALTES . LIVIAE . LIB.
DEC.DAT.LIVIAE.ELEVTHERIDI SORORI ET
LIVIAE . CERIALI . FIL . EIVS . OLL . I
C . IVLIO . AVGVSTI . L . THOANTI . FRATRI
OLLAM . I

384.

C . IVLIO . DIO . L . DEC

385.

TI . CLAVDIO
AVG . L
CALLISTO
DEC

386.

XENIAE
CAESARIS LIB
DEC

387.

STRATONICE
HYLAES

388.

HYLA
CALLISTI
DEC

389.

389.

M . LIVIVS . M . L HILARVS
IMMVNIS . ET
LIVIAE PROPOSI . CONIVGI SVAE

368. PARAMONVS. A *permanentia* quis dictus: sic *Paramona*, constans permansio; hinc apud Balsamonem *Paramonarius* est *monasterii administer*.

PTOL. *Ptolemæjanus*; cognomen a prioris domini nomine derivatum.

STRATO. *Implenda marmoris lacuna*, inquit heic cl. Gorius, *ut dicat Stratonice*: immo removenda a Goriano exemplari lacuna, de qua in autographo ne indicium quidem: neque dicendum Juliæ cognomen per compendiarias notas insculptum fuisse, ideoque supplendum; nam inter STRATO & PARAMONI nulla extat interpunctio, nullumque novis litteris spatium suppetit. Cæterum, in interpretandis marmoribus, cognomina, quamvis nova, & inusitata ad libitum immutare, nemini licet, nisi supplementi necessitas ex ipso marmore evidenter emerserit. Litteras insuper hujus tituli minio pictas admiratur Gorius; putabat enim sic minio oblitas ab urnarum titulorumque columbarii collectoribus fuisse repertas, quod haud credam; primo quia de hoc ne verbum quidem Blanchinius qui Livianum sepulchretum summa diligentia descripsit, quique si quem inspexisset titulum sic coloratum, silentio procul dubio non preteriisset. Secundo quia litteras monumentorum sepulchralium pingere moris fuit Christianorum, Paganorum vero aut nunquam, aut perraro, uti videre est apud Bosium, Aringhium, Boldettum, & perspicuius ap. Ant. Lupi in Epit. S. Sev. §. VII. p. 38. Tertio demum quia compertum est, litteras in Ethnicorum monumentis sculptas minio fœdare, barbarum esse ineptumque recentiorum inventum, quod hisce diebus, frustra reclamantibus venerandæ antiquitatis cultoribus, atque patronis, imitantur nonnulli, qui antiquos lapides non tumultuarie tantum, verum etiam modo nigris, modo rubeis tincturis deturpatos huc illuc collocant. Sed hæc obiter, nec animo aliquem exacerbandi.

Blanchinius, in tertia istius inscriptionis linea, omittit PARAMONI.

371. ISMARVS. Sic etiam appellatur mons quidam Thraciæ, quem frequentasse fertur Orpheus. Virgilius in Ecl. 6.

Nec tantum Rhodope miratur & Ismarus Orphea.

THYMELE. Varie interpretantur: nam θυμέλη significat theatri partem ubi histriones, teste Philandro in Vitruv. lib. v. suas actiones perficiunt; significat aliquando pulpitum, seu aram theatri. Ita Thymelicum choragium (apud Apulejum *in apol.*) est apparatus scenicus. Thymelici vero sunt apud Suidam, qui personati artem ostentant; θυμέλη enim erat locus editior, ubi actores saltabant; hinc thymelica saltatio, quam forte invenit Latini mimi uxor Thymele, cujus actione mimica plurimum fertur delectatus Domitianus. Juvenalis Sat. 1.

—— quem Massa timet, quem munere palpat
Carus, & a trepido Thymele submissa Latino.

& Sidonius Apollinaris lib. IX. ep. 13.

Bimari remittat urbe
Thymelen, Palenque doctas
Tepidas ad officinas
Citharistrias Corinthus,
Digiti quibus canentes
Pariter sonante lingua,
Vice pectinis fatigent
Animata fila pulsu.

Male

Male Blanchinius THIMEIE cum I latino post H, pro *Thimele* cum græca vocali.

370. HALINE. *Halinon* genus est amygdalæ. HALINI CONLIBERTAE ollam datam lego ap. Muratorium pag.713. & nuperrime non longe ab oppido vulgo *Genzano*, olim *Cynthianum*, saxum inveni in quo

Q. AVONIVS
Q. LIBELLO
AMPIA A. L. IIALINE

ubi notandum I I pro H; quod in vetustis marmoribus non semel occurrit.

373. NICEPHOR. *Nicephorus*; qui victoriam tulit triumphans: Blanchinius NICEPHORI, pro NICEPHOR, sed perperam: nam tunc legeretur *Julius* e. g. *Nicephori*, quod Prisciani ferula dignum esset. Vera igitur ac trita lectio hæc est. *JuliuS Nicephor*, aut *Nicephorus Tertii libertus*. Idem Columbarii illustrator, OLYMPIAE scripsit pro :::APIAE, ex quibus notis, Olympiæ nomen emanare nequit.

374. IIVI. Notæ istæ in Goriano exemplari desunt.

377. CRESCES. *Crescens*.

378. :::LITTO. Forte LISTO, idest *Callisto*. Laudati viri, haud inspecta marmoris fractura, putarunt heic Decurionis nomen perfectum haberi.

MACARIAE. *Macarius*, beatus: unde Cyprus insula, *Macaria* ob felicitatem dicta est. DAT. nempe *ollam*.

379. METRODORVS. *Matris Deum*, interprete Salvinio, *munere datus*. Nomen est celeberrimi Philosophi; ex iis tamen, qui in sinu philosophiæ Epicuri, ut ait Seneca in epist.21. ad Lucilium, quærebant libidinibus suis velamentum aliquod. Perpulcra, vetustissimaque Metrodori herma extat in mus. Capitol.

380. ::AVDI. *Claudii*. in Blanchinii exemplo deest F. *filii*.

381. ILARVS. *Hilarus*, aut *Hilarius*. Nomen tamen illud absque adspiratione, græca consuetudine inscriptum non semel notavi. Reperitur etiam Hiberus, & *Iberus*, Hannibal, & *Annibal*, Hadrianus, & *Adrianus*. Hunc titulum bis in eadem collectione retulit Gorius, bis, sequentem, Blanchinius: quare? nescio.

382. TIMOTHEVS. Seu *Deum colens*, *honorans*.

383. ALTES. Blanchinio nomen est *libertæ*: Gorio (quem sequor *liberti*). Quippe Ephialtes nomen est maris, quod interpretatur *incubus*; nimirum dæmon incubus, qui ut Macrobius dixit, quiescentes invadit, & pondere suo pressos ac sentientes gravat; idem ac nocturna in somnis suffocatio: Hyphialtes vero *succubus* apud Gyraldum syntagm. 15. Eruditos sane non latet celeberrimum illud inter Grammaticos dissidium; utrum scilicet nomina propria in ES productum desinentia, masculina sint, an feminina. Ast quamvis Prisciani sectatores, plurima virorum propria nomina in ES desinentia, attulerint, ut *Achilles*, *Ulysses*, *Verres*, *Chremes*, aliaque his similia; tamen, qui a Priscianistis dissentiunt, totidem feminarum, ejusdem terminationis nomina, masculinis objiciunt, ut *Ceres*, *Agnes*, *Hermiones*, *Aphrodites*: his adde *Chrestes*, *Irenes*, *Leopardes*, *Chryses*, *Spes*, *Joniches*, quæ inter nomina feminina recensentur a Th. Reinesio Cl. xx, aliisque.

ELEVTHERIDI: *liberæ*: sic *eleutheriastiцus*, qui amat libere agere, & *eleutherius* dicitur fons, e quo Argis, servi libertate potiti, bibebant.

CERIALI. A Cerere, ut *ceriales*, & *cereales* ludi, in quibus matronæ Cereris luctum ob raptam Proserpinam repræsentabant. Ap. Scaligerum *in poet.* Cerialis pompa dicitur pro *cœna*.

DIO

384. DIO. *Nominat*. DIVS: alias dativus esset *Dioni*.

385. TI. CLAVDIO CALLISTO. Doctissimus Gorius eumdem hunc esse Callistum autumat, cujus magnificentiam admiratus est Plinius, quemque Imp. Claudii libertorum potentia notum dicit lib. 36. cap. 7. At Svetonius, qui potentiores Claudii libertos recensuit, nempe Posiden, Felicem, Harpocram, Polybium, Narcissum, Pallantem, nullam Callisti mentionem fecit. Præterea, quis Claudii Imp. libertum Callistum, nominatum fuisse *Tiberium Claudium* testatur?

386. XENIA. Heic pariter Xeniam *libertam* credidit Blanchinius: Gorius, *libertum*: verum heic Blanchinii sententiam Gorianæ præferendam opinor; Nam si de viro ageretur, XENIO reperiretur inscriptum: Jovem *Xenium*, seu Hospitalem venerabantur tum Græci tum Romani. Non prætereundum tamen τὸ Xenia (quod *munus hospitibus dari solitum* significat) *xenium*, & *xeniolum* quoque vocari.

387. STRATONICE. Nomen celebris illius Demetrii Poliorcetis filiæ, quæ Seleuco Nicatori Syriæ Regi nupsit. Hæc, teste Luciano, licet turpi deformata calvitio, tamen a poetis hyacinthinos capillos, mollesque illorum globos, & nexus decantari volebat.

HYLAES. *Hylae*, vel *Hiles*: utramque enim terminationem, uti innuit Salvinius, genitivi casus latine, & græce jungebant. Verum, cum heic *Stratonice* sit nominativus, ejusdem casus cognomen esse debere nemo non videt, nisi *Hilaes* nomen enunciet viri; tunc legendum *Stratonice Hylaes uxor*. Tanta autem, inter Hylæ, & Philæ (reginæ Syriæ matris) nomina interest cognatio, ut mihi libenter persuadeam mulierem, virumque (si *Hylaes* viri est nomen) in nostro lapide laudatos, aut Syros, aut e Syria oriundos fuisse; eo magis quod nomina ista haud sunt Romana, sed prorsus barbara.

388. HYLA. Feminæ nomen, Callisti uxoris. Attamen nomen etiam esse viri liquet ex quodam saxo a Gorio publici juris facto in inscript. Etrur. p. 143. in quo *Hylas* & *Munilia* PARENTES dicuntur Munilii Rhodonis. Hylam itidem puerum, ex Argonautis unum celebravit Virgilius non in Georgicis tantum, sed & in Bucolicis ecl. 6.

His adjungit Hylam, nautæ quo fonte relictum
Clamassent; ut litus Hyla, Hyla omne sonaret.

item Juvenalis Sat. 1.

Aut multum quæsitus Hylas, urnamque secutus.

& Ausonius Epigr. 93.

Aspice quam blandæ necis ambitione fruatur
Lætifera experiens gaudia pulcher Hylas.

Cætero, quæ fuerit Augustæ domus servorum, libertorumque ex utroque sexu multitudo, ex ipsa decurionum turba de facili conjicitur. Denique quod ad Blanchinii, Goriique errata quæ hactenus notavi attinet, plerumque levia esse fateor; at cum mihi illa emendare levissimi æque laboris esset, nemo, ut puto, curam hanc meam improperabit, aut inopportunam censebit.

390.

D.FABIO.D.FILIO.PAL.·.·
FLORO VER.·.·.·.·.·.·.·.·.·.·O·.·.
SACeRDOTS·.·.·.·.·.·CTRE.·.·.
IVDICIO MAIESTATIS EIVS
ELECT.ANVBIACO PRIMA.·.·..
DEC.LAVR.VIC.AVG.QVATTER.·.·.
NAVICVLARIO.V.CORPOR.·.·.·
LENVNCVLARIORVM. OST.·.·
HONORIB.AC.MVNERIB.
OMNIB.FVNCT.SODALI
CORP.V.REGION.COL.OST.
HVIC.STATVAM.FLAVIVS.
MOSCHYLVS VCISIACVS
HVIVS LOCI MEMOR.EIVS
SANCTIMONIAE CASTITAT.·.
TESTAMENT. SVO COSTITVI
AB HEREDIB.SVIS.IVSSIT.
PATRONO MVNDITIARIO
B M
L.D.D.D.P

D. FABIO. Hanc tamquam partim deſperatæ lectionis inſcriptionem aliis extricandam Muratorius reliquit. Frequentes ſane marmoris lacunæ, ortographiæ ſphalmata, ſiglarum novitas, verborumque implicata ſyntaxis, ſicut Muratorii deſperationem ratam faciunt, ita me Tireſiæ ſcientia jejunum, ad ſilendum cohortantur. Verumtamen ne laboris prorſus impatiens videar, quæ intelligibilia ſunt, breviter expromam.

Flavius igitur Moſchylus Uciſiacus teſtamento juſſit conſtitui ab heredibus ſuis Statuam D. Fabio Floro Decii filio ex tribu Palatina, patrono ſuo *Munditiario*, cujus ſanctimoniam, & caſtitatem admiratus eſt. Hæc profecto ſumma inſcriptionis.

SACERDOT. *Sacerdoti*; cui vero templo addicto, ignoratur; nam ex fragmento S·.·CTRE nil certi colligi poteſt.

ELECT. ANVBIACO. Per hæc enunciari videtur D. Fabium fuiſſe Anubidis templi ſacerdotem electum, quaſi candidatum, (vid. Calvinum in Lexic.) Idoli nimirum quem Ægyptii canino capite effingebant: Unde Virgilius lib. 8.

Omnigenumque Deum monſtra, & latrator Anubis.

Verum τὸ *ſacerdos electus* non placet, eo magis quod *ſacerdotem electum* nunquam in lapidibus invenerim; hujus profecto dictionis exe plum afferre perdifficile arbitror, niſi ex Eccleſiaſticorum ſcriptorum libris eruatur. Præterea Anubim cultum a Romanis fuiſſe aſſerunt utique hiſtorici Lampridius in Comm. aliique, teſtaturque apud Tacitum hiſtoriola nocturni illius Mundi cum Paulina in Iſidis templum congreſſus; ædes vero peculiares Romæ habuiſſe, haud crediderim.

SAN-

SANCTIMONIAE. *Sanctitatis* ſive *religionis*. Sanctitas enim *eſt ſcientia colendorum Deorum*, inquit Cicero de N. D. 24. Hinc in orat. pro Rabirio: *mentes*, ait, *quæ ex hominum vita ad deorum religionem ſanctimoniamque demigrarunt*, Interdum tamen pudicitiam ſignificat. Martialis ubi uxorem *ſanctam* vocat, *pudicam* intelligit lib. x.

Non ille ſanctæ dulce Tibur uxores.

In lapidibus frequenter CONIVGI SANCTISSIMAE, pro *caſtiſſimæ*. Apud Nonium, *ſanctitudo*, pro *ſanctimonia*.

CASTITAT. *Caſtitatis*. Falſo quidam caſtitatem, & virginitatem omnino eſſe συνωνυμα opinantur: caſtitatem enim etiam conjuges ſervant; unde paſſim in ſaxis CONIVGI CASTISSIMAE. Nec obſtat quod in unico quodam lapide ap. Fabrettum cap. IV. p. 251. C. Laertius Sabinianus ab uxore Magia Maximina VIRGINIVS pro CONIVX dicatur: nam primo unicum hujuſce appellationis exemplum parum refert: ſecundo cenſeri licet uxorem fortaſſe maritum ſuum appellaviſſe Virginium, eo quod re ipſa aut ſponte, aut invite, ſcilicet ob naturalem infirmitatem, virginitatem etiam in conjugio ſervaſſet. Ita in Gruteri lapide p. 942. Cn. Arrius Abaſcantus *Theleſphoridem*, CONIVGEM VIRGINEAM vocat, ſed utique hyperbolice; nam quomodo conjugem ſuam, a qua filiam *Arriam Phonem* ſuſceperat, *virginem*, aut *virgineam* dixiſſet? Intelligendum eſt ergo Theleſphoridem tanta anxietate modeſtiam, pudicitiamque conjugalem ſervaſſe, ut ipſis virginibus conferri mereretur.

PATRONO MVNDITIARIO. Omnibus, ſummaque ſedulitate pervolutis voluminibus, in quibus *Munditiariorum* mentionem fieri cenſebam, ne unum quidem hujuſce vocabuli interpretem, immo nec unum ſcriptorem, a quo referatur inveni. Muratorius, qui hanc inſcriptionem retulit p. 158. de Patrono *Munditiario* nihil penitus; mira immo dexteritate, confidentiaque vela vertit, & *ſunt heic*, inquit, *& alia ad eruditionem ſpectantia, quæ temporis parcus prætereo*. Doleo ſummopere doctiſſimum virum tot curis præpeditum, tenebricoſi hujus vocabuli nobis notitiam aperire minime potuiſſe; itaque in malam crucem abeant precor, quicumque illum ad ſuum vulgandum *Theſaurum* enixe nimis extimulabant. Ipſe vero, ingenue fateor, non temporis parcitate, ſed eruditionis defectu, ad reticendum de hac re contra votum impellor.

Sunt qui credant hujuſce appellationis etymon ducendum eſſe a *munditia*, ita ut *Patronus munditiarius* is intelligatur, qui evigilabat ne quis loca publica, ut vias, fora, porticus, & his ſimilia immunditiis fœdaret; fœdata ab evverriatoribus purgarentur, ac plauſtris per clivum Capitolinum, extra portam Stercorariam, delata ſpurcitia in locum certum deiiceretur. Porro hæc eſt opinio cujuſdam eruditi viri, quem de hac re per litteras conſului: huic vero illud impoſuiſſe vocabulum reor, quod Romani adhuc retinent, nempe *Mondezzaro* (potius *Immondezzaro* dicendum) quo immunditiarum Urbis congeriem deſignant. At primo qui viis olim intra Urbem præerant *Ædiles*, IIIIVIRI, & Cenſores dicti ſunt; qui extra urbem, *viarum Curatores*, aut *curandarum & tuendarum viarum Duumviri* a Romanis vocabantur. Indubitatum meæ aſſertionis teſtimonium præbet tabula illa Heracleenſis quam Maittarius, Maffæjus, Conradus, atque Mazochius viri egregii, doctiſſimique illuſtrarunt, in qua hæc leguntur.

QVOMINVS. AED. ET. IIII. VIR. VIEIS.
IN (*intra*) VRBEM. PVRGANDEIS. II. VIR.
VIEIS. EXTRA. PROPIVSVE. VRBEM. ROM.
PASSVS. M. PVRGANDEIS. QVEIQVOMQVE.
ERVNT. VIAS. PVBLICAS. PVRGANDAS.
CVRENT. EIVSQVE. REI. POTESTATEM

HA-

HABEANT . ITA . VTEI . LEGIBVS
PL . VE . SC . S . C . OPORTET . OPORTE
BIT . EVM . H . L . N. R

Vide Mazochium *Tab. Heracl.* P. iI. cap. 2. & Maffæjum *Osserv. letter.* Tom. III., a quibus hæc omnia luculenter, sciteque enucleantur. Secundo allata opinio gratuita prorsus mihi, atque arbitraria videtur, eo maxime, quod ne unius quidem veteris scriptoris authoritate probari queat. Tertio, si hæc quoque locorum publicorum cura D. Fabio demandata est, quare idipsum in officiorum eidem Fabio creditorum enumeratione, inscriptionis authores, præter communem lapidariæ locutionis syntaxim omiserint, & deinceps postremo loco recensendum excogitaverint, non assequor. In hanc itaque sententiam pedibus ire nequeo: verumtamen quis meliora afferet? non ipse quidem, in re antiquaria gregarius; nihilominus ut tibi persuadeas eruditissime Lector, me jugem in consulendis de hoc hactenus inaudito Patronatu, scriptoribus, diligentiam adhibuisse, innuam *Mundium* in legibus Langobardorum fuisse, authore Ducangio, *patrocinium*, *tutelam*, *protectionem*, unde *esse in mundio*, in alterius tutela esse significabat. *Mundiata* mulier, quæ in tutela mariti: ita *Mundualdus* idem ac tutor, & *mundium* facere, tueri, patrocinari. Num quadratarius *Munditiario* insculpsit pro *Mundiario*? Num vox ista ab origine *Munditiarius* a Longobardis, postea latinæ linguæ corruptoribus, resecata? Sane auctores, quos laudat Ducangius in Gloss. lit.M. diu post Antoninorum ævum (quo vertente lapidem hunc inscriptum reor) floruere; ita ut nil certi affirmari possit, quoadusque monumentum aliquod fide dignum erumpat, quod lucem afferat ea potiorem, quæ ex allatis conjecturis elicitur.

NAVICVLARIO . V. *Naviculariorum corporatorum lenuncularioram Ostiensium*. Navicularii, & naviculatores proprie loquendo non sunt, qui navibus præsunt, sed qui navigia, & naviculas meritorias habent; unde navigatione victum quærere, *naviculariam facere* dicebatur: hi Græce vocantur ναύκληροι; a nostratibus vulgo *padroni di barca*; quandoque *navicellari*. Vegetius de re milit. lib.iv. cap. 32. *Singula liburna, singulos navarchos, idest quasi navicularios habebant, qui exceptis cæteris nautarum officiis, gubernatoribus, atque remigibus, & militibus exercendis quotidianam curam, industriamque adhibebant*. Nauclerum vero, qui ut innui Græcis erat *navicularius*, latine nautam, & navitam vocamus, italice *nocchiero*, *piloto*; qui scilicet ad dirigenda, remis, & gubernaculo navigia, incumbit.

Collegium, seu sodalitium Lenunculariorum Ostiensium, cujus patrocinium suscepisse D. Fabium autumo, in superiori lapide vidimus.

L. D. D. D. P. *Locus datus decreto Decurionum & Patrum*, aut *publice*.

391.

C . SENTIVS MELANTHA DEC	IVNIA . PRIMA MELANTHAE VXOR

MELANTHA. A nigredine: *Melantus* enim, est color fuscus, niger: ita fœmina cui sunt nigri capilli, *Melanothryx* dicitur; qui nigros habet capillos, *Melanommatus* Græco sermone vocatur.

DEC. *Decurio*.

392.

P. SVFENATI. P. F. PAL. MYRONI
EQVITI. ROMANO. DECV
RIALI. SCRIBARVM. AEDILI
VM CVRVLIVM. LVPERCO. LAVRENTI.
LAVINATI. FRETRIACO. NEAPOLI. ANTI
NOITON. ET. EVNOSTIDON. DE
CVRIONI. IIII. VIRO. ALBA
NILONGANI. BOVILLEN
SES. DECVRIONES. OB. ME
RITA. EIVS. L. D. D. D

PAL. *Ex tribu Palatina*. Apud Muratorium tamen p. 1561. C. Sufenas, *Niger* dictus est, & PVP, ideſt ex tribu *Pupilia*.

Saxum in quo nonnulli Sufenates colliberti nominantur tranſcribo.

C. SVFENAS. C. F. PVP. NIGER
:::B. IANO MEDIO SIBI ET
SVFENATIAE C. L. VRBANAE
C. SVFENATI. C. L. ARGYNNO
C. SVFENATI. C. L. ANTEROTI
C. SVFENATI. C. L. PRIMIGENIO
EX TESTAMENTO. H. S. ccIↃↃ
ARBITRATV
:::ARGINNAE. C. L. VERANAE

EQVITI ROMANO. Ex ordine equeſtri. Pulſis enim Roma Tarquiniis, populus Romanus in tres ordines diſtributus eſt, uti conſtat ex Livio dicente lib. 26. *Conſenſum Senatus, equeſter ordo eſt ſecutus; equeſtris ordinis, plebs*: Unde Auſonius in Edil. XI. 78.

Martia Roma triplex, Equitatu, Plebe, Senatu.

hinc formula: *conſenſu Senatus, Equeſtris ordinis, populique Romani*.

DECVRIALI. De Decurialibus, nec non de Scribis, verba alias fecimus: attamen adi Fabrettum cap. VI. p. 458. Ipſe autem antiquorum Scribarum Ædiliciorum officio Equite Romanó non equidem indigno (ut adverſus Urſatum probat laudatus Fabrettus) illud quodammodo congruere reor, quod etiam ætate noſtra nobili alicui viro, non equiti tantum, ut P. Sufenas, ſed ex urbis Patriciis creditur, quemque *Scribam Senatus* vocant. Hoc multis ab hinc annis munere fungitur nobiliſſimus D. Franciſcus Cincius.

AEDILIVM CVRVLIVM. Qui ſella curuli utebantur. Horum munera recitat his verbis Cicero. *Nunc ſum deſignatus Ædilis; habeo rationem, quid a pop. Rom. acceperim, mihi ludos ſanctiſſimos maxima cum cura, & cærimonia Cereri, Libero, Liberæque faciendos: mihi Floram matrem populo, plebique Romanæ ludorum celebritate placandam: mihi ludos antiquiſſimos, maxima cum dignitate ac religione Jovi, Junoni, Minervæque eſſe faciundos. Mihi ſacrarum ædium procurationem, mihi totam Urbem tuendam eſſe commiſſam. Ob earum rerum laborem, & ſollicitudinem fructus illos datos antiquiorem in Senatu ſententiæ dicendæ locum, togam prætextam, ſellam curulem, jus, imagines ad memoriam poſteritatemque prodendam*. Hactenus Cicero in act. in Verr. VII.

LVPERCO. Ideſt Sacerdoti, Pani Licæo ſacra facienti. Sacerdotium hoc vetuſtiſſimum, nimirum ab Evandro ante Urbem conditam ex Arcadia translatum, refert Dionyſius Ant. Rom.

Rom. lib. 1. Nomen, a loco ubi ara Pani erecta est, qui a Romanis *lupercal* vocabatur. Virgilius lib. 8.

Hinc lucum ingentem (quem Romulus acer asylum
Retulit) & gelida monstrat sub rupe Lupercal
Parrhasio dictum Panos de more Licæi.

Exinde Lupercalia dicta sunt festa, quæ mense Februario in Panis Licæi honorem, non Romæ tantum, sed & in coloniis celebrabantur. Duo fuere Lupercorum collegia, nempe Lupercorum Fabianorum, & Lupercorum Quinctilianorum, a præpositis suis Fabio, & Quinctilio appellati. Fabianos Romuli, Quinctilianos Remi partes fuisse secutos tradit Ovidius Fast. lib. 2. His additum est tertium, nimirum Lupercorum Julianorum, quod in Julii Cæsaris honorem instituti sint. Quæ fuerit Romanorum in celebrandis Lupercalibus insania, ex innumeris fere Scriptoribus colligitur: vide ex recentioribus Hospinianum de Fest. cap. x., & amplissimum S. R. E. Cardinalem Corradinum in Lat. vet. lib. 1. cap. 26. Ego Plutarchi in Cæs. verba proferam. *Lupercalia agebantur*, inquit, *quæ multi tradunt fuisse festum olim pastorum. Congruunt aliquatenus cum Arcadicis Licæis. Nobiles juvenes frequentes, & Magistratus nudi per Urbem discurrunt hirsutis scuticis obvios per ludum, & jocum cædentes. Multæ quoque principes feminæ ex composito offerunt se illis, ac manus ferentibus, sicut in ludo litterario, offerunt, creduntque id ad facile puerperium prægnantibus, & infœcundis proficere ad conceptum.* De stulta hac feminarum Romanarum superstitione mentionem his carminibus Ovidius facit loc. cit.

Nupta quid expectas? non tu pollentibus herbis
Nec prece, nec magico carmine mater eris.
Excipe fœcundæ patienter verbera dextræ;
Jam socer optati nomen habebit avi

& paulo inferius

——————— *jussæ sua terga puella*
Pellibus exsectis percutienda dabant.
Luna resumebat decimo nova cornua motu;
Virque pater subito, nuptaque mater erat.

Sacerdotium istud etiam feminis creditum testatur inscriptio a præmemorato Cardinali Corradino ibid. relata; in qua Hirpineja Setina, *luperca* dicitur.

LAVRENTI LAVINATI. Ad hæc hæsisse mihi videtur Fabrettus, nam etsi in Inscript. cap. VI. de P. Susenatis dignitatibus disseruerit, illud tamen *Laurenti Lavinati* profundo præterit silentio. Muratorius vero his verbis, Sacerdotium alterum indicari autumat, ita ut si viri eruditissimi sententiam amplectamur, P. Susenatem duplici fuisse insignitum Sacerdotio opinari necesse est: immo vero triplici: si etenim verba illa, munus aliquod sacrum, sive dignitatem enunciant, separanda utique sunt, atque reconcinnanda, legendumque est *Laurentiales*, seu *Larentiales*, sacerdotes fuisse Accæ Laurentiæ Romuli nutrici addictos, qui *Laurentalia* mense Decembri celebrabant: *Lavinales* vero (de quibus licet nulla sit apud authores mentio notitiam præbent marmora a Panvinio in C. R. p. 165. edita) Laviniæ, ut censeo, Latini regis filiæ, Æneæ uxori consecratos. Quod vero marmor sacerdotium minime innuat, ab hoc desumo quod scilicet Susenas dicatur *Lavinatis*, non *Lavinalis*: ubi enim sacerdotes nominantur, non *Lavinates* dicuntur, sed *Lavinales*, quemadmodum in saxo Panviniano ibid. in quo legitur

P. AELIO . P. F. PAPIR . MARCELLO
. . . .
FLAMINI . LVCVLARI . LAVRENT . LAVINALI

Quare censeri æque potest agi heic de P. Susenatis patria, quam fuisse Lauro Lavinium ubi is Lupercorum munere fungeretur, nihil repugnat; immo vero probat ipsamet Albanorumlonganorum-Bovillensium (qui Laurolavinio erant finitimi) cura, egregio huic viro statuam erigendi. Lavinium profecto, & Laurentum duas fuisse conterminas urbes non diffiteor, palamque affirmat Card. Corradinus lib. 1. cap. V. Hanc nimirum a Pico rege, illam ab Ænea, atque a Lavinia Latini regis, ut diximus, filia *Lavinium* vocatam. Attamen Laurentum extremis Reip. tem-

temporibus *Laurolavinium*, oppidanos vero *Laurentes-Lavinates* appellatos testantur lapides a Cluverio, & ab aliis pervulgati. Quippe illud *Laurenti Lavinati* urbem enunciare, non sacerdotium, etiam Vulpii opinio fuit in Lat. prof. tom. VII.

FRETRIACO. Muratorius in textu ponit FREIRIACO, quod nihil significat, sed recte in notis FRETRIACO. Ipse tamen, licet Græce ΦΡΗΤΟΡΕΣ, ΦΡΗΤΡΙΟΙΣ, & ΦΡΗΤΡΙΑ scribatur, latine non *Fretriaco*, sed *Fratriaco* scribi debuisse crediderim, a *Fratria* hoc est Sodalitate, in quam Neapoli adscriptum P. Sufenatem tradunt inscriptionis authores. Fratriæ non a Græcis dumtaxat sunt institutæ (vid. Reinesium Cl. 1. 2. 156.) verum etiam a Romanis, apud quos præter collegium fratrum Arvalium, celebres fuere Augustalium, Flavialium, Trajanalium, Hadrianalium, Antoninianorum, Aurelianorum, Helvianorum sodalitates. De Fratriis, Thiasis, & Orgeonibus adi Dalenum in Dissert. IX.

NEAPOLI. Fratriæ igitur erant etiam Neapoli, quod & noster, & alter Gruteri lapis testantur: hunc ad Valeriam Moscham cujusdam Aristonis uxorem spectantem habes p. 125. Ita Eumelidas Oenionæos, & Artemisios Φράτορες Neapoli floruisse legimus apud eumdem Reinesium ibid.

ANTINOITON. Infamissimum Hadriani pusionem Antinoum Græcis in urbibus, qualis olim Neapolis, instar numinis cultum fuisse, marmorea hæc Basis (quæ cum innumeris monumentis Hadriani æque & Antinoi turpitudinem testantibus, sociari potest) luculenter probat. De Antinoi templo, cultuque apud Mantinenses adi Pausaniam in Arcad. lib. 8.

EVNOSTIDON. Eunosti castitas a Myrtide Anthenodia poetria apud Plutarchum *Quæst. Græc.* 40. celebratur. *Eunostus*, inquit, *Tanagræ heros, Eliæi filius, ut honestus, & justus, pudicus etiam fuit, atque austerus. Ejus amore captam ferunt Ochnam, unam de coloni filiabus, consobrinam suam, a qua solicitatus ad concubitum, aversatus mulierem, & convicio insectatus, ad fratres ejus abiit, querelam de ipsa propositurus: sed Ochna Eunostum occupavit apud fratres accusare, vique se ab eo compressam mentiri; obtinuitque ut Ochemus, & Leo (hi enim erant fratres ejus) adolescentem, per insidias exceptum, interficerent.* Huic ergo Tanagræi ædes sacras excitarunt, quas intrare mulieribus nefas erat: in ejusdem honorem Neapolitani postmodum Fratriam instituerunt, a qua coleretur una cum Antinoo, castissimi sane illius adolescentis fraternitate prorsus indigno. Cl. Fabrettus cap. VI. p. 462. sequens fragmentum tunc in hortis Justinianæis collocatum.

:::ICI . SODALITAS . PVDICITIAE . SERVANDAE

hanc Eunostorum fratriam innuere conjecit: at heic doctissimum virum hallucinatum existimo; nam primo fragmentum, Romæ (ubi cultum Eunostum nunquam audivi) effossum, nec temere, arbitror. Secundo, demus fragmentum quondam Neapoli repertum, Romæ dein illatum fuisse, quis tamen unquam sibi persuadebit iisdem sodalibus, qui impudicitiæ prototypon, Antinoum venerabantur, curam fuisse creditam pudicitiæ servandæ? Neque instandum duas floruisse fratrias, alteram scilicet Antinoi, alteram Eunosti; nam ex nostro Marmore manifeste constat aut unam eamdemque fuisse fratriam Antinoi, & Eunosti; aut eosdemmet sodales in utramque adscriptos, quod ad summam idem esset. Verum quare ad Romanos (quin Neapolitanorum sodalitia in medium vocentur) fragmentum istud Justinianæum referri nequit? quis enim ignorat Pudicitiæ patriciæ Deam in foro boario, plebejæ vero in Vico longo ædes, ædiculas, & sacellum habuisse? Conf. Livium, & Val. Max. a Gyraldo in hist. Deor. synt. 1. laudatos.

DECVRIONI. De honore decurionatus in municipiis ambigit cl. Fabrettus, sed immerito; tot enim jam nunc in lucem prodita sunt saxa Decuriones municipales testantia,

tia, ut quare de hac re adhuc ambigendum non videam. Revera Sveton. in Aug. c.100. perſpicue municipiorum Decuriones nominat. Siglæ poſtremæ L.D.D.D quid indicant niſi *locus datus decreto decurionum*, utique *Bovillarum*, ubi erecta eſt P. Sufenatis ſtatua? Ipſemet Fabrettus loc. cit. Decuriones ex Grutero profert municipiorum Cæretani, Æliæ Auguſtæ, Apulenſis, Aletrini, Privernatis, Urvinatis, Saſſinatis, Caſtri Mœnienſium: his adde Bovillenſes: Bovillas namque municipium fuiſſe, liquet ex tertio, qui in eadem baſi extabat lapide, in quo Bovillenſes *municipes* aperte dicuntur.

IIIIVIRO. De Quatuorviratu, jam ſatis alias.

ALBANILONGANI BOVILLENSES. Proſtrata a Tullo Hoſtilio Albalonga, urbe totius Latii principe, quam Aſcanius condiderat, Albilongani ſe, ſuoſque Penates, patrioſque Deos in proximum Bovillenſium oppidum tranſportavere. Exinde Bovillenſes, *Albanilongani-Bovillenſes* dicti ſunt. Fabrettus primo, poſtea Vulpius hæc nomina ſecreverunt, hoc pacto ALBANI. LONGANI. BOVILLENSES, quaſi Albalongani, duos quondam populos conſtituiſſent, Bovillenſes tertium. Rectius ſane in autographo

ALBA
NILONGANI. BOVILLEN
SES

Bovillas, Latinorum oppidum fuit, Romanorumque municipium via Appia nonum inter, & decimum ab urbe lapidem. De ſacrario gentis Juliæ apud Bovillas, deque circenſibus ludis, qui ibidem quotannis celebrabantur verba facit Tacitus ann. xv. In eodem ſacrario Auguſti cadaver tota nocte cuſtoditum tradit loc. cit. Svetonius: *Corpus*, inquit, *decuriones municipiorum*, & *coloniarum a Nola Bovillas uſque deportarunt*; *a Bovillis equeſter ordo ſuſcepit*, *urbique intulit*, *atque in veſtibulo domus collocavit*. Cæterum Bovillas, extitiſse ubi nunc vulgo *le Fratocchie* Columnenſium principum villa, plerumque eruditorum eſt opinio. Attamen baſis reperta eſt prope Urbis mœnia inter portam Capenam, nunc S. Sebaſtiani, aliamque clauſam, quam viam Campanam emiſiſſe exiſtimat Fabrettus (cui haud aſsentior) in opuſc. de aquis, & aquæduct. Diſs. 3. Tres olim in eadem baſi viſebantur inſcriptiones, quas etiam Vulpius loc. ſup. cit. retulit. Verum in muſ. Capitol. unam tantum ad P. Sufenatem ſpectantem, habemus: reliquas ornatui villæ Carpineæ ad viam Aureliam addictas aſserit Fabrettus cap. vi. p. 456. col. 2. Pars tamen hæc noſtra eoſdem fere titulos ac tertia concludit, ita ut Carpinæi fragmenti defectus, nihil referat.

393.

CN OCTAVI. PERTIC. L. CORNIFICI POLLIO C
OCTAVIA. CRESTE RVFI. FRATRIS

PERTIC. *Perticarii* ni fallor. Inſcriptio profecto, *Perticarium* laudans, extat in muſeo Kircheriano hujuſmodi

D. M
M. LICINIO MOSCHO
NEGOTIANTI
PERTICARIO
ET CORNELIAE
PROCLAE CONIVGI

Eos fuiſſe puto, qui Agrimenſorum pertica, Coloniarum territoria in quatuor partes dividebant. *Solum*, inquit Frontinus, *quodcunque coloniæ eſt aſſignatum*, *id*, *univerſum* Pertica *appellatur*. Hinc Perticæ *agripedales*, *arpennales*, ſeu *agripennales* &c. apud Ducangium alioſque. Attamen haud incredibile τὸ PERTIC, cognomen Cn. Octavii indicare.

NON-

394.

M . ACILIO . GLABRIONE . M . VALERIO . HOMVLO . COS
ORDO . CORPORATO . RVM LENVNCVLARIOR
TABVLARIORVM . AVXILIARES OSTIENS

PATRONI

M SEDATIVS S C FIL . SEVERIANV S
TPRIFERNIVS SEX . F PAETVS ROSIANV GEMINV S
MSEDATIV SMF . SEVERVSIVLIVSREGINV S
CAELIV SC FIL . FVSCIANV S

LVOLVSIVS MAECIANVS
IIVLIV S MEMO R
MCIPIVS PROCLINIANVS
TAVRELIVS AVG. LIB.STRENION
LMARIVS GERMANVS

Q . Q

M.CORNELIVS M.F.
SECVNDVS

QVINQ PERP

MCORNELIVS EPAGATHVS

QVINQ

MANTISTIVS AELIVS

PLEBS

MLOLLIV	S	MARINV	S
CSEPTIMIV	S	TROPHIMV	S
LVALERIV	S	SEVERV	S
CVATRONIV	S	IVNIANV	S
MLOLLIV	S	CRISPINV	S
LAEBVTIV	S	COSMV	S
CIVLIV	S	AGATHEMER	
MCORNELIV	S	EPIGONV	S
LFVLVIV	S	CINNAMV	S
CCORNELIV	S	FELI	X
PFVFICIV	S	FELI	X
MCORNELIV	S	FELI	X

LIVLIVS	S	MEMO	R
MCORNELIV	S	SECVNDV	S
TCORNELIV	S	FELI	X
AHERENNVLEIVS		FRVCTV	S
LCOMINIV	S	CAECILIANV	S
LVALERIV	S	PROCVLV	S
CCORNELIV	S	DAPHNV	S
CBABERIV	S	MARCELLINV	S
TICLAVDIV	S	EPAPHRODITV	S
LSERCVDIV	S	PROCVLV	S
CTVCCIV	S	ANTIOCHV	S
CHASVRIV	S	HYGINV	S
CTVTILIV	S	MARTIALI	S
MCORNELIV	S	CAPIT	O
MCIPIV	S	NATALI	S
LPVBLISIDIV	S	PHOEBV	S
CIVLIV	S	AMARANTHV	S
TCORNELIV	S	PAVLINIANV	S
MPVBLICIV	S	PRIMITIVV	S
TCORNELIV	S	FELI	X
AHERENNVLEIVS		PROCVLV	S
PFVFICIV	S	FELI	X
LFVRIV	S	MARTIALI	S

TFLAVIV	S	ELEVTHE	R
MCORNELIV	S	ELANIV	S
LIVLIV	S	IVLIANV	S
LATINIV	S	ATINIANV	S
CVATRONIV	S	CRESCEN	S
TMANLIV	S	PRIMV	S
LIVLIV	S	ANATELLO	N
LNONIV	S	MAXIMV	S
CNSERGIV	S	ONESIMV	S
MPVBLICIV	S	MARCELLINVS	
PAVRELIV	S	VENVSTV	S
TCVLCISCIV	S	EVBVLIANV	S
TCORNELIV	S	EPICTETV	S
MCORNELIV	S	FIDELI	S
MPVBLICIV	S	AVRELIANV	S
PCORNELIV	S	HEDONIANV	S
PCORNELIV	S	PHOEBV	S
CRVSTICILIVS		PRIMITIVV	S
LIVLIV	S	VICTO	R
CVATRONIV	S	CRESCEN	S
LIVLIV	S	FLORENTINVS	
PFREGANIV	S	HI.........A	
LVALERIV	S	CAPITOLINV	S
TICLAVDIV	S	MEL.........A	
TCORNELIV	S	FAVSTV	S
TCORNELIV	S	FLORV	S
MCORNELIV	S	PHRAHA	S
AMVCIV	S	MAIV	S
PFVFICIV	S	AGILI	S
CCORNELIV	S	FELIX	LIB
TMVMMIV	S	FORTVNATV	S
DSTATILIV	S	POMPEIANV	S
MTOLLIV	S	ADAVCTV	S
CVATRONIV	S	AGATHEME	R
LPVBLICIDIVS		EVTYCHE	S
MANTISTIV	S	SELEVCV	S
CVATRONIV	S	IVNIANV	S
CNCRITARIVS		FRVCTV	S
MANTISTIV	S	CRESCEN	S
MANTISTIV	S	EVGRAMV	S
MANTISTIV	S	LVCRI	O
MCORNELIV	S	HERMAISCV	S
LIVLIV	S	FELICIANV	S
TICLAVDIV	S	IVVENI	S

PFREGANIV	S	LVCRI	O
DSTATILIV	S	AVGVSTALI	S
AHERENNVLEIV	S	PHILETIANV	S
MLICINIV	S	HEDIANV	S
MCIPIV	S	FELICI	O
CFIRMANIV	S	EPAPHRODITIANVS	
LPVBLICIV	S	VICTO	R
AHERENNVLEIVS		VETTIANV	S
MLOLLIV	S	MARINV	S
TMANLIV	S	MANLIANV	S
LAVRELIV	S	APRILI	S
MPVBLICIV	S	IANVARIV	S
MPVBLICIV	S	OSTIENSI	S
LFVRIV	S	PRIMITIVV	S
CFIRMANIV	S	PRIMITIVV	S
MCIPIV	S	HERME	S
CCLODIV	S	CARPV	S
MGAVIV	S	SVCCESSV	S
CCORDIV	S	FELI	X
QMARCIV	S	IOVINV	S
LIVLIV	S	DEMOCRITV	S
LVALERIV	S	MARCELLV	S
CCAELIV	S	SVR	A
LPLAETORIV	S	PHILETIANV	S
F. PCINCIV	S	SATVRNINV	S
TCORNELIV	S	FELI	X LIB
TCORNELIV	S	FELI	X LIB
QMARCIV	S	RVFINV	S
DTORQVATIV	S	EVHEME	R
MSERVILIV	S	FESTV	S
M'LOLLIV	S	CRISPINV	S
CMASVRIV	S	SECVNDV	S F
MCIPIV	S	NATALI	S IVN
MCIPIV	S	NATALIANV	S
TCVL CISCIV	S	CRESCEN	S
TCORNELIV	S	PRIMIGENIV	S
LCRITONIV	S	CRESCEN	S
LMANLIV	S	EVCHARISTV	S
CVOLVMNIV	S	PIV	S
LVERV....	S	AEMILIANV	S
TCORNELIV	S	PAVLINV	S
TCORNELIV	S	CORNELIANV	S
MCORNELIV	S	EPAGATH	O
MCORNELIV	S	FORTVNATV	S
MANTISTIV	S	AELIANV	S
MA..............		MARITIMV........	S

Nonnulla fuiſse Oſtiæ conſtituta Collegia liquet ex diverſis ibidem repertis inſcriptionibus a cl. Roccho Vulpio in lucem proditis Lat. vet. lib. vi., inter quas noſtram quoque vulgavit, ſed haud ſine mendis, præſertim in nominum ordinatione, quam diſturbatiſſimam, omnibuſque ſcientiæ lapidariæ contemtis legibus edidit. Inſignis hæc tabula, nunc in muſeo Capitolino collocata, infixa parieti ſacræ ædis Oſtienſis olim extabat. Memorantur in hac corporati lenuncularii eorumque Collegii quinquennales & patroni: attamen qua ratione, quo eventu, cujuſve gratia inſculpta, marmor non indicat. Oſtienſes profecto ſtatuas erexiſse non Diis tantum Jovi ſcilicet Patulcio, Junoni Reginæ, Neptuno, Tiberino, & Nymphis, verum etiam egregiis viris Cn. Sentio Felici, M. Baſsæo, P. Martio Philippo, & C. Julio Philippo, lapides tum Vulpiâni, tum Goriani teſtantur; ita ut conjici quis poſſit tabulam hanc baſi appoſitam fuiſse monumenti alicujus lenuncularioruin collegio addicti viri: at divinare non eſt meum: quare purum putum corporatorum lenunculariorum elenchum, anno imperii Antonini Pii decimoquinto, in publicas tabulas relatum exhibere cenſeo.

M. ACILIO GLABRIONE. Anno poſt natum humani generis REDEMPTOREM 152. conſulatum geſſiſse Glabrionem, & Homulum conveniunt faſti Græci, Caſſiodorus, liber Cuſpiniani, Panvinius, Petavius, Leunclavius, Noriſius, Almelovenius, Muratorius. Diſcrepant tamen quatenus ad utriuſque prænomina, & nomina.

Cuſpin. lib.	GLABRIONE . ET . HOMVLLO.
Panv.	GLABRIO . II . ET . OMVLLVS
Petav.	SEX . ACILIVS GLABRIO.
	C . VALERIVS OMOLLVS VERIANVS.
Leunclav.	ACILIO . GLABRIONE.
	VALERIO HOMVLLO.
Almelov.	SEX . AELIVS GLABRIO.
	C . VALERIVS OMOLLVS.
Murat.	MV. ACILIVS GLABRIO.
	MARCVS VALERIVS HOMVLLVS.

In tribus Inſcriptionibus vero, quas refert Panvinius p.342., legimus GLABRIONE. ET . HOMOLLO . COS = GLABRIONE . ET . OMOLLO . COS = SEX . GLABRIONE . C . HOMOLLO . COS. Ex tot variantibus lectionibus dignoſcitur quam fallax incertaque ſit monumentorum inſcriptorum fides, quamque inanis ſæpiſſime inter eruditos de nominibus diſputatio. Merito itaque Noriſius, cum de Glabrionis, & Homuli conſulatu diſsereret, *Leunclavius* (inquit in *Epiſt. Conſ.* p.90.) *fortuito utriuſque prænomen omiſit, quod ipſe conſulto tamen facerem: hæreo veluti ad aquas ad illa prænomina*. Revera, ut de Homuli tantum cognomine loquar, compertum eſt diverſimode inſcriptum reperiri: quidam enim ſcribunt *Homulus*, alii *Homullus*: iſti *Omulus*, illi *Omulius*, nonnulli *Omollus*. Muratorius Acilii Glabrionis prænomen fuiſse opinatur MV ideſt *Manium*, fortaſse rectius quam M. *Marcum*; nam licet in autographo prænominis ſigla fere conſumpta ſit, tentato tamen non ſemel unguibus lapide, Siglæ MV, aut M' veſtigia agnovi. Porro Acilium Glabrionem, *Manium* prænominatum octies recenſuit Almelovenius teſtibus hiſtoricis, atque lapidibus. Sunt qui credant eumdem eſse, qui in amphiteatro Albano a Domitiano extructo cum leonibus certavit; ſed hunc jam exulantem, quaſi novarum rerum molitorem, ab ipſo Domitiano una cum Salvidieno Orfito interemptum, Svetonius tradit.

M. VALERIO HOMVLO. Iſtius conſulis meminerunt *in Antoninis* Capitolinus, & in

& in *Alex. Severo* Lampridius, qui litteris mandarunt. Is igitur Antonino Pio ædes suas admiranti, requirentique unde tot columnas porphyreticas haberet, respondit: *quum in domum alienam veneris, & mutus, & surdus esto*. Dicebat etiam meliorem Remp. esse, & tutiorem, in qua princeps malus esset, ea in qua sunt Principis amici mali, *quia melius est unum malum pati, quam multos*. Tandem cum Lucillam Marci Antonini matrem venerantem simulacrum Apollinis vidisset, Pio insusuravit: *illa nunc rogat, ut diem tuum claudas, & filius imperet*.

ORDO. Licet, ut docet Pitiscus, *Ordo* differat a collegio, corpore, & sodalitio, heic tamen collegium, seu corpus, & hominum universitatem significat, in qua corporati erant lenunculari, tabularii, & auxiliares Ostienses.

LENVNCVLARIOR. *Lenuncularii* dicti sunt a parvo quodam navigio piscatorio, quod *lenunculus* appellabatur. Sallustius hist. II. *primo incidit forte per noctem in lenunculo piscantis*; & Tacitus Annal. XIV. de Agrippina *nando deinde occursu lenunculorum lucrinum in lacum vectam, villæ suæ inferunt*. Gyraldus *de navig.* putat lenunculos esse quos Ferrarienses sandalos, & sandaletos vocant, minores sandonibus, super quos in Pado aquatica molendina construuntur. Apud Donium cl. VIII. 47. Q. Cæcilium Nicanorem habemus LENVNCVLARIVM. R. TIB. *lenuncularium ripæ Tyberis*. Nonnulli posthabita constanti lapidum ortographia scribunt lemnunculus, & lemnuncularii, ut distinguantur a lenunculis, nempe lenonibus, & a lenare quod est lenocinium facere. Vetus epigramma apud Salmasium in not. in Vopiscum pag. 486.

Quod si formosas redeas lenare puellas,
Et dederit quæstus quotidiana Venus.

TABVLARIORVM. *Tabularii*; qui, ut opinor, publica corporis lenunculariorum acta recensebant, atque servabant: nos vulgo *archivisti*.

AVXILIARES. Qui fuerint in Romanorum militia *auxiliares*, docent Vegetius, Plinius, Valturius, Salmasius, & Lipsius, de militia Romana scriptores. Verum heic de militaribus auxiliis agi minime credo, sed de sociis, quorum opera uterentur lenuncularii; quæ enim inter milites auxiliares, & Ostiensium lenunculariorum collegium congruentia?

PLEBS. Populum a plebe distinxit Cicero his verbis: *mihi Floram matrem populo plebique Romanæ, ludorum celebritate placandam*. Attejus etiam Capito plebem a populo divisit, *quoniam*, inquit Gellius. N. A. lib. X. c. 20. *in populo omnis pars civitatis, omnesque ejus ordines contineantur. Plebs vero ea dicitur, in qua gentes civium patritiæ non insunt*. Verumtamen sicuti ex plebeis Patricii interdum fiebant, ita non semel plebei ex Patriciis, ut de Minucio Augurino fertur; qui, cum ad plebis tribunatum aspiraret, ex Patricio plebejus, gentilitio tamen retento nomine, est factus. At hæc obiter de plebe Urbana, non de Ostiense. Nostrum hoc saxum Gruterus retulit, p. 1077. sed non magis Vulpiano exemplare emendatum.

395.

M. LIVIVS. AVG. L. ANTEROS
AMYNTIAN AB SVPELLECTILE

396.

VENVSTVS. TICAES
MATER A SVPEL

AB SVPELECTILE. Hoc vocabulo intelliguntur vasa aurea, argentea, Corinthia, Deliaca, gemmæ, margaritæ, picturæ in tabulis, aulæa, pretiosæ vestes, quicquid aut ebore, aut auro factum, elegantiaque demum illa utensilia, quæ Gallice loquentes

bijoux

bijoux vocant; Italice, *galanterie*: id colligo ex Cicerone, quem adi in Act. vi. in Verr. Qui ergo magnificam Liviæ Augustæ supellectilem custodiebat, dicebatur servus *a* vel *ab supellectile*, aut *ad supellectilem*; nobis *Guardarobba*, inquit Gorius. Habes hic SVPELLECTILE unico L, sed in aliis lapidibus, & apud latinos scriptores, duplici inscriptum reperies.

Pignorius arbitrabatur servos *a supellectile*, eosdem fuisse ac *supellecticarios*: at ipse suspicor doctissimum virum perperam in cippis quos laudat legisse *supellecticarium* pro *superlecticarium*; qui scilicet lecticariis domus Augustorum præerat. Porro Ti. Claudium Quadratum *decurionem lecticariorum Britannici* (qui Britannici lecticas gestabant) nominat epigramma apud Gruterum pag. 600.

AMYNTIAN. *Amyntianus*. Gorius pro certo habuit hunc M. Livium Anterotem servum primo fuisse *Amintæ* Galatiæ, ac Lycaoniæ regis; dein, retento prioris domini cognomine, ad ministeria domus Augusti transiisse. Qua ratione, quove argumento id affirmaverit, nescio. *Amyntiani* cognomentum, ab *Amynta* derivatum, haud diffiteor; at quare ab ipsomet hujus nominis rege? Cui novum, privatos aliquando viros, regum nomina sibi asciviſſe? Quot in lapidibus Alexandri, quot Antiochi, quot Agrippæ, qui tamen nec Macedoniæ, nec Syriæ, neque Judeæ reges fuere?

397.

BITHVS MATERNVS FABER	C IVLIVS C . RVFVS

Qui aliquid ex ferro conficiunt, qui ligna dolant, qui marmora secant, atque perpoliunt, qui ex auro aliquid excudunt, qui lectos faciunt, qui tigna ad ædificia concinnant &c. Fabri dicuntur ferrarii, lignarii, marmorarii, aurarii, lectarii, tignarii. Bithum vero hunc Maternum, simplici appellatione, *fabrum* vocatum, puto ex iis, fuisse, *qui*, authore Ulpiano apud Popmam, *villæ reficiendæ caussa parati sunt*.

Blanchinius, & Gorius, omisso in secunda linea prænomine C, Rufi nomen cognomen faciunt C. Julii.

398.

HILARVS . LIVIAE
GVGETIANVS AD ARGENT
DAT CLYTENI . ZEVXIDIS . L . OLLA

AD ARGENT. Hilarus, *servus ad argentum* Liviæ; nimirum, non vasorum dumtaxat argenteorum, sed totius argenteæ Livianæ supellectilis curator, & custos, ab argentario diversus, quem memorat Sponii marmor, ubi *Seleucus Juliæ Augustæ* ARGENTEARIVS LYSENIANVS. Vid. Sponii Miscell. erud. Antiquit.

CIS-

399.

CISSVS CAESARIS MAECENAT	PARMENO LIVIAE A PVRPVR MAECENATIAN

A PVRPVR. Vestium purpurearum Liviæ Augustæ custos. Quamvis purpuræ appellatione, omnis generis purpuram contineri doceat Ulpianus, eam tamen discriminasse antiquos constat ex scriptoribus, qui purpuram Tyriam, seu Sydoniam, Milesiam, & Sarranam, & Dibapham, Alexandrinam, Girbitanam, Probianam, Laconicam, & Stlatariam nominant. Uxoribus suis purpuræ usum concessere mariti, *ut non tristis earum, & horrida pudicitia*, inquit Valerius Max. lib.2. cap.1. de Matr. rit. *sed honesto comitatis genere temperata esset*. Tyriam his interdixit Nero, cumque Matronam vetita purpura cultam animadvertisset, non veste modo, sed & bonis exuit, uti narrat Svetonius. Id sub aliis deinceps Imperatoribus tenuisse usque ad Aurelianum, a quo Neronis decretum rescissum est, Vopiscus tradit. Liviæ aurem purpureæ vestes, ex purpura Tyria fuisse conjici licet ex eo, quod Tyria, præ cæteris, domus Augustæ usibus destinata esset. Hinc Purpurarii *de vico Tusco*, & *de vico Cornelii*, qui Romæ purpuram tingebant, in lapidibus; Purpurarii infectores, & purpurariæ artis negotiatores apud Ursatum in Epist. XIII., immo & πορφυρόπωλις idest *Purpuraria*, purpuræ negotiatrix fœmina, cujus meminit S. Lucas in Act. Apost. XVI. Neque miror peculiarem *a purpura* servum fuisse: nam præter custodes ex omni genere vestimentorum Augusti, & Augustæ, unamquamque vestem, suum habuisse curatorem testantur lapides, in quibus servum habemus a veste *magna*, servum a veste *matutina*, a veste *scænica*, a veste *gladiatoria*, a veste *regia*, a veste *privata*, a veste *castrensi*, a veste *triumphali*, a veste *venatoria*.

400.

TI . IVLIVS IVCVNDVS NVMVLARIVS	IVLIA ZMIRNA IVCVNDI

NVMVLARIVS. Alias *nummularius*: antiqui etenim & *numum*, & *nummum* scribebant. Qui majoris pretii nummis acceptis, puta *doppie*, *zecchini* &c. minusculam monetam per partes reddit, hunc nummularium vocare licet: ita, & qui nummos aureos æstimant, an probi, cujus auri, an subærati, an æqui ponderis, an bonæ fusionis sint, *nummularii* dicebantur, & *argentarii*: Argentarius enim non tam argenti opifex erat, quam qui pecunias publicas exigebat aut pecunias sub fide publica permutabat, easque spectabat an probæ essent, an legitimæ, an locabiles. Numularios insuper, argentarios, mensarios, campsores, trapezitas, collybistas, fere idem significare docet Calvinus: ii vero quos nos vulgo dicimus *banchieri* a Plauto *danistæ* dicuntur in Epid. Act. Sc.II. ubi Statippocles Cheribulo

—— argenti dare quadraginta minas
Quod danistæ detur, unde ego illud sumpsi fœnore.

401.

IVLIA . HELPIS . DEMOSTHENES
DEMOSTH OSTIAR CVR

OSTIAR. Immensa, ut ita dicam, Augustorum palatia, innumerabiles fere portas habuisse necesse est: hinc ostiarii, seu janitores (a militari præsidio distincti) quibus portarum custodia tradebatur, non palatii tantummodo, sed & earum, per quos in tablinum, pinacothecam, peristylium, balnearia, triclinia, sacrarium, bibliothecam, in unamquamque demum palatii diætam advenientes intromittebantur. Hos, in aula summi Pontificis *bussolanti* italice dicuntur, ut notavit Blanchinius: alibi *uscieri*, gallice *huissiers*.

DEMOSTHENES. Blanchinius, & Gorius nexus HE & NE negligentes, scripsere *Demosthenes*.

402.

ANTIOCHVS LIVIAE ∵TRIENSIS	MYRTILVS CAESARIS DIOGENIANVS

:::TRIENSIS. *Atriensis*; quem ab ostiariis diversum fuisse mea quidem est opinio: Eos, *servos qui atrium observabant*, dicit Gronovius in not. ad Plauti *Asin.* Act. II., hinc Virgilium lib. X. scribentem

——— *fidusque ad limina custos*.

Atriensem indicare voluisse censuit. Vide quæ de Atriensibus dixi in not. ad inscript. n. 121. & in tabulæ Antiatinæ explicatione. Heic tantum subdam Atriensibus curam quoque creditam fuisse tablini, sive armariorum, in quibus majorum imagines, rerumque ab iis in magistratu gestarum codices servabantur, teste Vitruvio lib. VI, cap. 4.

403.

SYNEROSTI . CAESARIS
AD IMAGINES

AD IMAGINES. Servus, qui avorum Tiberii Cæsaris imagines, & signa servabat, abstergebatque. Quid imaginis appellatione intelligeretur docet Polybius lib. IV. *Imagines*, inquit, *sunt insignium virorum simulacra, oris similitudinem artificiose effictam, coloribus pigmentisque adumbratam, referentia*; Porro quam avorum imagines, & signa ostentarent Romani, qua sollicitudine custodirent, quoque fastu non in tablinis modo, sed & in atriis ordinate collocarent, sæpissime innuunt antiqui scriptores. Omnium primus audiatur Seneca *de Benef.* ubi, *qui imagines*, ait, *in atrio exponunt, & nomina familiæ suæ longo ordine, & multis stemmatum illigata flexuris, in parte prima ædium collocant*: & de consol. ad Polyb. *Vides has imagines, quæ implevere Cæsaris atrium?* Audiantur Martialis, atque Juvenalis: ille in Epigr. lib. II.

Atriaque immodicis arctat imaginibus,

& lib. IV.

Atria Pisonum stabant cum stemmate toto.

Ille vero Sat. VIII. mordacibus quippe versibus, at ob sententiæ gravitatem, Catone dignis

Stemmata quid faciunt? quid prodest, Pontice, longo
Sanguine censeri, pictosque ostendere vultus
Majorum, & stantes in curribus Æmilianos,
Et Curios jam dimidios, humerosque minorem
Corvinum, & Galbam auriculis, nasoque carentem?
Quis fructus generis tabula jactare capaci,
Fumosos equitum cum dictatore magistros
Si coram Lepidis male vivitur? effigies quo
Tot bellatorum, si luditur alea pernox
Ante Numantinos? si dormire incipis ortu
Luciferi, quo signa duces, & castra movebant?

Interdum cera expressi avorum vultus, in atriis pariter collocati, cernebantur; unde Ovidius Amor. lib. I. El. 8.

Non te decipiant veteri cincta atria cera
Tolle tuos tecum pauper amator avos.

& laudatus Satyricus ibid.

Tota licet veteres exornent undique ceræ
Atria.

Compertum est objectum fuisse Cassio Longino, *quod in vetere gentili stemmate* (Svetonii *in Ner.* verba) *C. Cassii percussoris Cæsaris imagines retinuisset*. Sic Galba nobilissimus Imperator, magnaque, & vetere prosapia, *stemma in atrio proposuit, quo paternam originem ad Jovem, maternam ad Pasiphæn Minois uxorem referret*. Sic denique Severus Alexander, teste Lampridio, *stemma generis depinxerat, quo genus ejus a Metellis descendere ostendebat*. Amovebantur tamen imagines, & signa, domini funus honorandi caussa, atque ante feretrum efferebantur

——————— *celsis de more feretris*
Præcedens prisca exequias decorabat imago.

Sane Tacitus Ann. lib. III. de Juniæ Bruti sororis, Cassiique uxoris funere loquens, hæc habet: *viginti familiarum imagines antelatæ sunt, Manlii, Quinctii, aliaque ejusdem nobilitatis nomina; sed præfulgebant Brutus, atque Cassius, eo ipso quod eorum effigies non visebantur*: hæc equidem consentanea sunt Plinii verbis H. N. lib. XXXV., cap. 2. ubi: *expressi cera vultus singulis disponebantur armariis, ut essent imagines, quæ comitarentur gentilitia funera, semperque defuncto aliquo totus aderat familiæ ejus, qui unquam fuerat, populus.*

404.

GEMELLINVS
VALERIANVS
PVBLICVS . ET
VLPIA . GRATA
SEPTEMBRO
VERDVE . FEC
B . M . QVI . VIXIT
ANNIS . VII
MENS . VII
DIEBVS . XX

PVBLICVS, Servos fuisse quosdam qui dicebantur Publici, alibi diximus. Fabrettus nominat *Apolaustum Modianum*, & *Apolaustum Claudianum* PVBLICOS SEPTEMVIRVM EPVLONVM, *Felicem Cornelianum*, & *Fortunatum Sulpicianum* PVBLICOS CVRIO-

RIONALES, *Hermetem Cesennianum* PVBLICVM PONTIFICVM, *Magnum Publicianum* PVBLICVM XV VIRVM SACRIS FACIVNDIS, & *Philoxenum Julianum* PVBLICVM A BIBLIOTHECA GRACA *porticus Octaviæ*. Adi eumdem Auctorem cap. IV. pag. 336. & seq. De Publicis nos alibi pertractavimus.

405.

L LICINIVS.L.Ↄ.L.ALEXA.CVRATOR.SOCIORV:::
SECVNDVS.IS.MONVMENTVM.EX PECVNIA
COLLATA.SOCIORVM.AEDIFICAVIT.ARBITRATV
SVO.IDEMQVE TECTORIA.PERFECIT.ET.IS.TRICHILINIVM
SOCIORVM.EX.SVA PECVNIA.OPERE TECTORIO
PERPOLIT.ET.AMICIS DONVM.DEDIT
ET EX AMICORVM.AERE.COLLATO.IMAGO.EI
FACTA.EST.ET.SINE.SORTE.PRIMO AB SOCIS
QVAS.VELLET OLLAE SEXS.DATAE.SVNT
EIQVE OROFFICIVM.ET.MAIESTATEM.EIVS
INPERPET VOM.INMVNITAS.DATA.EST

L LICINIVS. L. *Licinium Lucii conlibertum Alexandrum, sociorum curatorem secundum* laudat hic lapis, quem nonnulli vulgarunt, nemo vero illustravit. *Is* igitur *ex pecunia* a Sociis viritim largita *ædificavit arbitratu suo monumentum*, & ejusdem *tectoria perfecit*. Insuper *ex sua pecunia perpolit opere tectorio Trichilinium, & Amicis donavit*. Amici autem, ne ingrati viderentur, ejusdem *L. Licinii imaginem*, in eodem *Monumento*, aut in *Triclinio*, monumento conjuncto, collocari curarunt, eique *sex ollas*, non ad libitum sortis, sed *quas ipse vellet*, *dederunt*. Hæc Inscriptionis summa: reliqua non semel enucleare pertentavi; at operam, & oleum perdidi. Quid enim OROFFICIVM? quid INMVNITAS (*immunitas*) *in perpetuom* (O pro V) data?

ALEXA. *Alexander* sum interpretatus; nec arbitrarie, sed exemplo alterius *Licinii* cognomine *Alexandri*, quem inveni apud Muratorium pag. 1554. ubi AD MONVMENTVM M. LICINI ALEXANDRI.

CVRATOR SOCIORVM. Sic alibi A CVRA AMICORVM.

SECVNDVS. An agnomen, L. Licinii? an Licinius, inter plures sociorum, ideſt conlibertorum Curatores secundus?


TECTORIA. Tectorium opus continet marmoratum, arenatum, & trullissationem, nos vulgo *intonacamento*: trullissare, *intonacare*: vid. sup. not. ad Inscript. 356.

TRICHILINIVM. Cœnaculum, seu conclave discubitorium, a tribus lectis quos cœnaturi sternebant, *triclinium* dictum: sic domus *triclinis*, *pentaclinis*, *decaclinis* dicitur domus, tres, quinque, decem instructos lectos habens. De triclinio Romano Petrum Ciaconium, & Fulvium Ursinum disseruisse nemo est qui nesciat. At triclinium in monumentis, vel monumentis conjunctum, heic primum erumpit: verumtamen non mihi novum Romanos ad sepulcrum cœnas quasdam quæ

quæ *Silicernia* vocabantur conficere solitos. *Miror*, inquit S. Augustinus serm. xv. de Sanct. *cur apud quosdam infideles tam perniciosus error increverit, ut super tumulos defunctorum cibos, & vina conferant, quasi egressæ de corporibus animæ, carnales cibos requirant.* Hinc celebris inscriptio apud Lazium: P.*Cornelia Annia* &c.

VT. QVOTANNIS. SVPER. ARCAM
NO. PLOTONI. ET. OXORI. PROSERPINAE
OMNIBVSQVE. SACRIFICENT. ROSISQVE
EXORNENT. DE. RELIQ. IBI. EPVLENTVR

verum id perspuicius asserit his verbis Varro: *Funus*, ait, *executi laude ad sepulcrum antiquo more Silicernium confecimus, in quo pransi discedentes dicimus alii aliis vale*. Hinc non infrequenter in sarcophagis viri & mulieres in lectisternis jacentes insculpti. Cippus marmoreus visitur Florentiæ teste Gorio Tom. I. p. 15. in quo mulier jacens, vir sedens, mensa triclinis, & puer ministrans. Pisis vero in ædibus Roncioniorum marmor extat sepulcrale ad Q. Anquirinnaium spectans, in quo mensa feralis, imagines, & ardentium cereorum fasces (quod sane sententiam Pamelii, aliorumque refellit, qui Romanos silicernia confecisse amotis luminibus asserunt) eleganter insculpti visuntur hujusmodi ex Gorio Tom. II. pag. 22. Adi etiam Claudium Guichardum *de Fun. Rom.*



Plurima profecto, tamque futilia circa Deos Manes fabulabantur Ethnici, ut sine risu vix valeant recenseri. Hos ad cænam quandoque prope tumulum defunctorum advocatos, in Aristide narrat his verbis Plutarchus: *Princeps, cujus ductu res geruntur, exclusis servis, mactato ante pyram tauro, ubi Jovem, & Mercurium adoravit, Manes illorum, qui pro patria ceciderunt, ad cænam advocat; postea cratere merum libans, se defunctorum manibus propinare asseverat*. Hisce nugis alludens Ovidius in Fast. lib. 2. sic cecinit:

Nunc animæ tenues, & corpora functa sepulchris
Errant, nunc posito pascitur umbra cibo.

Quam antiquus mos iste fuerit, innuit Psal. 105, ubi de Hebræis: *initiati sunt Beelphegor, & comederunt sacrificia mortuorum*. Et Eccli. xxx. 18. *Bona abscondita in ore clauso, quasi appositiones circumposita sepulchro*. Vid. Tyrin. ibid. & in Tob. iv. 18.

SINE SORTE. Sors dicebatur quidquid nullo humano consilio, nulloque adhibito artificio, sed casu fortuito fiebat, sive tesseræ ex urna ducerentur, sive in fontem jacerentur. *Quid sors? idem propemodum*, inquit Cicero *de Divin*- lib. I. cap. 41., *quod micare, quod talos jacere, quod tesseras, quibus in rebus temeritas, & casus, non ratio, nec consilium valet*. Sortes vero quibus quærebatur quid cuique tribuendum, *divisoriæ* vocabantur. Heic ergo per illud *quas vellet ollæ sex datæ sunt*, intelligo socios Licinio ollas dedis-

diſſe, non ſortis arbitrio, teſſeriſve ex urna ductis, ſed quas ipſe ad libitum delegerat. Ex hoc patet ollarum quæ forma, ornatuque differrent, delectum ad vitanda inter ſocios, ſive conlibertos diſſidia, ſortibus committi ſolitum. Ex ſortitione autem ollas interdum acquiſitas teſtatur marmor via Aurelia, in Palangariorum monumento repertum, atque a Fabretto cap. III. vulgatum

D . VETRVDI . SECVNDIONIS
EX . SORTITIONE . OLLAS
OSSVARIAS . VIIS

MAIESTATEM . EIVS . Nimirum *imaginem ejus*. Majeſtatem, pro imagine Deorum uſurpavit Tertullianus. *Majeſtas*, inquit Apol. cap. XIII., *efficitur; circuit cauponas religio mendicans*. Commodianus Inſtr. XVII. Archigallos deſignans

Inde ſimulant ſe concuti numine quodam
Majeſtatemque colunt, & ſe ſub figura fatigant.

Eucherius in *Hom.* contra Idola: *dicis non lignum, & lapidem, ſed in ligno, & lapide latentem veneror majeſtatem*. Majeſtas quoque dicta eſt *bulla* Imperialis, ſeu majus Imperatoris ſigillum. Hæc Ducangius in Gloſſ. Porro apud Langobardos pueri ad hæc uſque tempora quamvis imaginem, *maeſtà*, & *miſtà* conſtanter vocitant.

De apicibus heic crebro appoſitis audi Quintilianum lib. I. *Longis ſyllabis omnibus apicem apponere ineptiſſimum, quia plurimæ, natura ipſa verbi quod ſcribitur, patent*. Vid. T. I. noſttarum Inſcriptionum *num.* 118. in *not.*

Fabrettus ex muſeo Sabattinio, & Gorius ex Fabretto hujuſce inſcriptionis apographum edidere; uterque vero mendoſe in lineis 4. 7. 10. 11. ubi TECTORIO OPERE FECIT, pro *tectoria perfecit*. IMAGO EL, pro *imago* EI; pro *Orofficium*, OR . OFFICIVM, & pro *inmunitas*, IMMVNITAS.

406.

M · IVNIVS · M · F ·
AED
L · S · M · R ·

AED. Hanc mihi Inſcriptionem, hoc anno repertam, largitus eſt Dn. Nicolaus *la Piccola*; ſed primo jam edito volumine: quamobrem Ædilem hunc *Marcum Junium Marci filium*, inſignibus dignitate viris ſociare nequivi.

L. S. M. R. *Libens ſolvit merito*. Sic apud Reineſium, alioſque M. R. pro *mærens*, & B. M. R. pro *benemerenti*. Cl. Maffæjus, attenta interpunctione quæ heic in linearum fine cernitur, de hujuſce lapidis ſinceritate dubitaſſet. At quam abſona, de hac re, egregii illius viri fuerit ſententia, jam ſatis alibi oſtendimus. Adi cl. Zaccariam *I. L.* p. 337.

CAPUT VI.

Conjuges.

407.

P. NVMMIVS. P. F. TRO. BASSVS
EX TESTAMENT HS·CIƆCIƆCIƆ ARBITR
CAECILIAE VXORIS

TRO. Tromentina tribus a *Tromento* Tusciæ agro, quæ & *Trom*, & *Troment* signatur in lapidibus. Tribuum erat decimatertia juxta Panvinium, ac cum Stellatina cæteris addita Ann. Urb. 367. Speravi aliquid de hac tribu indicaturos fore viros clarissimos Dempsterum, Bonarotam, Gorium, atque Passerium, qui res omnes Etruscas sedulo expiscabantur: at

Fallitur augurio spes bona sæpe suo.

HS·CIƆCIƆCIƆ *Triginta millia sestertia*, idest (ad Nizolii calculum) 750. aurei numi, sive coronati. In alio lapide Vol. III. cap. VIII. sestertium hac signatur nota HS. Apud Valerium Probum sic expressum reperies X̄, vel ƆM, vel IMI; apud Lipsium [illegible]; in miscell. Petri Servii [illegible]; inter nostra num. 481. [illegible] Præsumendum est Cæciliam, conditionis earum uxorum fuisse, quæ non in matrimonium dumtaxat, sed simul in mariti potestatem veniebant, quod *in manum convenire*, vel usu, vel cœmtione, vel confarreatione, dicebatur. Æque ac ipsi viri participes istæ erant sacrorum, & bonorum, succedebantque hæredes, veluti filiæ in maritorum defunctorum bonis. De iis Dionysius lib. 2. *Quæ ex sacris legibus in maritorum manum convenerant, si hi sine liberis, & intestati obiissent, erant omnium bonorum relictorum dominæ, sin autem liberos habuissent, ex æquo cum liberis participes erant.* Vid. Ulrici Gruppenii opusculum cui titulus *Uxor Romana* cap. III.

EX TESTAMENTO. Cum lapis nullam manium nullamque sepulchri mentionem præferat, eum potius inter tabulas testamentarias, quam inter sepulcrales cippos collocandum opinor.

ARBITR. *Arbitrio*, seu *arbitratu*: triginta ergo millia sestertia arbitrio uxoris, ut in Panviniano lapide, in quo M. *Larcius Pudens* T. F. I. ARBITRIO *Larciæ Fortunatæ Uxoris*.

408.

D. M. S
T. SABIDIVS. PHAEDER
FECIT. PORCIAE. TYCHENI
CONIVGI. BENEMERENTI
SVAE. CVM. QVA. VIXIT
ANNIS. LX. MENSES. III. DIEBV
V. ET. LIBERTIS. LIBERTABVSQVE
POSTERISQVE. EORVM. H. M. H
N. S

409.

D M
∴∵MPIO
ZOZIMVS
PLOTIAE
PHILIOTID
∴∵CONIS
ET CONIV.∵
ƆFNEMER.∴∵
FECIT

N. QVIN-

410.

N. QVINCTIVS. ƆL. COMICVS
SIBI. ET. QVINCTIAE. PRIMILLAE
COLLIBERTAE. ET. CONIVGI. SVAE
VIXI. CVM. EA. AN. XXX

411.

DIIS. MANIBVS
AELIA BONOSAE
VXORI. BENEMEREN
TI FECIT ACILIVS ABAS
CANTVS

412.

D M
HYMNO
::VLIA. EVTYCHIA
CONIVGI. B. M
ET. SIBI. POS SVIS

413.

D M
SERGIAE
QVINTAE
COIVGI

414.

L. IVNIVS ZOSIMVS
SEVLAE. LYCO7DI
VXORI SVAE

415.

CONIVGI. SVAE
B. M. F

409. MPIO. *Olympio*. PLOTIA. Menandri comœdiam, cui titulus *Plotium*, laudat Gellius N. A. lib. 2. PHILIOTIDI. *Philia*, dea est amicitiæ. ƆF idest BE, *benemerenti*.

410. QVINCTIVS. Antiquissimi lapides, atque emendatissimi, æque exhibent *Quintum*, & Quinctum, *Quintium* & Quinctium, *Quintilium*, & Quinctilium, *Quintilianum* demum, & Quinctilianum, itaut utramque scribendi rationem ex æquo fuisse usitatam existimarim. Quapropter irritam omnino censeo querimoniam, quam de Manutiana, atque Lipsiana sententia habuere olim Turnebus, & Dausquius, quod scilicet ab illis CT in Quincto, Quinctiliano &c. approbaretur. Tabula sane *Antiatina*, Augusti ævo insculpta, habet L. QVINCTIO, ut videre est cap. v.

COMICVS. Qui inscripta marmora in Mus. Capit. jamdiu ordinavere, Numerium hunc Quinctium comicam artem exercuisse arbitrabantur, ideoque hoc sub titulo *studiorum & artium* marmor collocaverunt. Verum si N. Quinctius hanc coluisset artem, non *comicus*, sed *comœdus* diceretur. *Comici* namque proprie loquendo sunt comædiarum scriptores: *Comœdi* vero, comædiarum actores. Cognomen igitur fuisse N. Quinctii pro certo habeo: ita in saxo Smyrnæo apud Gutberlethum P. HOSTILIVS. COMICVS. SEXVMVIR. AVGVSTALIS: apud Muratorium COMICVS. ET. AVIOLA; & inter nostra IVLIA COMICE MATER FILIO. Haud dissimulandum tamen marmor a Grutero exhiberi p. 189. in quo L. *Acilius Euthyches archimimus*, *& Parasitus Apollinis*, dicitur *tragicus*, *& comicus*.

411. AELIA. *Æliæ*, cui cognomen fuit *Bonosa*, quodque nunquam repereram, nisi in martyrum fastis ap. Usuardum, & Baronium.

413. QVINTAE. En *Quintam* sine C ante T.

414. 7 Pro RI, nempe Lycoridi: istius siglæ pro RI positæ, nulla apud antiquarios mentio. Lycoridis meretricis, quam Cornelius Gallus elegantissimus vates prope ad insaniam dilexit, meminit vulgatissimis his carminibus Ovidius

Gallus & Hesperiis, & Gallus notus Eois;
Et sua cum Gallo nota Lycoris erit.

CO-

415. CONIVGI SVAE. Insulsus profecto titulus, in quo nec defunctæ uxoris, nec sepelientis mariti nomina enunciantur; itaut ne ille quidem Laberii mimiabus *Sepulchri similis, nil nisi nomen retineo.* anonymæ huic fæminæ accomodari queat.

416.

FVRIO ATTICO
QVI.VIX.ANN.LVI
MEMM.RVFINIAN
CONIVG.B.M.F

417.

L.RVMEIVS.CHRESIMVS
SIBI ET
V BODIAE ZEPHYRE.CONIVGI.ET. F
RVMEIAE.L.F SECVNDAE

416. MEMM. *Memmia Rufiniana*

CONIVG. Quamvis Cicero nusquam *conjugem* de viro dixerit; in inscriptionibus tamen maritum, crebro CONIVGEM appellatum reperimus.

417. V.F. Siglæ istæ, seorsim in tertia linea insculptæ explicantur *Vivus fecit.* Apud Jacobum Mazochium in epigr. Urbis p. 164. & frequenter apud alios SE VIVO, & SIBI VIVVS, MIHI VIVO COMPARAVI, POSVI, FECI. Aliquando Y pro V. Vide Oderici Syllog. & Lupi epit. S. Severæ. Perperam sane Scaliger opinabatur notam V, mulierum nominibus interdum præmissam, prænominis vim apud antiquos obtinuisse.

418.

DIS. M
MALIAE
POTITICE
L.CORNELIVS
IVSTVS
CONIVGI.B.M.F

419.

D. M
CECILIAE
EVHODIAE
CAECILIA.SATVR
NINA MATRI
PIENTISSIMAE
ET.SEX MACRIVS
MITHRES CONIVG
B. M

420.

D M
C.FANNI.C.F
HELLANICI
VIX.ANN.XLVIII.D.XI
NAEVIA TAVRINA
CONIVGI
BENEMERENTI

421.

C.SEPTIMIO T.FANIEN
FVSCO.V.A.XXXVII
STATILIA NICE CON
IVGI
CARISSIMO FECIT

ACI-

422.

DIS · MAN
ACILIAE LVDE . VIXIT : ANN . XXXII
M . ACILIVS HERMES CONIVGI
CARISSIMAE . FECIT CVM QVA VIXIT
ANN . XV . MEN . V . ET SIBI . ET SVIS LIB LIBERTA
BVSQVE . POSTERISQVE EORVM . H . M . E . NS

419. CAECILIAE. Filiæ heic, ante nomen patris, nempe defunctæ viri habetur, quod raro occurrit.

420. HELLANICI. *Hellas* vocatur quandoque Græcia; unde *helladica facultas*, idem est ac *Græca facundia*.

421. T. FANIEN. *Titi filio* ex tribu *Aniensi*, de qua in militaribus num 145.

422. ACILIAE LVDE. Alias *Acillius* dupplici L.

H. M. E. NS, *Hoc monumentum exteros* (nempe hæredes) *non sequitur*.

423.

T. FLAVIV
QVIRIN
ATHENAEVS
QVINTILIAE
VXORI KARISSIMAE

424.

D . M
CATVLINA
EPECTETO
FE . MARITO
BENEMERTI

425.

D : M
PVBLICIA
EXPECTATA FEC∴
SIBI ET CONIVGIS∴
OBEN.M.TI.ET.FILIO
PIISSIMO ET SVI∴

426.

D . M
T . FLAVIO . LIONA∴
T . F . VIX . ANN . XXX∴
FLAVIA . AGELE
C . B . M . FEC . ET . S . P∴

427.

D M
L . FAENIO ARTE
MIDORO . FAENIA
TATIANE . MARITO
INCOMPARABIL∴

428.

D M
L . AIVS . ANICETVS
FECIT . SIBI . ET . IVLIAE
PRIMIGENIAE CON
IVGI . CARISSIMAE
HIC.CVM.ESSET.ANNORVM
LXV.HOC.SEPVLCHRVM.VI
VOS . COMPARAVIT

429.

D . M
EGNATIA FELICITAS
TITVLI . OEPI DEFORO
CONIVGI . BENEMERENTI
FECIT ET SIBI ET LIB LIBER
TABVSQVE POSTERIQV
EORVM

430.

D . M
L . CASSIFELICIS
VIXIT ANNOS
XXVII . MENS
IIII . DIES . XV
VXOR PIENTIS
SIMA CONVGI
BENEMERN
TI . FECIT

431.

DIS MANIBVS
MATTIAE APHRO
DITE V. A. XXX
CVIBVLACCVS ARABVS
CONIVG. KAR. SANCTIS:::

424. FLAVIV. Omiſſa littera S in fine quorumdam nominum, paſſim notatur ſic in noſtris SALVIV, SOTERICHV, FELICISSIMV, STAFYLV.

QVIRIN. *Ex tribu* Quirina.

425. EPECTETO. Male Maffæjus, EPICTETO. Litteræ E tranſitum in I frequenter accidiſſe, pluribus exemplis alibi probavi.

BENEMERTI. *Benemerenti*; per paralepſim (ne dicam per quadratarii inſcitiam) *benemerti*.

426. BEN. M. TI. *Conjugi ſuo benemerenti*.

427. C. B. M. FEC. ET. S. P. *Conjugi benemerenti, fecit & ſibi poſteriſque*.

428. ARTEMIDORO. Ejuſdem nominis antiquum auctorem, qui de monſtris, & ſignis, nec non de ſomniis ſcripſit, laudant Gyraldus, aliique.

FAENIA. Familiæ aut incognitæ, aut ſaltem parum notæ, plurimæ habentur in noſtris lapidibus. Heic FAENIA; in aliis.

Abrena	Arſeja
Acilia	Arulena
Albia	Articuleja
Albuccia	Avidia
Alfia	Avillia
Apuſulena	Baebia
Caedicia	Otacilia
Calvedia	Pacuvia
Canuleja	Paenia
Carinatia	Paſſenia
Caſteliana	Pupia
Caſtricia	Ragonia
Cenicilia	Romania
Centia	Rubria
Clatia	Rumeja
Cuprenia	Sabidia
Dulpia	Sevia
Durmia	Spellia
Fannia	Stertinia
Favonia	Spurillia
Fiduſtia	Tigellia
Geminia	Treblana
Geſſia	Trolia
Laronia	Tuccia
Lochia	Turrania
Mammia	Tuſſania
Manneja	Valcia
Memmia	Vareſidia
Meſſoria	Vettia
Nobia	Vibia
Nummia	Vibidia
Nymphidia	Vilonnia
Obinia	Ulnnia
Obulnia	Ungonia
Orbicia	Voleinnia

429. VIVOS. *Vivus*: migratio litteræ V in O, non ſemel in antiquioribus ſaxis deprehenditur; ſic apud Gruterum, *tolit*, *adlocatus*, *Hercoli*, *conſoles*, *ſont*, *intolerunt*, pro *tulit*,

tulit, *educatus* &c. Quot poſt comparatum ſepulchrum vixerit annos Anicetus, reticet lapis: quamobrem exiſtimandum e vivis ereptum ipſo vertente emptionis anno: ita apud Jacobum Mazochium pag. 164. M. *Valerius Achilleus lictor proximus Laures-Lavinus* AGENS ANNVM AETATIS . LXV . VIVVS . MIHI . COMPARAVI . ET . POSVI.

430. TITVLI. *Tiberio Julio Oepidephoro.* Epidiphrius, *qui ſemper lecticæ inſidet*, effæminatus, mollis. Apud Fabrettum legas *Gaulonium Elpidephorum*, & in Gruteriana *Julium Helpidephorum*.

431. APHRODITE. Veneris cognomentum: ajunt enim Saturnum Cæli patris pudenda abſcidiſſe, quibus in mare dejectis Venerem procreatam, quæ a ſpuma, ideſt ἀφρῳ unde coaluit, *Aphroditæ* nomen accepit.

ARABVS. Deeſt fortaſſe N. ideſt NATIONE, ut apud Bimardum in diſſ. II. a Muratorio edita, in qua

FAVSTVS . N . ARABVS

aut cognomen eſt ut in lapide ejuſdem Muratorii, ubi A . CASTRICIO ARABO, & in hortis Juſtinianæis: FLAVIAE . CHRISIDI . ET . ARABO . AVG . LIB.

KAR. *Cariſſimæ*. K. qnando pro K Græcorum ponitur, expers eſt adſpirationis, & pronunciatur ut C. Hac veteri ſcriptura, quod monet Cellarius, confutantur qui *carus* a χάρις deducunt.

432.

D . M
AELIAE FELICITATI
CONIVGI PIENTISSIM
∴∴RENTI FECIT
∴∴ECTAREVS
∴∴∴∴∴TVS

433.

D M
IVLIA EVI
TAE . C . IVLIVS
CLASSICVS
CONIVG . CA
RISSIMAE
ET DE SE BENE
MERIT . AE
VI ANN. XXX. MEN
:::CIVII EPTATO

434.

∴VX. PR. POSVIT . CONIVGI SVO
∴BENEMERENTI VRSINOQ.
∴VI . VIXIT ANI . SXXXX HVME
∴SEX DI

435.

CORNELIA E
QVARTILIA
AS . MASVS . ⅄G⅄
THS⅄ILA CON
IVGI . SVA . F

D M

436.

D M
SVLPICIAE SELENE
SER.SVLPICIVS.EVTYCHVS
CONIVGI.B.M.FECIT
ET.SIBI.ET.SVIS

437.

D . M
A . CA EDICIO
PHILIPPO . CAE
DICIA . EVTYCIA
CONIVGI . BAEN
AE . MERENTI . FEC.

432. ::ECTAREVS. Fortaſſis Hetareus, ut in Muratoriana *Antonius Hetareus*; aut *Nectareus*, aut apud Gruterum *Clodius Nectareus*.

433. MERIT . AE. *Benemeritæ*.

434. VRSINOQ. Litterarum ordo, atque puncta prorſus erronea, ſic reſtituantur. VRSINO QVI.VIXIT . ANNIS. XXXXIV. MENSIBVS . aut MENSES . X . D . I. Annum *ſexto* caſu; menſes vero *quarto* alibi videbis.

435. ⅄GΑ⅄THS⅄LA. Rudis admodum græcarum litterarum cum latinis ſociatio: diphtongus ſcilicet Græcorum more AI appoſita: L, modo græco, modo latino inſculptum, & H pro HE. Ipſe quidem legendum puto AGATHAISILA, Agathæſila. Urſatus Marm. crud. Ep. VII. aliam adfert, in qua lambda modo eſt L. modo Λ.

L . PΛ . SELLIO PLΛV
TIΛE . TERTVLLAE
:::SEΛI F

Lucio Plauto Sellio Plautiæ Tertullæ :: *Sellii* F. Notatu quoque dignam reor litterarum æconomiam in illud

CORNELIA^{E}
QVARTILIA

ubi Quadratarius, una tantum inter nomen & cognomen ſita E, utriuſque diphtongum (quam omiſit in *ſuae*) explevit, quod neſcio an aliquis antehac animadverterit.

236. SELENE. *Luna*: ita *Panſelene*, plenilunium; *ſelenoides*, lunatus; *ſeleniacus*, lunaticus: hinc apud Barclajum in Argen. *Seleniſſa*. Notandum heic Sulpiciæ nomen utpote latinum, cum latina diphtongo; cognomen vero utpote origine Græcum nec cum græca, nec cum latina inſculptum. Audi Obertum Giſanium præf. in Lucretium. *De Græcis verbis*, inquit, *iiſque omnibus, quæ Græca ſunt origine, ſed Romana prorſus jam facta, recte exarandis, longe alia mihi, quam quæ vulgo, eſt ſententia. Puto ea, quæ in vetuſtis codicibus uno conſenſu, licet Græca, Romano more ſunt exſcripta, itidem a nobis ſcribi debere, ut ſua quæque relinquatur, & vindicetur conſuetudo; quæ autem Romana jam ſunt vocabula, licet Græciæ debeant originem ſuam, non ideo tamen ſcripturam ſequi debent*. Quapropter quadratariorum nonnulli, incerti an Græcorum diphtongo AI, an Latinorum AE, cognomina, Romana jam facta, eſſent exaranda, ſæpiſſime utramque negligebant. Revera inter noſtras inſcriptiones, has habes in quibus nomen latinum cum latina diphtongo, Græcum vero origine cognomen, abſque diphtongo

Liviæ	CHERVSE	*Antoniæ*	THIMELE
Cæciliæ	XENICE	*Cottiæ*	NICE
Juliæ	HALINE	*Matthiæ*	APHRODITE
Juliæ	TYCHE	*Maliæ*	POTITICE
Juliæ	EVPHROSINE	*Arulene*	POTHINE
Rubriæ	GRAPTE	*Troliæ*	BVDE
Aciliæ	LVDE	*Ruſtiæ*	PLOCE

& apud

& apud Reinesium, & Gruterum

Canuleja LAVDICE *Arriæ* PHONE

437. A.CA.EDICIO. A *Cædicio*. BAENAE. Superius parsimonia; heic vero diphtongorum redundatia.

438.

SCANTIA.7.LI
ADEPTA.H.S.E
ARIOCO NIV
GI.BENE.MER

439.

D	M
CL.ZOSI	METI.CL
FORTVNA	TVS CON
IVGI.B.M.F	ET SIBI

440.

L.AVRELIVS.HOMVLLVS
FECIT.SIBI.ET
SONIAE.CIVITATI.CONIVG
CXRISSIMAE.V.A.XIIII.CVM.VIRO.SVO.A.XXIIX.

438. ADEPTA.H.S.E. *Hic sita est*. Forte ADEMPTA. M namque ante P interdum omissam in aliis lapidibus observavi: ita apud Ant. Lupi p.110. REDEPTA pro *redempta*: inter nostras INCOPARABILI pro *incomparabili*. Nomen tamen ADEPTI legitur in emendatissimo lapide, quem Albani in hortis Cajetani Elephantutii S. R. E. Cardinalis amplissimi nuperrime vidi

D M
EVGRAPHO. F
APATE MATRI EIVS
EVGRAPHO NEPOTI
EIVS
ADEPTVS. SIBI. ET. SVIS

ARIOCO. *Ario* CONIVGI.

439. ZOSIMETI. Disertissimus, atque multoties laudatus *Severiani* epitaphii illustrator; plura recenset nomina fœminina, quorum casus rectus desinens in ES, crescit per metaplasmum (ut advertit Reinesius Cl. xx. 114.) in ETIS: ita ex *Agnes*, *Aphrodites*, *Irenes*, *Hermiones*, *Glauces*, *Urbices*, *Eusebes*, emanant secundi casus *Agnetis*, *Aphroditetis*, *Irenetis*, *Hermionetis*, *Glaucetis*, *Urbicetis*, *Eusebetis*. Verum tamen, & alia inveniuntur, in *etis* pariter crescentia fœminarum nomina, quorum tamen casus rectus desinit in A. Sic ex *Juliana*, *Martiniana*, *Feliciana*, oriuntur in lapidibus Christianis secundi casus *Julianetis*, *Mantinianetis*, *Felicianetis*.

Divisi hoc pacto laterculi, intersectaque nomina, in quibusdam aliis lapidibus vidi: nec id arbitrarie a quadratario factum existimo; immo vero ad exprimendam horum conjugum concordiam, atque unanimitatem, ut scilicet legentibus innotesceret Fortunatum, & Zosimetem (qui dum vitam agebant affectione, & charitate mire conjuncti fuerant) post obitum, non *urnas* dumtaxat cineribus, verum etiam ipsos urnæ *laterculos* nominibus communes habuisse.

440. CIVITATI. Apud Reinesium cl.xvi.

D M
HELVIAE
CIVITATI
FECIT
CHAERAEAS MVLIERI
FIDELISSIMAE

VIRO. Quemadmodum in hac Reinesiana,

siana, *Mulieri* pro uxori; ita in nostra, *Viro* pro conjugi, seu marito.

V. A. XIIII. Legendum procul dubio sic: *Soniæ Civitati*, *quæ vixit annos viginti octo*, quorum *quatuordecim cum Viro suo* transegit.

CXRISSIMAE. *Carissimæ*. X. pro A.

441.

D M

METILIE
NICIAE
M. ATILIVS
EPAPHRODITVS
CONIVGI CARISSIMAE
BENEMERENTI FECIT
SIBI. ET. SVIS

442.

D M

MATERNO. CAES. N. VERN. QVI
VIXIT. ANNIS. XXIIII. PVBLICIA
HELPIS. MATER. FILIO. DVLCIS
SIMO. ET. VRSOLO. AVGVSTORVM
SER. CONIVGI. SVO. FECIT. ET. SIBI
ET. SVIS. LIBERTIS LIBERTABVSQVE
POSTERISQVE. EORVM

443.

A. FABIVS. CORNELIAE
A. L. HOSPES. SIBI ET P. L. SILVIAE
CONIVGI. CVM QVA. VIXIT AN. XXX
OLLAE. II. EMPTAE. DE. PTITILENO. ANTPHO

444.

DIS MANIBVS
TI. CLAVDI. AVG. LIB. PROIAE
V. A. LX
FLAVIA. AVG. LIB. HELIAS
CONIVGI. BENE. MERENTI

441. NICIAE. *Victoriæ*.

442. CAES. N. Cæsaris nostri vernæ.

443. P. L. SILVIAE. *Publii libertæ Silviæ*, pro Silviæ P. L.

DE PTITILENO. De P. Titilieno: ollæ nimirum emptæ a P. Titilieno: ita in Inscript. sub num. 218. Lollia Aprilis EMIT DE L. *Cornelio &c.* AREA EMPTA DE L. *Octavio*.

ANTPHO. Forte ANTHEPHORO, *florigero*.

444. PROIAE. *Proianthes* dicitur quicquid primo vere, ac tempestive florescit.

HELIAS. Alibi vidimus *Hellas*, & *Heliades*

445.

D · M · S
CLAVDIAE ZOSIME
P · SABIDIVS AGATHOPVS
FECIT · CONIVGI · CARISSIMAE
BENE · MERITAE
ET · SIBI · ET · SVIS · LIBERTIS
LIBERTABVSQVE · POSTERISQ
EORVM

446.

D M
FABIA MELITE
Q · FLAVIO RVFO
CONIVGI SVO
BENEMERENTI
L · A · F

445. ZOSIME. Zosime nomen secundo casu in ETIS crescens paulo superius animadvertimus: heic in E, ut in recto.

446. MELITE. *Melites*, est gemma mali coloris cydonei.

L. A. F. *Lib ens animo fecit*.

HOC.

447.

HOC . IACET . IN . TVMVLO . SECVRA GLYCONIS HONESTO
DVLCIS . NOMINE ERAT ANIMA QVOQVE DVLCIOR VSQVE
QVE NVCQVAM . TETRICOS . EGIT . SIBI . LVCIS . HONORES
SIT MAGI . LASCIVOS . SVABES . BACCHOQVE . MADERE
SIMPICITATES EQVI . CANTVS . MOLLESQVE . CORONAS
LVSIBVS . IPSA . SVIS . GENERABAT . SAEPE . ET . AMORE
DVLCE . SIBI . NATISQVE . SVIS . QVOS . PVBE . RELIQVIT
CASTOREA . FRATRIS . SVB IMAGINE QVOS GENERAVIT
DIGNA . QVIDEM . ERVI . PERPETVA DE LVCE BENIGNA
SIT . CELERAT . QVO . NOS . FATA . BENIGNA . VOCANT
P . MATTIVS . CHARITON . CONIVGI . B . M . F

SECVRA . Hujus Glyconis filiæ, ac Charitonis uxoris epitaphii in ædibus Marii Delphinii olim extantis, injucundisque plane carminibus orsi, tricas explanare incassum conantur Ligorius, atque Boissardus, quamvis uterque legat IPSA pro *usque* : ERIT pro *egit* : CHOREAS pro *coronas* : QVID EMERVI pro *quidem erui* (ideſt *frui* ut mox dicemus) CELERANT pro *celerat* : SEVERA pro *benigna* : nempe *Fata ſevera*, ut ego quidem Charitonis mentem fuiſſe reor.

SECVRA . *Secura*, Theophiletis medici uxor apud Muratorium.

GLYCONIS . A *dulcedine* nomen, cui ſecundus alludit verſus :

Dulcis nomine erat, anima quoque dulcior uſque.

Glyconem M. Aurelii L. nutritorem invenit Romæ Smetius in ædibus Angeli Colotii. Centuriam Glyconianam commemorat lapis Fabrettianus. Glyconis robuſtiſſimi pugilis meminit Horatius. Glyconis philoſophi, Laertius.

LASCIVOS . *Jocoſos, feſtivos* : laſcivia enim haud ſemper accipitur pro incontinentia, & mollitie, ſed quandoque pro joco ab animi hilaritate procedenti. Horatius 1. Sat. 4.

——— vellunt tibi barbam
Laſcivi pueri

& Virgilius Ecl. 2.

Florentem cythiſum ſequitur laſciva capella.

FRATRIS . Forte *Fratres*, ubi I pro E ut *diſtructus*, *exiat*, *Mircurius*, *pontifix* apud Gruterum : nimirum fratres quos generavit ſub imagine Caſtorea; ſive quos generavit ſub imagine Caſtoris, & fratris ideſt Pollucis; uno verbo quos genuit menſe Junio; compertum namque eſt *Geminos* ſignum eſſe Zodiaci, ſive aſtrum quod XIII. kal. Junii ſol ingreditur : unde Horatii vota pro Virgilio hoc menſe Athenas navigante

Sic te Diva potens Cypri;
Sic fratres Helenæ, lucida ſidera,
Ventorumque regat pater.

Carm. lib. I. Od. 3.

ERVI . Quod ad τὸ ERVI pro FRVI attinet notandum E pro F, non heic tantum reperiri; ſed & inter Reineſianas cl. XVIII. num. 35. ubi EVEIVS pro FVFIVS : apud Ant. Lupi p. 113. EEIICITATIS & EECIT pro FELICITATIS & FECIT. Denique QVEEVIT pro QVAE FVIT, ut apud eruditiſſimum Clementem Blaſium monachum Camald. in Syll. vet. Inſcript. Chriſt. num. 20.

CHARITON . Male Gruterus CHARITO. Ejuſdem nominis diſertiſſimum ſcriptorem noſcimus, cujus fabulam amatoriam e Græco in Italicum ſermonem, animum ſublevandi cauſſa, vertit celeberrimus Chalcedonenſis Arch. Michael Angelus Giacomellius.

CLAV-

448.

CLAVDIAE
APHRODISIAE
VLPIVS . NARCISSVS
CONIVGI . BENE
MERENTI . FECIT
CVM . QVA . VIXIT
ANNIS . XXXVI
SNE . QVERELLA

449.

D . M
P.AVRELIVS.VICTORINVS
ET.C.GRATTIVS.AVGENDVS
FECERVNT.SIBI.ET.AVRELIAE
FORTVNATAE.CONIVGI.ET
LIBERIS . LIBERTIS
LIBERTABVSQVE. POSTERISQVE
EORVM

450.

D M
SILIAE . VENVSTAE
LICINIVS . ONESIMVS
CONIVGI . SANCTISSIME
FECI.CVM.QVA.VIX.AN.XL

451.

D . M
M . MANNEIO
EPAPHRODITO
V . A . LX
MANNEIA
TYCHE
PATRONO IS DE CONIVG
B . M . F

448. SINE QVERELLA. Eum qui ducturus est uxorem, consulente Menandro *in fragm.* alterutrum eligere oportet

Aut gratum vultum, aut bonos mores
Hæc enim concordiam mutuam faciunt.

Nam rara utique inter fratres concordia, at rarior inter conjuges; nil itaque miror Gentiles, uxores honorandi caussa, pacificam atque unanimem cum eisdem vitam traduxisse, in titulis sepulchralibus, tamquam φαινόμενον signasse, quod diversis exprimebant formulis ii

Quos irrupta tenet copula
Divulsus querimoniis
Suprema citius solvit amor dies

ut fatur Horatius lib.1. Od.13. Hinc CVM QVA, vel CVM QVO VIXI, & in aliis passim apud Collectores lapidum.

Sine ulla offensa
Sine ulla discordia
Sine ulla lite.
Concordissime
Sine bile
Sine ullo jurgio
Sine controversia
Sine stomacho
Sine ullo discrimine
Sine ulla animi læsura
Dulciter sine querela
Sine ulla iracundia
Sine lite molesta.

Concordiam maritalem describit Ovidius, qui de Baucide, & Philemone sic cecinit

Sed pia Baucis anus, parilique ætate Philemon
Illa sunt annis juncti juvenilibus, illa
Consenuere casa, paupertatemque ferendo

Effe-

Effecere levem: nec iniqua mente ferendam.
Nec refert dominos illic, famulosve requiras,
Tota domus duo sunt, iidemque parentque, jubentque.

Hactenus elegantissimus vates Metam. lib. VIII.

448. FECI. Non me latet (utinam lateret!) ab amerimoro quodam lapidum antiquorum Interprete, hæc sic perperam enucleari nimirum:

CVM QVA FECI, *quæ* VIXIT. ANNOS. XL

At ubi τὸ FECI sociatur formulæ CVM QVA, nunquam legitur *feci cum qua*, quod ineptissimum foret; sed *cum qua feci*, idest *vixi*. Itaque sic procul dubio (juxta tritissimam horum verborum syntaxim) legas: *Licinius Onesimus* sepulchrum *feci Siliæ Venustæ conjugi sanctissimæ, cum qua vixi annos quadraginta.*

449. PATRONO ISDE CONIVG. *Patrono isdem conjugi: item*, sive ET conjugi, ut in sequenti.

452.

DEMETRIO
AVG L. FECIT
CLAVDIA
NYMPHE
CONLIBERTO
ISDEM
CONIVGI
CARISSIMO
DE SE
::::::::RENT

453.

C CLAVDIVS DAPHNVS VAL



CONTVBERNALIS.CONIVGI.FEC

452. DEMETRIO. Demetrius idem ac Cerealis. Ceres enim, *Demetria* cognominabatur; unde *Demetriaca*, Cereris festa: *cerealia*.

453. VAL. Non *ex tribu Valeria*; quæ nunquam extitit; nec *Vixit annos quinquaginta*, uti quidam sunt interpretati, sed potius domo *Valeria*, Hispaniæ Tarraconensis urbe de qua Plinius. Uxoris nomen, quæ C. CLAVDIO *conjugi suo* fecit, ignoratur, forte quod Epitaphiographus neglexerit, quod & in aliis persæpe animadvertimus. Ita apud Ant. Lupi p. 107.

EVTYCHATI SOROR
B 7 M 7 F 7

Neglectum pariter nomen defuncti habetur in sequentibus lapidibus, quorum alter extat in museo Kircheriano hujusmodi

D
FLAVIA. MARCIA. ET. EC
NATIVS. LVCIVS. PATRI
VENEMERENTI. FECERV
NT. VIXIT. ANNIS. XXXX.

Alter in museo Capitolino inferius.

D , M
COIVGI BENEMEREN
TI FECIT - EPICONE

in illo *Patris*, in isto *Viri*, ut vides nomina desiderantur. Suppressa demum & sepulti, & sepelientis nomina, notavit in saxo ex cœmeterio S. Urbani effosso, laudatus epitaphii Severiani illustrator p. 106.

FILO SAPENTI

idest *Filio sapienti*: ita inter nostra

CONIVGI SVAE
B. M. F

quo profecto nil frigidius.

454.

DIIS MANIBVS
SEXTILIAE
POTITAE
GENESIACVS
IMP. NERVAE
TRAIANI . AVG
GERM . DACICI
CONTVBERNALI
BENEMERENTI FECIT

GENESIACVS. Sive Genethliacus: ad natalem pertinet; ita *genesia*, dies natalitius; *Genesis*, origo. Deest heic vel L. *libertus*, vel S. *servus* ut in aliis.

GERM DACICI. Vide tom.I. not. ad inscript. num.83.

CONTVBERNALI. *Uxori*. Servorum enim non nuptiæ, sed contubernium. *Cum ancilla* (l.3. de inceſt. nupt.) *non poteſt eſſe coniugium, nam ex hujuſmodi contubernio, ſervi naſcuntur. Servi ob violatum contubernium ſuum adulterii crimine accuſari non poſſunt.* At res hæc eſt adhuc obſcura nimis. Permultas etenim heic poſſem inſcriptiones adducere, in quibus Servi titulum, ſeu denominationem conjugum palam aſſumere minime dubitarunt. Plautinæ *Caſinæ* prologus hæc illuſtrat.

Quæſo hercle quid iſtic eſt? ſerviles nuptiæ?
Servine uxorem ducunt? aut poſcent ſibi?
Novum attulerunt, quod fit nuſquam gentium.
At ego ajo hoc fieri in Græcia, & Carthagini,
Et hic in noſtra terra, in Apulia
Majoreque opera ibi ſerviles nuptiæ,
Quam liberales etiam curare ſolent.

455.

D ❦ M
ROMANAE CONIVGI
bENEMERENTI FECIT
NYMPHICVS CONS
C Λ . X . S

456.

D M
SPERATAE . CON
GI . CARISSIAEQ
VIXIT . ANNIS . XXV.
AVRELIVS . PRIMVS
BENEMERENEI . FECIT

455. CONS. Conſervus: ſic infra *Celtiber conſervus conjugi*. Conſervi dicebantur qui in eadem domo, cum aliis, eidem Domino ſerviebant. Cicero ad Caſſium *conſervo ſervimus*. Hinc conſervitium in Plauti *Captivis* Act. II. ſc. I. Philocrates Tyndaro

—— *qui herum me tibi fuiſſe, atque eſſe nunc conſervum velint*

Quod antehac pro jure imperitabam meo, nunc te oro per precem,
Per fortunam incertam, & per mei te erga bonitatem patris,
Perque conſervitium commune, quod hoſtica evenit manu,
Ne me ſecus honore honeſtes quam ego te cum ſerviebas mihi,

Hinc

Hinc etiam *conserva*, ut apud Terentium in Eunucho Act.II. sc.3. ubi Chæreas Parmenoni

——— *summa forma semper conservam domi Videbit, conloquentur, aderit una in unis ædibus.*

unde *conservabus* pro *contubernalibus* in Calvini *lexic. jurid.* nempe ex *conservis* fæminis, è quibus fuisse quamdam nomine Lacænam, tradit Gorius Tom.II. pag.72.

AGATOPVS LACAENE CONSERVAE

C. λ. X. S. Jocum quadratarii has notas reor; nihil enim significant. Muratorius ponit A. H. pro λ. X. nec siglas explicat.

454. CONGI. *Conjugi carissimæ quæ* &c.

457.

D · : · M
:::W GNIAE LETAE VIX
∴NNIS XXXMVI
∵VIII FECIT. QCOTTI
∴LAEMENS CONIV∴
∵INCOMPARABILI

458.

DIS. MANIBVS
VARIAE. PRISCILLAE
HESPER. NYMPHIDIAE
CONIVGI. SVAE
BENE. MERENTI. FECIT
VIXIT. ANN. XXI.

457. W. *Magniæ*, quod & nomen fuisse Urbicæ Augustæ, Cari, ut nonnulli opinantur, aut Maxentii, ut suspicatur Occo, uxoris, nemo est qui nesciat.

LAEMENS. Q. *Cottius Clemens*: nec nova diphtongus, pro E simplici; nam apud Gruterum PRAECIBVS, PRIDIAE, AEVOCATVS, CAELERI, SAENECA, VERAECVNDA, QVIAETI; in nostris AEORVM, BAENAE, AELPIS, ARCHAELAIS.

NCOMPARABILI. *Incomparabili*. N pro M ante P notavi in CONPRESA, idest *comprehensa*, INPENSA, CONPARAVERVNT; & in epitaphio Severiano p.154. INCOMPARABILE

459.

DIIS. MANIBVS
C. MAECIO PHILETO
VIXIT. ANNIS. LX
CLATIA. RHODINE
CONIVGI. SVO BENE
MERENTI. FECIT. EI. SIBI
ET SVIS

460.

DIS. MANIB
MVCIA VENERI
FECIT CONIVG
SVO C. IVLIO
SEVERO BENE
MERENTE

459. EI. *Et*, I pro T, quod & alibi vidimus: ita apud Ant. Lupi p.115. & Philipum Bonarotam (*vetr ant.*) p.17. IHALVSA, SIATILIA pro *Thalusa*, *Statilia*. Item in nostris VIXII pro vixit, IIIVLVM pro *titulum*.

460. VENERI. *Veneria*. BENEMERENTE, *benemerenti*. E pro I. Sic inter marmora Gruteri AVGVSTE, LEPIDE, HELPIDE, SIBE, pro *Augusti*, *Lepidi*, *Helpidi*, *sibi*. Hæc ortographiæ inconstantia satis probat antiquos marmorarios in sepulchralibus titulis exarandis, haud magnam diligentiam curamque adhibuisse.

SEX

461.

SEX . VENELIVS
DIONYSIVS
IVLIAE PRIMIGENIA
CONIVGI SVAE.PIISSIMA
ET.SIBI.ET.SVIS.FECIT

462.

D : M
APPIAE FORTVNATE
C . CALPVRNIVS
HERMES
COIVGI SVAE
FECIT

463.

D . M
VAL . PROCLAE
FECIT
L . VAL . PISO
CONIVGI
BENE. MERENTI.

464.

D . M
L . NONLO
EVTYCHETI
FEC . SEIA . EVRESIS
CON . BEN . M . R

461. PRIMIGENIA . PIISSIMA . Quare ab epitaphiographo neglectum E in *Primigeniæ*, & in *piissimæ*, nemo hercle declarabit: censendum utique titulum hunc dormitando exarasse.

464. NONLO . *Nonio*

EVRESIS . *Euresiologia*, solertiam significat in inveniendis proferendisque verbis. Apud Gruterum & Muratorium Julia *Euresis*; Calpurnia *Euresis*, & Julia *Heuresis*, Aquilia *Eurhesis*.

CON . *Conjugi* . BEN . M . R . *benemerenti* . ut τὸ CONIVGI, ita vocem BENEMERENTI, multifarie inscriptam in nostra præsertim collectione advertimus; quare existimo hæc, quadratariorum arbitrio, sepulchralium titulorum auctores omnino reliquisse.

465.

AVRELIAE . TV.·.·
QVAE VIXIT . A.·.·.
MAVRELI.·.·
FECIT C.·.·
.·.·ME.·.·

TV.·.· Aureliæ cognomen, atque ætas exciderunt: forte TVCHENA, ut apud Gudium *Aurelia Tuchena* M. *Licinii Valentis mater*, aut *Tucciæ*. A:: *annos* . MAVRELI . M. *Aurelius* . C . *Conjugi* . ME . *Benemerenti*, vel *Merenti*.

D. M.

466.

D · M
TVRRANIAE
PAEZVSAE
SEXTVS AVONIVS



EPAPHRODITVS
CONIV . SVAE
B . M

Alteram cippi partem emit Sex. Avonius; alteram Epaphroditus, uterque ut in eo uxoris ossa conderet: ex quo trita illa sepulchralis formula PRO PARTE DIMIDIA. mire elucidatur. Attamen de his perspicius Cap. VIII.

467.

:::S::CCESSAE
VIX.AN.XXXIV.M.XI.DX
TITIAE EVTYCHIAE
VIX.A.V.XII.M.III.D.VIIII
TITIO AGATHOPO
CYRIO VIX.ANVIIII
M.III.D.XXVI AGATH
OPVS CONIVGI
CASTISSIMAE ET
FILIS DVLCISSI
MIS FECIT

468.

DIS MAN
IVNIAE
STENNO
L.IVNIVS
MARTIALIS
CONIVGI
B.M.FEC

469.



D M
VLPIAE FELICIS
SIMAE.QVAE VI
XIT.ANNIS.XIIII
MENSIBVS . XI
DIEBVS.III.M.VL
PIVS.MARVLLVS
LIBERTAE.ETCON
IVGI.DVLCISSI
MAE.BENEMEREN
TI . FECIT

467. SVCCESSAE. In quarta linea, ubi VIX. A. V. XII. lege VIX. AN. XII.

CYRIO. Nempe CVRIO ex nominat. *Curius*; alias, si ex nominat. *Curio*, tunc tertius casus foret CVRIONI. Y pro V videre est in *inlysfria*, *iyxta*, *Satyrni*, *Tyscia*, *Centyria* apud Gruterum aliosque.

468. M.VLPIVS MARVLLVS; Idem fortasse, qui VLPIAE GRATAE MATRI SVAE urnam dedit, ut videbis Cap. VII.

VIXIT. ANNIS. XIIII. Commiseratione sane dignus MARVLLVS hic noster, qui dulcissimam uxorem tam immatura morte peræm-

ræmptam amisit. Corona in urnæ tympano effiἑta, ut plurimum Virginem, aut uno contentam viro viduam indicat. Ast Ulpiam, nec innuptam fuisse, nec viduam, ex ipsa epigraphe liquet. Quare non mihi incredibile Ulpium Marullum coronæ ornamento tam charæ uxoris pudicitiæ honorem præstare voluisse. Compertum revera est antiquos, puellas integræ famæ, vi corruptas, ita & pudicas uxores nonnunquam Virgines appellasse. Hinc Virgilius Pasiphæn, quæ tamen

—— *nivei solatur amore juvenci*

infelicem *Virginem* appellat

Ah virgo infelix! tu nunc in montibus erras.
Ille latus niveum &c.

Ita Terentius in Adelph. Act. 4. non semel virginem vocat mulierem quamdam, etsi jam ab Æschino vitiatam. Athenis demum Hyacinthidas Erechthæi filias, *virgines* fuisse appellatas, quamquam virorum concubitu haud abstinerent, testatur Cicero de Fin. lib. v. Ita Homoneam, Atimeti uxorem, inter Puellas enumeratam mox videbimus. Porro Virgo interdum etiam pro muliere habetur apud Calvinum in Lexic. jurid. Sed id abusivè: mulier enim nupta, nonnisi per hyperbasim *Virgo* dicebatur. Vid. quæ de hac re dicta sunt sup. num. 390. Hanc vero quam Ethnici etiam nuptis asciverunt virginitatis prærogativam, nos jure meritoque soli DEIPARAE tribuimus; quæ licet alligata viro, immo *enixa puerpera regem*, ante partum, & post partum Virgo vere permansit.

470.

D M
ARRIAE ONFALAE
ARRIVS FARVS ET
..I CLAVDIVS . STAFYLV
CONIVGI . B . M . FECERVNT
::IB . LIBERTABVS . POSTERISQ
::ONATIO . DATA PARTIS DIMIDIAE
MVMIO . FORTVNATO

471.

AVRELIA . APRODITA
AVRELIO CAPITONI
POLITIANO CONIVGI
DVLCIS.SIMO FECIT

472.

D M
LVCCIAE REDEMPTAE . VIXIT
ANNIS . XXXXV
N . CASSICIVS . PHOEBVS . FECIT
CONIVGI . BENE . MERENTI . CVMQVA
VIXIT ANN . XXXVIII . ET . LIBERTIS . LIBERTA
BVSQ . SVIS . POSTERISQ . EORVM

470. STAFYLV *Staphylus*. Vid. supra num. 421. Muratorius male L. MVNIO, pro MVMIO, cui nullum prænomen.

DONATIO. *Donatio*: ita apud Gruterum *donatio data partis dimidiæ*.

471. APRODITA. *Aphrodita*. Sic apud eumdem PILVMENA, EPAPRA, PILARGYRVS, POSPHORVS, SPERISTERIVM, ubi simplex P pro PH. quod & nuper vidimus in ONFALAE, in FARVS, in STAFYLV, & alibi in STEFANO.

DIS

473.

DIS. MANIBVS. PIIS. S
O. OCTAVIVS. MEMOR
OCTAVIAE NEBRIDI CONIVCILI LIBERTAEO.
CONDITA NEBRIS HABES TITVLVM QVEM
SOLA MERERIS. OCTAVI MEMORIS
CONIVX QVAE VERA FVISTI ELYSIOS
PRECOR VT POSSIS INVADERE CAMPOS
MATRONAMQVE COLAS DITIS PL
:::OVE PRECERIS DET SEDES VT:::
::::::::ASMERIITOSQVE::::
:::::::::::::::E VS VT:::::::::::

CONDITA. Carmina quæ heic habentur, ſic lege

Condita Nebris habes titulum quem ſola mereris
Octavi Memoris conjux quæ vera fuiſti;
Elyſios precor ut poſſis invadere campos
Matronamque colas Ditis placidamque preceris
Det ſedes, *ut* amica *pias meritoſque* receſſus
Ac ſinat umbrarum *Deus*, *ut* loca Sancta frequentes.

Sic lacunas implevit eruditiſſimus Bonada cl. IX. non equidem *iratis*, ut ipſe inquit, *muſis*; immo vero ſecundis, ipſoque afflante Phæbo.

MATRONAMQVE. Ditis Matronam, *Proſerpinam* fecerunt antiqui. Obſervandum in hoc lapide O bis pro Q. in Octavii Memoris prænomine, & in *Libertæq.* Item in nona linea OVE pro enclytica QVE. Ita in ſaxo, a Grutero atque Fabretto mendoſe, ab Ant. Lupo vero emendatiſſime vulgato pag. 113.

LIBERTABVSOVE. POSTERISOVE pro *libertabuſque*, *poſteriſque*. Male hinc Muratorius C. OCTAVIVS. Male Vignolius Q, & PRECE BIS; perperam bis uterque QVE pro OVE; forte quia O pro Q nunquam in ſaxis viderant, putabantque marmorarii fuiſſe mendum.


NEBRIS. Iſidoro *Nebris* eſt corium Dianæ. *Nebrides* enim damarum, ſeu cervorum pelles, quibus uſi ſunt aliquando veteres in Bacchi ſacris.

CONIVCI. C pro G, quod ubique erratum fuiſſe Quadratariorum haud exiſtimo, cum etiam in ſaxis diligenter inſculptis aliquando legatur *Vercilia*, *Acro*, *Cemina*, *Aucuſtalis*, *Maciſterium*, *Primicenius*, *Carthacinenſes*, pro *Vergilia*, *Agro*, *Gemina* &c.

MERIITOSQVE. De conduplicato quandoque in antiquis marmoribus elemento I, ſuperius ſermonem habui. In ſequenti ut vides, BENI *merenti* pro BENE *merenti*.

PIIS *Benignis*: ſic *pium*, *& pudicum ingenium* apud Terentium. *Quæ defendam* ait Cicero, *a te piè fieri & humanè*.

474.



475.

D. M.
CLAVD.MYROIIDI
FECIT CLAVDIVS
FRONTO.CONIVGI
B M

474. Legas, si quid video, VLPIO BARBARO CONIVGI.

BENIMEREN. *Benemerenti*. I pro E ut in FICIT pro FECIT: sic in lapidibus a Grutero vulgatis PONTIFIX, QVERILLA, ARIOLA, CRISCENS, ARDIATINA, CINIRARIVM pro *pontifex*, *querela*, *areola*, *Crescens*, *Ardeatina*, *cinerarium*. In ultima linea legendum puto INFERENDIS. Alibi legimus *ossa inlata*, & apud laudatum marmorum collectorem hæc habentur formulæ: *Si quis alienum hic corpus* INTVLERIT. *In hoc monumento per ædiles* INFERRI *licebit*. In hoc *sepulcrum sive servus*, *sive liber*, INFERATVR *nemo*. Si vero mavis INVEHENDIS, non renuo cum pag. 672. legatur apud eumdem: *si quis* ... *corpus alienum* INVEHERE *velit*, *dabit pœnæ nomine* &c. CLAVD. *Claudiæ Frontonis conjugi*.

475. MYROIIDI. Heic I conduplicatum pro j longo. Binas has inscriptiones ann. 1774. ad S. Agnetis *extra muros*, ut vulgo ajunt, repertas, mihi largitus est non semel laudatus Dn. Victorius Carlevati.

476.

D M
COIVGI BENEMERN
TI FECIT.EPICONE VIX
ANNIS XL.M.II.DXXV

477.

D. M. S
P. MESSIO GAVDIO
MESSIA. EXOCHE
CONIVGI CARISS
MO

477. EXOCHE. *Eminentia*, sive *excellentia*.

DIS

478.

DIS . MANIBVS	TI . CLAV.·.·
PLAVTIAE	BACCHY.·.
IDES	CONIVGI
VIXIT ANNIS XXV	CARISSI.·.
	.·.IT.·.·

480. TI . *Tiberius Claudius Bacchylus* . In lapide vero Gruteriano habemus *Bacchylum* Tiberii Claudii libertum. :::IT , *Fecit* .

479.

DIS MANB *sic*
L . ARRVNTIO . HERMETI CONIVGI
CARISSIMO ET BENEMERENTI . ET
M . CORNELIO . VICANO . FIL . SVO DVLCISSIM
CARTILIA . MATERNA . FEC . ET . SIBI . ET . L . ARVNTIO
HILARO L. COGNATO SVO LIBERTIS LIBERTABVSQVE SVIS POST
ERISQVE EORVM

INFP INAG — XIX XII

HOC MON HER NON SEQ

COGNATO . *Naturalis cognatio* , *inquit* Brissonius , *est communio sanguinis* , *quam habent ii inter se* , *qui ex eodem progenitore orti* , *quasi rivuli* , *ex eodem fonte deducti dimanarunt* . *Civilis autem* , *quæ per adoptionem contrahitur* , *non sanguinis* , *sed juris communio est* . Ulpianus autem : *Cognati appellati sunt quasi ex uno nati* , *aut* , *ut Labeo ait* , *quasi commune nascendi initium habuerint*. Cognatam conjugem memorat lapis apud Manutium in ortogr. p. 116.

Q. CAECILIVS
FECIT . SIBI . ET . CAECILIAE . COSMIAE
COGNATAE . CONIVGI . DE SE BENEMERITAE

Quot habeat vox ista *Cognatus* significationes docet in *lexic. jurid.* Calvinus , quem adi .

INFR . INAG . *In fronte* pedes XIX . *In agro* pedes XII.

480.

DIS . MANIB
D . IVNI . COS . MI . FECIT
MELETE . CONIVGI . SVO
BENE . DE . SE . MERITO

480. D . IVNI . COS . MI . Decii Junii *Cosmii*. Nominat. *Cosmius*, ut ap. Grut. CAECILIVS COSMIVS. *Cæciliam Cosmiam* sup. laud.

MELETE . *Meleta* , meditatio ; seu *mnemo*, memoria . *Meleterium* , locus meditationibus destinatus .

481.

AVRELIA
MARCELLA . FECIT
DONATO . AVG . N .
BERNAE MARITO
BENE . MERENTI

482.

DIS . MANIBVS
TYCHE
VIX.ANN.XX.
::ANTI.NH::STIC:::
ET MVMMIAE
NIGRINAE
FEC.CELTIBER
CONSERVVS
CONIVGI CARISSI
H S.E.STTL
D.V.I.MAR.ID.XIII.CO

483.

D M
SECVNDINAE
CARISIVS
ADAVCTVS
CONIVGI
BENE.MERENTI

484.

:::::::::::::::.M
:::.IDIO . Q . L
::::::::AANO
:::.AN . LXXXX
:BIDIVS PRIMVS
::::::.CARISSIM
:::T:::

LIVIAE PHYLLIDI
Q . SABIDIVS
VRBANIO CONIVG
CARISSIMAE
BENE . MERITAE

481. BERNAE. *Vernæ*: nempe *Augusti nostri vernæ*. Male Vignolius MARCILLA.

482. TYCHE. Legas *Antistius Rusticus* fecit *Tycheni* (forte uxori) *quæ vixit annis* XX. Et *Celtiber conservus fecit Mummiæ Nigrinæ conjugi carissimæ, quæ hic sita est*

D.V.I. Quisquis hæc enucleabit, mihi magnus erit Apollo. Muratorius scripsit MAR pro NR, & COS pro CO: varia tamen ista lectio ad arcanas has siglas (quas erroneas puto) declarandas, nil prodest.

484. IDIO. *Sabidio*: sic in alio laterculo Q. *Sabidius*, qui vixit annos nonaginta, quos nemo illorum qui in nostris saxis memorantur, attigit; præter quamdam Voluminiam nutricem, quæ vixit annos CV.

::T. *Fecit*.

485.

SEPTIMIA . DIONISIAS IVS LIBERORVM . HA
BENS IN HAC CVSTODIOLAM PELADIAN.:.
CVM EDIFICIOLO.ET.MONIMENTO.QVT
DE FRVGALITATE MEAM.FABRICAVI.A
SOLO MIET.CONIVGIMEO.AVG.LIB.TITOET.FILIS
MEIS SETIMIO.VENERIO.ET SEPTIMIE.E FESIE
ET IVBEO.NEDENOMINE MEO.EXCIDAT QVO D
SI QVIS ERVPERIT.LEGEM PRETERITI MEI.
POENE NOMINE INFERIET . Ꝺ . L MILIA . LIBER . LIB . POS . AEORVM

IVS LIBERORVM. Jus *trium* liberorum, originem habuit a trigeminis Horatiis, in quorum gratiam statutum est, ut quibus trini essent liberi, cum ex publico illi alerentur usque ad pubertatis annos, patria potestas tribueretur sine onere sumptuque educationis: hanc legem suo quoque ævo observatam refert Dionysius A.R. lib.II. Deinceps Q. Numidius Censor constituit Ancillis quæ tres peperissent, vacationem dari; quæ quatuor, libertatem: id postea confirmatum est a J. Cæsare, & ab ejus successore Augusto.

ſto. Lex vero Pappia Poppæa decrevit ut qui, quæve tres liberos ex juſto matrimonio ſuſcepiſsent, iis plurima præter cæteros concederentur, veluti ut Viri excuſarentur ab omnibus civilibus muneribus, quæ patrimonii non eſſent. Hoc ſibi jus & Voconio Romano, & Svetonio Tranquillo, a Trajano Plinium impetraſſe colligitur ex ejuſdem Plinii Epiſtolis, nempe lib.II. ep.13. & lib.x. ep.2. & 95. Mulieribus vero eadem lege vivo patre teſtamentum condere, remque ſuam ſine Tutorum auctoritate adminiſtrare concedebatur. Laudatus Hiſtoricus de hoc, modo trium, modo quatuor liberorum jure, mentionem fecit in Claud. cap. 19. & in Galb. cap. 14. Adi Jo. Calv. in Lex. jur. Trium igitur, aut quatuor liberorum jure fruebatur Septimia noſtra Dionyſias; quamobrem arbitrariam omnino teſtamenti componendi factionem habeat. Vide Senatuſconſultum Tertullianum, ſeu Tertillianum in Inſt. 3. tit. 3. & ſeq.

CVSTODIOLA CVM EDIFICIOLO. Ex his liquet Monumentum a Septimia Dionyſiade fabricatum, pluribus concameratis cellulis conſtitiſse. Cuſtodiola ad libertos ſepulchri cuſtodes pertinebat: cuſtodiam namque Libertis traditam teſtatur inſcriptio Fabrettiana

CHARITO LIB PROC	CVSTODIAE SEPVLCRI

confirmant Appiani verba de B. C. lib.4. ubi Libertum quemdam ſepulchri Domini ſui cuſtodem laudat: *is*, inquit, *ſepulchrum Domini ſui cuſtodiens, herum proſcriptum in eodem ſepulchro cum parente una ſalvos tenuit*. Ita Firmicus lib. III. cap.9. *Pollinctores*, ait, *ac funerarios, mortuorum cadaverum cuſtodes, ac ſepulcrorum faciet janitores*, & cap.26. *Monumentorum faciet cuſtodes veſpillones*. Hoc equidem cuſtodiendi ſepulchra officium, etiam hiſtoria Eccleſiaſtica commemorat; nam de S. Leone I. legimus ſepulchris Apoſtolorum cuſtodes adhibuiſſe, quos CVBICVLARIOS appellavit. At ut ad Ethnicos redeamus, nemo ſepulcrales ignorat enunciationes a Fabretto relatas C. v. ubi HVIC . MONVMENTO . CEDIT. CVSTODIAE. CAVSA.; & MINDIA. TYCHE. FECIT. &c. cum AEDIFICIO. ET. TABERNA. CVSTODIAE. TVTELAEQVE. CAVSA: & p.352. AELIA. CHRESTE. CVSTODIAM. FECIT. MONVMENTI. INHABITANDI. CAVSA. Inanis hujuſmodi deſiderii complementum ætate noſtra quodammodo animadvertimus, quoties innumera illa Ethnicorum ſepulchra viarum præſertim Appiæ, Latinæ, & Oſtienſis in ruſticas domunculas converſa, atque ab agri Romani villicis inhabitata, intuemur.

PELADIAN. Nomen fortaſſe fundi ubi monumentum extaret, ut RVS TERMINIANVM ab *Antio Terminio* apud Ligorium, quem laudat Vulpius lib. v. Tom.3. *Lat. Vet.* Sic apud Donium fundus *Larcianus*, prædia *Helvidiana*, poſſeſſio *Roſciorum*.

DE FRVGALITATE MEA. Ideſt TEMPERANTIA, *quam Græci*, inquit Cicero Tuſc. lib.1., σωφροσύνην, *ego vero ſoleo tum temperantiam, tum moderationem, nonnunquam modeſtiam appellare*. Septimia ergo *de frugalitate ſua* (æconomia ſcilicet, ſive parſimonia, quam laudatus Orator magnum vectigal in Parad. exiſtimabat) uno verbo *pecunia*, quæ ob cautam providamque rei domeſticæ adminiſtrationem ei ſupererat, monumentum a ſolo fabricavit. Ita ex Fabretto cap. III. pag. 122.

D . M
SEMPRONIO DONATO HOMIN
FRVGALISSIMO . QVI . VIXIT . AN
NIS . LXV . MENS . II . DIES . V . HOR . VII
CVIVS . FRVGALITATI . HERES . MA
XIMAS . GRATIAS . AGET . AMPLIVS . MEREN
TI . HERES . HONORABIT

De prudenti providaque muliere, hæc in parabolis Salomonis cap.31. *Quæſivit lanam, & linum, & operata eſt conſilio manuum ſuarum... De nocte ſurrexit deditque prædam domeſticis ſuis, & cibaria ancillis ſuis. Conſideravit agrum, & emit eum: de fructu manuum ſuarum plantavit vineam... digiti ejus apprehenderunt fuſum* &c. Verumtamen

Rara avis in terris, nigroque ſimillima cycno.

A SO-

A SOLO. *A fundamentis*. Ita monumentum omnino novum, nulloque accepto cadavere funestum, *Virginem* vocabant. Apud Fabrettum cap.1.pag.53.num.398. Aurelius HERMES, & Claudia Secunda HOC.MONVMENTVM.VIRGINEM.SE.VIVI.COMPARAVERVNT. & num.309. M. Aurelius Domitianus SE.VIVVS.EMIT.ET.COMPARAVIT.FOCVM (sic enim recte apud Lupum, non LOCVM, ut apud Gruterum, & Fabrettum) VIRGINEM; item num.307. COLVMBARIA.XII.IN.QVIBVS.OLLAE.VIRGINES.N.XXIIII. & in mus. Kirck. MONVMENTVM. VIRGINE.CVM.TERRVLA.PVRA. Muratorius recte in textu scripsit A SOLO; in notis vero SOLI MI, explicavitque SOLI MIHI. Quomodo *soli mihi*, si & *conjugi* Tito, & *filio* Septimio Venerio, & *filiæ* Septimiæ Ephesiæ, & *libertis libertabusque posterisque* eorum? Legendum procul dubio: *monumentum quod fabricavi a solo, mihi, & conjugi meo Tito &c.*

PRETERITI MEI. Adde diphtongum, quam nostri marmoris scalptor ibi tantum posuit, ubi erat prætermittenda nempe in AEORVM, quod etiam in aliis saxis deprehendimus.

Præteriti dicebantur non mortui dumtaxat, ut apud Propertium lib.2. El.14.

Fas est præteritos semper amare viros.

sed & qui in petitione magistratuum repulsam habebant. Item liberi qui a testatore neque heredes instituti, neque ut oportet exhæredati sunt; unde Cujacius ad lib.1. & 2. ff. de lib. & posth. præteritos nominari docet, quasi silentio omissos, ita ut liceat eis legata quædam, aut fideicommissa relicta sint, nihilominus præteriti dicantur. Præteriti insuper a Matre, pro exheredatis habentur: denique præteriti vocantur qui post compositum testamentum nascuntur, si post eorum editionem mutandi testamentum liberum spatium mater habuerit, nec mutaverit. Hæc Jurisconsultorum verba prænotavi, ut nostræ barbare loquentis feminæ voluntas aliquomodo percipiatur. Cæterum quid per illud *Præteriti mei* innuere excogitaverit, e verborum contextu hauriri nequit. Fortasse paraphrasis hæc est: *Si quis*, aliquem ex iis, quos in meo Testamento *præterii*, in hoc monumento condiderit, *inferet pœnæ nomine sestertia* L.MILIA arcæ, vel collegio Pontificum, aut ærario populi Romani: earum formularum exempla alias attulimus: alteram accipe ex Grutero

SI QVIS HOC SEPVLCHRVM
VENDERE.VEL.CORPVS.ALIENVM
INVEHERE VELIT. DABIT. POENAE
NOMINE.ARCAE.PONTIFICVM H S.C

ꝺ. Sestertia siglis HS, & HS signata passim reperimus; sigla vero ꝺ (quam modo *domum*, modo *dies*, interdum *dicit*, significare innui Tom.I. p.51.) nunquam. Muratorius nec HS. nec HS, ut communiter, neque tandem ꝺ ut in nostræ inscriptionis autographo, sed funestum illud theta θ, de qua heic intempestive apposita nota, aliquid saltem promere debuisset. Ast doctissimum eruditissimumque Muratorium, facilia enodare, difficilia (*temporis parcum*) prætermittere consuevisse, neminem profecto latet.

D M

486.

D . M
MEVIAE.L.F
HERMIO
NE QVAE VI
XIT.ANN XXII
MENS.VIIII.L.TV
TICASIVS.FIRMVS
CONIVGI.BENE.M
FECIT

487.

D . M
LICINIA VITALIS
FECIT . LICINIO .
AVRELIANO.FOR
TVNIO . BENE .
MERENTI . COIVGI
CVM QVO VIXIT .
ANNIS . XXII

488.

Q.CAECINICO
IILVIA.EROT.:·
CONIVAI.:·

489.

D . M
SERVILIΛE ΛCTEVI
XII ΛNNOS . L . ΛΛ . III
D . XXVIII . BEN . ME .
CON . M . VLP . ORES
TES . ET . FILI .

490.

D M
ALFIAE CRATIAE
CONIVG
B . M . FEC
ALFIVS DIDYM

486. TVTICASIVS. Forte *Tuticanus* ut in tribus Gruterianis.

488. IILVIA. *Helvia Erotis*, sive *Erotia*.

CONIVAI. *Conjugi amantissimo*.

489. ΛΛ. III. Pro ΛΛ, duplici lambda conjunctim formata: heic seorsim: idest *menses tres*.

CON. *Benemerenti conjugi M. Ulpius Orestes, & filii*

490. DIDYMVS. *Geminus*, seu eodem partu genitus. *Didymeus* dictus est Apollo, quod geminam sui numinis præferat speciem. At *Didymi* aliud significant: adi Etymologos, apud quos de didymis clitorinis, lanuvinis &c. est sermo.

491.

CLAVDIA TRYPHAE
NA . FECIT . ASIATICAE
FILIAE . SVAE . VIXIT . ANNIS
XIII. M. II. ITEM . CORNELIAE
TYCHE FILIAE . SVAE . V. AN. VIII
SIBI . ET . FELICI . PATRONO . SVO
ISDEM . CONIVGI
SIBI . ET . POSTERISQVE SVIS
OMNIBVS

491. POSTERISQE SVIS OMNIBVS. Ita in Gruteriana POSTERISQVE NOSTRIS OMNIBVS pag. 716. & ap. Bonarot. (*vetr.ant.*p.190.) FECIT OMNIBVS SVIS.

492.

D M
VALLIAE ONESIMAE
C . VLNNIVS
IVSTVS CONIVGI
BENE . MERITAE . ET .
SIBI POSTERISQVE
SVIS .

493.

D . M
FLAVI NARCISSI
FLAVIA HELENE
CONIVGI
B . M . F

494.

D M
T AELIVS · VICTORINVS VIVO SE EX ARCA
PONTIFICVM · COMPARAVIT SIBI · ET
MARCIAE · APOLAVSTIDI · CONIVGI
SVAE · INCOMPARABILI · CVM QVA
VIXI SINE VLLA IRACVNDIA · ET ·
LIB · LIB · POSTERISQVAE ΛEORVM
ADITIS TRIBVS

494. EX ARCA PONTIFICVM. Inlata scilicet pecunia *arcæ*, hoc est *ærario* Pontificum quorum erat idonea sepulchris loca assignare, uti ex Dione, Cicerone, permultisque lapidibus colligitur. Jus enim sepulchri, itemque area, ejusdemque longitudo, & latitudo, ideſt spatium longum latum, emebatur. Hinc communis pervulgatissimaque illa in titulis sepulchralibus formula, in FRONTE PEDES *tot*, IN AGRO PEDES *tot*, quam sic græco-latine expressam inter Donianas reperio, nimirum

IN FRONTE ΠΟΔΑΣ Ω *pedes* xxiv.
IN AGRO ΠΟΔΑΣ Φ *pedes* xxi.

Interdum tamen sepulchri locum, nòn pecuniæ oblatione, sed supplicibus exhibitis libellis, a Cæsaribus parentes impetrabant: Hujusmodi libellorum exemplum subijcio: vid. Gruter. p.607.

CVM . ANTE . HOS . DIES . COIVGEM . ET . FILIVM
AMISERIM . ET . PRESSVS . NECESSITATE . CORPO
RA . EORVM , FICTILI . SARCOFAGO . COMMENDA
VERIM . DONI QVIES . LOCVS . QVEM . EMERAM
AEDIFICARETVR . VIA . FLAMINIA . INTER . MI
LIAR . II . ET . III . EVNTIBVS . AB . VRBE . PARTE
LAEVA . CVSTODIA . MONVMENTI . FLA . THVME
LES . A . ME SOLO . M . SELI - ORCILI . ROGO . DOMI
NE . PERMITTAS . MIHI . IN . EODEM . LOCO . IN . MAR
MOREO . SARCOFAGO . QVEM . MIHI . MODO . COMPA
RAVI . EA . CORPORA . COLLIGERE . VT . QVANDONE
EGO . ESSE . DESIER . PARITER . CVM . EIS . PONAR

sequitur Promagistri subscriptio nomine Antonini Pii, in hæc verba.

FERE-

FERETRVM . FIERI . PLACET . IVBENTIVS . CELSVS
PROMAGISTER . SVBSCRIPSI . III . NON
NOEMB . ANTIO . POLLIONE . ET . OPIMIANO
KOS . ORDINARIIS . SEVERO . ET . SABINIANO
COS

In militia vero impenſam ſepulturæ ſuppeditabat arca, ſive marſupium caſtrenſe, ut ex Vegetio lib.2. cap.20. colligitur. *Addebatur*, inquit, *etiam ſaccus undecimus, in quem tota legio particulam aliquam conferebat, ſepulturæ cauſa, ut ſi quis ex contubernalibus defeciſſet, ex illo undecimo ſacco ad ſepulturam ipſius promeretur expenſa.*

SINE VLLA IRACVNDIA. Elogium Marciæ Apolauſtidis. Perperam ergo, uxorem ducere volentibus, Menander *in fragm.* dictitavit

——— *prius perpendite quantum malum*
Capietis; neceſſe enim eſt mulierem eſſe rem
malam.

& paulo poſt

Natura, mulier inhumana res eſt, & amara.

ADITIS TRIBVS. Sæpe in monumentorum titulis ITVM, ADITVM, & AMBITVM notavimus. Heic de ITV, deque AMBITV, nihil; ſed de *tribus aditis* tantum, ſive tramitibus, per quos ſepulchrum adiri poterat, mentio.

495.

D : M
∴R . TIDIAE . PROCVLAE T . F
DOMINAE . OPTIMAE
ET SANCTISSIMAE
SVIQVE AMAN
TISSIMAE . ET . TIB .
CLACALLIS . VI∴
C . IVLIVS HELIO
DORVS . FECIT

R . TIDIE. *Tidia* Jocunda, & *Tatidia* Phyllis apud Muratorium: at heic *Tartidiæ* nomen, incurioſe ſcriptum, haberi crediderim ut in aliis.

DOMINAE. De uxore heic agi opinor, ideoque hunc titulum inter conjugales recenſendum. Non filios filiaſque tantummodo, ſed & uxores, DOMINAS vocatas, exhibent antiquæ inſcriptiones. Inter Fabrettianas cap.VIII. ſequentem habemus.

DOMINE . MEAE . CONIVGI . STERCORIAE
INCOMPARABILI . VIRGINIAE . SVAE . CVM QVEM
VIXI . ANN . XXVII . M . V . D . VI .

ITEM . DOMINO . MEO . DVLCISSIMO . FILIO
LEONTIO . QVI . VIXIT . ANN . XIII . M . VIIII
PATER . INFELICISSIMVS . TIBI . ET . MATRI
TVAE . POSVIT

& pag.

Hanc adiphtongam refert Ant. Lupi p.133.

DOMINE COMPARI IOVINE
BENEMERENTI QVAE VIXIT
MECVM ANNOS II M UIIII D UI
IN PACE DEP DIE IIII NON SEPT

& pag. 134.

MAXIMINVS DOMINE CONIV
CI VALERIANE CVM QVEM VIXI
ANNIS II MENSIBVS V D XI
DEPOSITA VIII ID OCT P ANN XXI

Cum inscriptiones istæ ad Christianos viros sint referendæ, suspicari quis posset, & nostram Christianam esse: at primo, Deorum Manium invocatio (quæ tamen etiam in Christianorum saxis interdum deprehenditur) atque τὸ SANCTISSIMAE, ethnicam esse haud leviter testantur. Secundo, quis ignorat tum DOMINORVM, tum DOMINARVM titulum, lapides quoque Gentilium, viris aliquando, uxoribusque dedisse? En saxum Gruteri (p.946.) ethnicum, in quo maritus, DOMINVS dicitur;

D M
MAXIMO
DOMIN. ET. CONIVGI
BENEMERENTI. FEC

En aliud p.806., in quo DOMINA dicta est uxor.

D. M. .MARIAE. FESTIVAE QVAE VIXIT. ANN
XXXIIII. M. II. D. V
MARIVS MONTANVS
DOMINAE. ET. CONIVGI
KARISSIMAE. OB. EXIMIAM
ERGA SE PVDICITIAM

Sorori similiter, DOMINAE titulum quandoque adscitum, constat ex lapide non ante edito, rudiusculis characteribus exarato, atque Ascia insignito, quem cl. Josephus Capecelatro, cl. Benedicto Passionæjo, Præsul Præsuli, nuperrime dono dedit, hujusmodi

IVLIA HELLAS
HYGIAE DOMI
NAE ET SORORI
BENEMERENTI
FECIT QVAE VIXIT
ANNVOS XXXV

Neque *dominæ* appellationem, *dominium* enunciasse putes; mea etenim sententia, mere honorarium, hunc titulum fuisse arbitror; sic apud nos, decorè loquentes dicunt *Signora Consorte*, & *Signora Sorella*, quamvis nec uxor, nec Sotor, liberum omnino dominium in familiam unquam assequantur. Sic præterea uxores honorandi caussa, *Matronæ* quandoque vocabantur, ut apud Gruterum pag. 684. C. *Fontejus Saturninus*, *&* *Verria* MATRONA filio pientissimo; & in Gudii collectione L. *Arius Fuscus fecit Ariæ Severiæ* VXORI *Karissimæ*, MATRONAE *incomparabili*. Uxorem denique DOMINAM nuncupatam innuit etiam Scævola in L. *uxorem*, de legat. 3.

496.

M. IVNIVS
THEANGELVS. FECIT
M: IVNIO. EPICVRO
VIX. ANN. XXI. ET
AEMILIAE. PRIMAE
CONTVBERN SVAE
POSTERISQ. SVIS

497.

::VLIA. Ↄ. L. FAVSTA
GAVI NEREI
VXOR

496. THEANGELVS. Qui Deorum solemnitates promulgat, uno verbo *Theangelus* dicitur.

EPICVRO. Auxiliatori, opitulatori. *Epicuria*, auxilia. Nomen fuit ut nemo non scit celeberrimi Philosophi Gargettiani, cujus vitam descripsit Diogenes Laertius lib.x. quemque plerique more potius pecudum, quam

quam ſcite conſulteque veluti divinitatis contemptorem morumque corruptorem contumelia afficiunt.

CONTVBERN. *Contubernali* ſuæ, ſcilicet *uxori*. Mentio namque Poſterorum, qui ejuſdem ſepulchri participes fiunt, plane declarat Junium Theangelum, & Æmiliam Primam fuiſſe conjuges. Gruterus huic inſcriptioni quam in ædibus Julii Porcarii extitiſſe aſſerit, hæc addidit

L. AEMILIO. MACEDONI..... XVIII

Nunc vero Gruteriana hæc additio in autographo omnino deſiderantur.

498.

ANICIA. OMVLLA. FECIT. SIBI. ET. L. CALPVRNIO
OPTATO. CONIVGI. SVO

IN PARTE. SINISTERIORE. OLLAS. NVM. VII

499.

DIS. MANIBVS
DOCIMI
M.ANNI VERI
O TACI LIA
MAXI MA
CONIVGI.SVO.B.M.F

500.

ALBVCIA. PRIMIGENIA.SIBI.ET
M.ALBVCIO HELENO.PATRONO
SVO BENEMERENTI.ISDEM CONIVGI
FECIT.ET.POSTERISQVE.SVIS.LIBERTIS
LIBERTABVS

501.

C. OTACILIVS. CASTELIANVS. ET. AVRELIA. THEAGENIA
VXOR. FECERVNT. SEVIVOSSIBIETFILISETLIBERTIS
LIBERTABVSQVE POSTERISQVE.EORVM
INACRO.PEDES.XIII.INFRPEDXI.LATVM
PEDS XXI.CON C VM PEDES XII

498. SINISTERIORE. Alibi SINISTRORSVM, & SINISTROSVM, ut videre eſt apud Fabrettum.

OLLAS. NVM. VII. Septem datas fuiſſe uni viro ollas haud mirum, cum ab aliis *factæ* ſint modo XIIX, ut a L. Abuccio Hermete, & a Sex. Autronio XXX, apud Fabrettum pagin. 19. 20.; modo LXVIII, ut a P. Critorio Herote in lapide a Reineſio cl. XI. corrupto.

499. OTACILIA. Cognomen etiam fuit uxoris Philippi Imp. quæ *Marcia Otacilia Severa* appellabatur. Hanc, hortantibus Babyla, Hippolyto, atque Origene, Chriſtianam coluiſse religionem fertur.

501. SEVIVOS. Litteras E & V hoc pacto connexas, fruſtra in aliis ſaxis exiquiſivi.

IN ACRO. De C pro G exempla ſuperius exhibui, num. 473.

LATVM PEDS. Latum pedes XXI. longum pedes XII. Hæc, ſepulchri longitudinem latitudinemque a frontis agrique menſura diſcriminare videntur, ut advertit in inſcriptionibus ſelectis cl. Vignolius p. 216. Fabrettus aliam retulit in qua etiam altitudo hoc pacto deſignatur. LATV. P. IIII. ALTV. P. VIII.

502.

DIS MANIBVSS ACRVM
Q VOCONIVS PHOEBV
FECIT SIBI ET VOCONIA
DA. MAII VXORIS KARIS
SIMAE ET LIBERTIS. LIB
ERTABVSQVE. POSTERI
QVE EORVM IN. F. P. XII
IN AG P XV
S
E
S

503.

D M
C. VETTIO DOTHO
VETTIA PRIMITIVA
LIB. PATRO. IDEM. CON
IVGI B. M. FEC. QVI.
V. A LXX
ET. VETTIA DOTHA. PATRI

504.

C IVLIO PRIMIGENIO
VIXIT. ANNIS. LX
IVLIA ARESCHVSA. LIBERTA
ISDEM CONIVNX. PATRONO
CARISSIMO FECIT

505.

D M
CAECILIA. IRENEM
AEMILIO QVINQVA
TRALI MARITO CA
RISSIMO BENEME
RENTI. FECIT. QVI.
VIX MECV. ANNIS
XVI. IIII

506.

ORBICIVS NV. L. SALVIVS
SERVILIA. C. F

502. DA. MAII. *Damali.* De ſic punctis quandoque interſectis nominibus, jam ſatis Cap. V.

504. ARESCHVSA. *Areſchia*, eſt gratiæ captatio: alibi, abſque adſpiratione, *Areſcuſa*.

CONIVNX. Ita non ſemel in noſtris muſ. Capitol. ſaxis, ac juxta antiquiorem ortographiam. Compertum enim eſt in Mediceo Virgilianæ Æneidis codice legi

Quæ jam finis erit Coniunx? *quid denique reſtat*?

Adi Henricum S. R. E. Cardinalem Noriſium Cenotaph. Piſ. Diſſ. IV. Hinc tertio caſu CONIVNGI pro *coniugi*, ut apud Vignolium in Inſcript. ſel. *Numidoria fecit* CONIVNGI *ſuo*, & *Æliæ Calliticeni* GONIVNGI *ſanctiſſimæ* pag. 205.

505. IRENEM. *Irene* M. *filia* vel *Iréne* M. *Æmilio*.

QVIN-

QVINQVATRALI. Cognomen non omnino in nostris marmoribus novum. Coccejam enim Quinquatralem habebis Cap.vii. A festis Palladi sacris *quinquatria* dictis, cognomen derivatum opinor: sic *Cerealis*, *Apollinaris*, *Neptunalis*, *Bacchis*, a Cerealibus, Apollinaribus, Neptunalibus, Bacchicis.

ANNIS. XVI. IIII. An viginti? an potius annis xvi. mensibus IIII?

536. C. F. Aut Servilia CONIVX *Manio Orbicio* marito; aut *Manius Orbicius Serviliæ conjugi*.

507.

D M
L. PΛCVVI. EPAPHRODI
TIANI. ΛNNIΛ. TYCHE. CON
IVGI. BENEMIRINTI. ET. L. PΛ
CVVIVS. EPΛPHRODITVS. ET.
L. PΛCVVIVS. RESTITVTVS. FILI.
PATRI PIENTISSIMO. FECERV
NT. QVI VIX. ANN. LV. ET. SIBI.
SVISQVE. LIBERTIS. LIBER
TΛBVSQVE. POSTERISQVE
. EORVM.

L. PACVVI. Marci Pacuvii celeberrimi poetæ nomen, nemini incognitum. Græcorum λ pro A, *benemirinti* pro *benemerenti*, interpunctiones tandem in fine trium linearum, non apocryphum esse lapidem, ut sententia fuit olim Maffejana, sed potius multibibum fuisse quadratarium declarant. At hæc omnia non semel superius observavimus.

508.

D M
DECCIA STERGVSAE : VX
Q HOSTILIVS IVLIVS
APOLLINARIS . FECIT
SIBI ET SVIS POSTERIS
QVE EORVM

VX. *Uxori*. Qui in re lapidaria grammaticalium omnium accidentiarum causas exquirunt, interpunctiones in hoc saxo, non fortuito, sed consulto, ubique fere, neglectas censebunt. Ipse vero omissionem hanc, quadratarii ignaviæ tribuendam reor, quod tamen non ad omnes inscriptiones in quibus puncta desiderantur, assererem. Adi Ant. Augustinum Dial. x. Maffejum Art. crit. lapid. col. 212. & seq. eruditissimumque Ant. Franc. Zaccariam Inst. lapid. lib. II. cap. XI. §. 13. DECCIA. *Decciæ*.

In

509.

ATIMETVS . PAMPHILI
TI . CAESARIS . AVG . L . L .
ANTEROTIANVS . SIBI . ET
CLAVDIAE . HOMONEAE
CONLIBERTAE . ET
CONTVBERNALI

ΗΠΟΛΥCΕΙΡΗΝΩΝΛΙΓΥΡΩΤΕΡΗΗΠΑΡΑΚΧΩΙ
ΚΑΙΘΟΙΝΑΙCΑΥΤΗCΧΡΥCΟΤΕΡΗΚΥΠΡΙΔΟC
ΗΛΑΛΙΗΦΑΙΔΡΗΤΕΧΕΛΕΙΔΟΝΙCΕΝΘΟΜΟΝΟΙΑ
ΚΕΙΜΑΙΑΤΙΜΗΤΩΙΛΕΙΠΟΜΕΝΗΔΑΚΡΙΑ
ΤΩΙΠΕΛΟΝΑCΠΑCΙΗΒΛΙΗCΑΠΟΤΗΝΔΕΤΟCΑΤΤΗΝ
ΔΑΙΜΩΝΑΠΡΟΙΔΗCΕCΚΕΔΑCΕΝΦΙΛΙΗΝ

PERMISSV PATRONI

IN . FRONTE . LONGVM . P . V . LATVM . P . IV

In dextro aræ, sive basis latere:

SI . PENSARE . ANIMAS
SINERENT . CRVDELIA . FATA
ET POSSIT REDIMI MORTE
ALIENA SALVS
QVANTVLACVMQVE . MEAE
DEBENTVR TEMPORA VITAE
PENSASSEM . PRO TE CARA
HOMONOIA LIBENS
AT . NVNC . QVOD POSSVM FVGIAM
LVCEMQVE . DEOSQVE . VT . TE
MATVRA . PER . STYGA . MORTE . SEQVAR
PARCE . TVAM . CONIVX FLETV
QVASSARE IVVENTAM
FATAQVE . MAERENDO . SOLLI
CITARE . MEA
NIL PROSVNT . LACRIMAE NEC
POSSVNT . FATA . MOVERI . VIXIMVS
HIC OMNIS . EXITVS . VNVS . HABET
PARCE . ITA . NONVNQVAM . SIMILEM
EXPERIARE . DOLOREM . ET
FAVEANT . VOTIS . NVMINA
CVNCTA . TVIS
QVODQVE . MIHI . ERIPVIT
MORS . INMATVRA . IVVEN
TAE . ID . TIBI . VICTVRO
PROROGET . VLTERIVS

In sinistro ejusdem aræ latere.

TV . QVI . SECVRA
PROCEDIS . MENTE
PARVMPER . SISTE GRADVM
QVAESO . VERBAQVE
PAVCA . LEGE
ILLA . EGO . QVAE . CLARIS
FVERAM . PRAELATA
PVELLIS . HOC . HOMONEA
BREVI . CONDITA . SVM
TVMVLO
CVI . FORMAM . PAPHIE *sic*
CHARITES . TRIBVERE . DECO
REM . QVAM . PALLAS
CVNCTIS . ARTIBVS . ERVDIIT
NONDVM . BIS . DENOS . AE
TAS . MEA . VIDERAT . ANNOS
INIECERE . MANVS . INVIDA
FATA . MIHI
NEC . PROME . QVEROR . HOC
MORTE . EST . MIHI . TRISTIOR
IPSA . MAEROR . ATIMETI
CONIVGIS . ILLE . MEI
SIT . TIBI . TERRA . LEVIS . MVLIER . DIGN
ISSIMA . VITA . QVAEQVE . TVIS
OLIM . PERFRVERERE . BONIS

DIA-

DIALOGVS iſte defunctorum conjugum Atimeti, & Homoneæ, in perpulchra ex marmore baſi (non urna, ut ſcribit Gruterus) inſculptus legitur,

ATIMETVS. Ejuſdem nominis, Domitiæ, Neronis amitæ libertum laudat Tacitus Ann. lib. XIII. ubi ab Agrippina, *concubinus* vocatur, *Nunc*, inquit, *per concubinum Atimetum, & hiſtrionem Paridem, quaſi ſcenæ fabulas componit*. At hunc, juſſu Neronis interemptum, hiſtorici tradunt; noſtrum vero, morte naturali ſublatum, ex epigraphe conjicitur.

HOMONEAE. Sic in ſaxo pro *Homonœæ*. Homonœa Græcum cognomen, *Concordiam* latine ſonat: Homonœum, *Concordiæ* templum.

CONTVBERNALI. Contubernalem vocat Homonœam, cum qua poſtea beneficio Principis connubium iniit. Conjuges enim fuiſſe, ex ipſis carminibus patet. De muliere contubernali differit Jo. Bapt. Fontejus quem adi in Op. *de priſca Cæſiorum gente* lib. II. cap. 3. Interea verſus elegiacos, qui epitaphium ordiuntur, ſic ad diſtichon ſcribendi normam redactos, accipe.

ATIM. *Si penſare animas ſinerent crudilia fata,*
Et poſſit redimi morte aliena ſalus;
Quantulacumque meæ debentur tempora vitæ,
Penſaſſem pro te, cara Homonoja, libens.
At nunc quod poſſum fugiam lucemque Deoſque,
Ut te matura per ſtyga morte ſequar.

HOMON. *Parce tuam conjux fletu quaſſare juventam,*
Fataque mœrendo ſollicitare mea.
Nil proſunt lacrimæ, nec poſſunt fata moveri.
Viximus; hic omnis exitus unus habet.
Parce: ita nonnunquam ſimilem experiare dolorem
Et faveant votis numina cuncta tuis.
Quodque mihi eripuit mors immatura juventæ,
Id tibi victuro proroget ulterius.

Converſo heic ad viatores ſermone Uxor de ſe adloquens hæc fatur

Tu qui ſecura procedis mente, parumper
Siſte gradum quæſo, verbaque pauca lege.
Illa ego, quæ claris fueram prælata puellis,
Hoc Homonea brevi condita ſum tumulo.
Cui formam Paphia Charites tribuere decorem;
Quam Pallas cunctis artibus erudiit,
Nondum bis denos ætas mea viderat annos,
Injecere manus invida fata mihi.
Nec pro me queror; hoc morte eſt mihi triſtior ipſa.
Mœror Atimeti, conjugis ille mei.

ATIM. *Sit tibi terra levis mulier digniſſima vita;*
Quæque tuis olim perfruerere bonis.

SI PENSARE ANIMAS. Quæ ſubſequuntur apprime Atimeti mentem declarant: Optaret nimirum (ſi fata ſinerent) ſuos pro Vxoris vitæ redemptione dies pignerare: votum utique amore plenum, quod tamen, ut puto, ſi fata ſiviſſent, pœnitendo retractaſſet.

CRVDILIA. *Crudelia*: ita POSSIT, pro *poſſet*: I pro E non heic primum occurrit. Fata, *crudelia* vocantur, ut alibi *ſevera*, *invida*, *iniqua*, *iniquiſſima*. Fuit autem conſtans Gentilium opinio, hominum nativitatem, vitam, mortemque, obnoxias omnino eſſe Fatis, quæ Parcarum quoque nomine deſignabant. Hinc in lapide a Jacobonio in Append. pagin. 149. edito

Sic etenim duxere olim primordia Parcæ,
Et nevere ſuper vobis vitalia fila
Cum primum Lucina daret vitamque animamque,
Ut vitæ diverſa dies foret unaque lethi,

& paulo post

—— nobis porro est trino de nomine Fati
Dicta dies lethi.

MATVRA. *Celeri.*

PARCE. *Abstine.* Livius; *parcere lamentis Sutrinos jussit.* Virgilius Æn. lib.I.

Parce metu Cytherea.

& lib. III.

———— jam parce sepulto;
Parce pias scelerare manus.

SOLLICITARE. Quasi *instando fastidire.* Ita apud laudatum Jacobonium p.151. *Quid lacrumis opus est Rusticelle carissime conjux, extinctos cineres sollicitare meos?*

NIL PROSVNT LACRIMAE. Elegantissime Philemon *in Rhodio*, cujus carmina refert Plutarchus in Opusc. *de consol. ad Apollon.*

Ει τα δάκρυ ἡμῶν τῶν κακῶν ἦν φάρμακον,
Ἀεὶ θ' ὁ κλαύσας τοῦ πονεῖν ἐπαύετο,
Ἠλλαττόμεσθ' ἂν δάκρυα, δόντες χρυσίον &c.

Verum en totius fragmenti M. Ant. Mureti versionem.

Here, si querelis, ejulatu, fletibus
Medicina fieret miseriis mortalium,
Auro parandæ lacrimæ contra forent,
Nunc hæc ad minuenda mala non magis valent,
Quam nænia præficæ ad excitandos mortuos:
Res turbidæ consilium, non fletum expetunt.

Philemonis tamen sententiam refellit his verbis Ovidius Trist. lib. III.

—— Est quædam flere voluptas;
Expletur lacrymis, egeriturque dolor.

ita Seneca in Troade
———— arbitrio tuo
Implere lacrymis; fletus ærumnas levat.

Lacrimæ, sine adspiratione, in quibusdam tamen saxis LACHRIMAE interdum LACRVMAE pro LACRYMAE, & in nostro Vernasiæ cippo, LAGRIMAN*tium*.

NEC POSSVNT FATA MOVERI. Nam ut Propertius ait lib.4.

Panditur ad nullas janua nigra preces.
Cum semel infernas intrarunt funera leges,
Non exorato stant adamante viæ.
Te licet orantem fuscæ Deus audiat aulæ,
Nempe tuas lacrymas littora surda bibent.

Decreta fati, ait Euripides in Jone, *quis præterire queat?* Revera Cinisco, apud Lucianum in dialogo cui titulus Ζεὺς ἐλεγχόμενος interroganti: *Dic mihi, num vera credenda sunt ista, quæ de Fato, & Parcis illi consarcinatis cecinerunt versiculis; & an nullo modo ea vitari queant quæcumque illæ, cuique nascentium, fatali decreto adneverint*, Jovem hæc respondisse Dialogista testatur; nimirum. *Et valde quidem vera sunt, etenim in rebus humanis, nihil est quod Parcarum dispensatione, & consilio non ordinetur: verum omnia quæcumque fiunt, dum sub illarum colo circumferuntur, statim ab initio vnumquodque illorum certum, & infallibilem sortitur eventum, nec fas est aliter fieri.*

VIXIMVS. *Vixit*, *fuit*, *abiit* (illud, auditu triste, *mortuus est* vitandi causa) antiqui dicebant. Cicero, de Catilinæ sociis interfectis, *vixerunt*, dixit, teste Plutarcho.

HIC OMNIS EXITVS. Ovid. ad Liviam.

Fata manent omneis, omnes expectat avarus
Portitor, & turbæ vix satis una ratis.
Tendimus huc omnes metam properamus ad unam;
Omnia sub leges mors vocat atra suas.

SECVRA MENTE. Idest, *tu qui anxietate vacans* quasi *sine cura* progrederis: ita Ovidius Met. lib.1.

Mollia securæ peragebant ocia gentes.

SISTE GRADVM. Loquaces, ut ita dicam

cam, defunctos, præsertim fœminas, exhibent crebro antiqui lapides. Precabantur potissimum viventes ut sisterent, eorumque epitaphia perlegerent. Hinc exclamationes SISTE VIATOR, SISTE GRADVM, AMATOR REMANE, ROGO TE MI VIATOR VT LEGAS, HOSPES STA ET LACRVMA.

PVELLIS. Inter puellas sese enumerat Homonœa attenta, ut puto, florentissima adhuc ætate, qua extincta est. Subintelligi etiam posset *quondam*; ita ut dicat: *Illa ego, quæ quondam claris puellis prælata fueram*; alias, qua fronte se se puellam appellaret fœmina, quæ in contubernio, atque in conjugio vixerat? Eodem sensu uxorem suam Sabidem, *puellam* vocavit Ponticus apud Fabricium Monum. ant. part. III.

Docta lyra, grata, & gestu famosa puella.

Sic de uxore Julia, anonym. quidam ib. p 112.

Occidis e nostro rapta puella sinu.

PAPHIE. *Paphiæ*; idest Veneris Paphiæ charites, *Aglaja*, *Thalia*, & *Euphrosyne*.

CVNCTIS ARTIBVS ERVDIIT. Sic in insigni Antonii Augustini lapide Dial. x.

EVCHARIS . LICINIAE . L
DOCTA . ERODITA . OMNES . ARTES
VIRGO . VIXIT . AN . XIIII

INIECERE MANVS. *Manus injicere*, proprie est manibus apprehendere: sensu tamen quo hoc verbo utitur Homonœa, Virgilius dixerat

Ut senior letho canentia lumina solvit,
Injecre manus Parcæ, telisque sacrarunt
Evandri

item Ovidius Amor lib. 3.

omne sacrum mors importuna profanat,
Omnibus obscuras iniicit illa manus.

CONIVGIS ILLE. *Ille pro illius*; supino huic sphalmati nigram transverso calamo notam Grammatici apponerent.

MVLIER DIGNISSIMA VITA. Ita de eadem Julia laudatus Anonymus

Julia quæ fueras longa dignissima vita.

Hactenus Atimeti atque Homonœæ, latine loquentium, ejulationes, quæ in aræ lateribus extant. In ejusdem vero fronte, Græcum epigramma, cujus binas Salvinii versiones edidit eruditissimus Bonada cl. v. Ego versionem dabo Pompilii Amasæi, quam vulgavit Jacobonius Cap. XI

Quæ longe vici Sirenes voce canora,
Cum Bromio, & dapibus Cypride pulchra magis.
Garrula hirundo velut, tegor hic Homonoea, relinquens
Tristis Atimeto tristia fata viro.
Cui flore ætatis fueram jucunda tenellæ,
Nunc vero subita morte recessit amor.

ΧΕΛΕΙΔΟΝΙϹ. Hirundines fuisse Poeseos symbola, tradit laudatus Bonada. Verumtamen compertum est hirundinibus loquacitatem garrulitatemque antiquos tribuisse. Nam præter illud Ezechiæ apud Isaiam cap. 38. *Sicut pullus hirundinis sic clamabo*, audi Nicostratum a Pierio Valeriano Hieroglyph l. XXII. cap. 29. laudatum

Loqui si indesinenter, multoque, & velocior
Prudentiam indicaret, utique Hirundines
Fortasse, quam nos, sapere dicantur magis.

Quapropter, per hirundines, *Poetas* significare haud decere (nisi satyrice quis loquatur) crediderim. Non ergo se hirundini comparat Homonœa, veluti poeseos symbolo, sed potius quia hæc avicula (in quam conversa est Progne Terei uxor) luctum, & querimonias, quasi mortuorum nænias, flebili cantilena exprimit. *Garrula* heic igitur, *mœrentem*, aut *gemebundam* hirundinem significat, quales illas fuisse autumo, quæ ad Hesio-

ſiodi, Moſchi, atque Achillis Tatii ſepulchra convolarunt, ut narrant Laertius, Lucianus, aliique. Advertendum hujuſce dialogi ſive dialogiſmi exordium ſumendum eſse a primo in ſiniſtro latere inſcripto verſu; ſcilicet a TV QVI SECVRA &c. Ceterum quare Fabrettus, Donius, atque Bonada, Græcum tantummodo epigramma retulerint, latina vero carmina omiſerint, ignoro.

Emendandus denique Gruterus qui pro ANTEROTIANVS, CRVDILIA, POSSIT, PERFRVERERE, ACΠACIH ſcripſit ANTEROCIANVS, CRVDELIA, POSSET, PEREFRVERE, ACΠACIN. Menda equidem Gruterianis craſſiora, deprehenduntur in Jacobi Mazocchii apographo pag.92., ubi PRÆLATA, MOMONEA pro *praelata*, *Homonea*: NEC QVAEROR pro *queror*. HOC ME PRO MORTE, pro *hoc morte eſt mihi*: ATENEI, PROSSVNT, LACHRYMAE, OMNEIS pro *Atimeti*, *proſunt*, *lacrimæ*, *omnis*. Cippus denique noſter, priuſquam in muſeo Capitol. ubi

—— *nunc placida compoſtus pace quieſcit*

collocaretur, díu huc illuc erravit. Nam Mazochius pag. 92. extitiſſe ait *in angulo domus cujuſdam prope S. Mariam Pacis* p.164. eumdem vidiſse aſserit *in æde S. Michaelis*: Jacobonius vero p.146. *in palatii Cæſiorum atrio*, ubi innumera extabant aliquando inſcripta marmora.

510.

. D . M .
OCTAVIAE . FELICI
TATI . SIGNOLEONTI::
COIVGI . DVLCISSI
MAE . ET . INCONPARA
VILI . QVAE MECV . VI
XIT . ANNIS . XXVI
MENSIBVS . VII . SINE
VLLA QVAERELLA
AVR . FELICISSIMVS
SIGN . LEONTIVS
. B . M . F

511.

D M
MARIAE
RESTITVTAE
MARIA
SORANA
LIB. SVAE
ET . C . MARIVS
APOLLONIVS
CONIVGI . SVAE
B . M . FECERVNT

108. SIGNOLEONTI. *In Columbariis* (inquit Muratorius in notis ad hanc inſcriptionem quam de more mendoſam edidit p.2382.) *in quibus unum ſepulchretum, multorum defunctorum cineres complectebatur, ut ſingularem ſuum loculum aliquis dignoſceret*, Signum *quodpiam apponi conſuevit. Heic loculo* Octaviæ Felicitatis, & Aurelii Feliciſſimi *coniugum appoſitum fuiſſe videtur* SIGNVM LEONIS. Hactenus vir clariſſimus: verum hoc pacto tricas lapidarias enodare, lectores in culeum inſuere eſt. Nam primo a quo authore fide digno Gentiles ſigna loculis apponere conſuevisse Muratorius didicerit, libenter audirem. Liviæ Auguſtæ columbarium, *multorum quidem defunctorum cineres complectebatur*: attamen hæc a Muratorio excogitata ſigna, ejuſdem ſepulchreti loculis appoſita, haudquaquam cernimus. Si quæ vero cernuntur, ea non litteris, ſive verbis, ſed figuris expreſsa conſpicimus, ipſis ſcilicet inſculptis, aut graphice delineatis leonibus, avibus, piſcibus &c. non profecto *ut ſingularem ſuum loculum aliquis dignoſceret*, verum ad indicandum defuncti modo munus, & artem, modo indolem, aut viciſſitudines. Secundo quam inter SIGNVM LEONIS, & SIGNOLEONTI congruentiam deprehenderit, non aſſequor.

quor. Insuper, si de leonis signo heic ageretur, quare primo loco SIGNOLEONTI, secundo vero SIGN. LEONTIVS? Recte equidem Julius Jacobonius in append. de prisca Cæsiorum gente cap. xv. *Quemadmodum*, inquit, *qui noctu solvere coguntur, incerto dubioque ut plurimum eos cursu adnavigare oportet; ita nos quibus per tenebrarum caliginem, qua rerum antiquarum monumenta obvolvuntur, percurrendum est, incerti nonnunquam, dubiique ferimur.* Sed ut in viam redeam, heic SIGNO, pro *cognomine* dici affirmo; ideoque interpretandum *Octaviæ Felicitati* cognomine LEONTIAE, & *Aur.* Felicissimus cognomine LEONTIVS. *Signum* pro *cognomento* sumptum testantur doctissimi viri, Casaubonus atque Salmasius. Illum adi in notis ad hæc Vopisci verba: *huic* SIGNVM *exercitus apposuerat*: MANV AD FERRVM; ubi *signum*, inquit, *idest cognomen*. Hunc perspicuius differentem audi in notis ad Lampridium. Historici locus in vita Antonini Diadumeni, hic est: *Quamvis non multum abhorruerit ab illo signo diadematis nomen Diadumeni*. Ad hæc Salmasius. *Fefellit qui mutaverunt* (scilicet textum) *ambigua notio vocis* SIGNVM, *quod hoc loco, non pro* insigni, *sed pro* cognomine *accipi debet*. *Signum autem pro cognomine tritum est istis auctoribus*. Exempla deinceps e laudati historici, itemque Capitolini, Vopisci, atque Spartiani libris deprompta refert hujusmodi. *Pro Decembri* Amazonium ex signo *ipsius, adulatores vocabant*; & *jam* illud satis constat, quod *Filium, Gordianum nomine, Antonini* signo *illustravit*: demum, *Bassianus Antonini, quod verum* signum *Pii fuit, nomen accepit*. Quibus hunc adde Capitolini in Gordiano juniore locum: *Antoninum filium suum ipse* significari *voluit in senatu*. Ad hæc rursum Salmasius *significari, idest cognominari voluit Antoninum*: *signum autem est cognomen*. Hujus ergo vocis notione, facile interpretatur inscriptio Gruteri pag. 631. in qua

D. ET. QVIETI. M
ALTERNAE
LVCILI. METROBI
SIGNO. SAPRICI
STATOR. CIVITATIS

nempe *Lucilii Metrobii cognomento Saprici*. Gruterus *Signum Sapricum*, Metrobii patriam fuisse credidit; id namque in indice rerum Geographicarum recensuit. At oppidum *Signosapricum* denominatum, nusquam reperitur. Hoc tantum pacto, tenebricosa illa nostræ inscriptionis verba SIGNOLEONTI, & SIGN. LEONTIVS, enucleari posse ego quidem censeo: attamen si quis meliora me doceat

Nec laudare satis, dignasque rependere grates
Sufficiam.

512.

D M
CENTIVSFRATRIIANVARIOETVXO
RIEIVSFELICISSIAMEBENEMEREN
TIIIIMISFECIT Q. VAXVIIII M.V
ET.IANVARIVS CONIVXEIVS
VA.XXX.IIII.ET.MV.ET INSE
VNAHORADEFVNCTISVNT
EVROPA FECIT

513.

D M
TI.CLAVDIO.CR
ESCENTI. VIXIT
ANNIS.XXXXV
M.X DXV.VAL
ERIA NICE COIV
BENEMERENTI.FECI
ET Q VALERIVS LYSI
MACHVS BENE.MERE
FECIT

507. FELICISSIAME. *Felicissimæ*. Metacismus quadratarii: sic alibi MAPHITHEATRI, SMV, CHO, CAΠAPIΔI pro AMPHITHEATRI, SVM; COH, CAPAΠIΔI. Ceteroquin Januarii nominis subinanis iteratio, interpunctiones modo prorsus neglectæ, modo appositæ, illudque demum INSE, quod nihil indicat, Epitaphiographi inscitiam testantur. Sic profecto legendum: *Cintius fecit* sepulchrum *fratri* suo *Januario*, *qui*

*qui vixit an.*xxxiv., *menſ.*v., *& Feliciſſimæ* ejuſdem Januarii *uxori, quæ vixit an.*xviiii. *menſ.*v.

DEFVNCTI SVNT. Una eademque hora *Januarius*, & *Feliciſſima conjuges*, humanæ vitæ curriculum exegerunt. Sic apud Boldettum lib. II. *Fabia Urbica*, & *Fabia Saberia ſorores* VNA DIE OBITAE SVNT. Licet latini ſermonis parens Cicero, nunquam (quod ſciam) voce *defunctus* uſus ſit ad mortuum ſignificandum, hanc tamen, hoc ſenſu, latinos haud contemnendos ſcriptores adhibuiſſe nemo diffitebitur. Plinium enim habes ſcribentem lib. xiii. cap.I. *Honos* is ad *defunctos pertinere cæpit*, & lib. xxiv. cap. 5. *Defuncta corpora incorrupta ævis ſervat, viventia corrumpit cedrus*. Habes Quintilianum dicentem lib. iv. cap. 20. *excitare defunctos*, pro *mortuos*; ſerius vero Capitolinum atque Macrobium, quorum alter de M. Antonino Philoſopho: *de ſtatu*, ait, *defunctorum intra quinquennium quæri juſſit*; alter Saturn. lib. vii. cap. 7. *Deinde licet urendi corpora defunctorum uſus noſtro ſæculo nullus ſit*. Scriptoribus authoritati, exempla ſociabo antiquiſſimorum lapidum ex Gruteriana collectione deprompta. *Julius Lupus* DE. ANN xxxv. *Valeriæ filiæ* DEFVNCT. *Concordiæ filiæ* DEF. ANN. VII. *Variæ Jocundæ* DEFVNCTAE anno *nativitatis* xviii. *Infanti dulciſſimo* DEFVNCTO *qui vixit meſes* v, *Titiæ Sejæ* DEFVNCTAE *ann.*xx. *Allio Atticino* DEFVNCTO, *Vervicia* DEFVNCTA *annorum* xxx. *Secundinus*, *Aventinus parentibus* DEFVNCTIS. Has ethnicorum inſcriptiones adducere oportuit, ut ſententiam illorum refellerem, qui voce *defunctus* pro *mortuus* Chiſtianos tantum uſos fuiſſe autumant.

514.

D . M
P . CLODIO
CVPITO . CONIVGI
ET . EVPREPE . FIL . PIISSIMO
QVI . VIX . A . XVI . M . VI . HELVENA
.:RECVNDA . FEC . ET . SIBI . POSTER . EOR

HELVENA. Nomen a quodam colore quem Helvum dicunt, medio inter rubrum, & nigrum.

:::RECVNDA. *Verecunda*. Fœminarum ex variis proprietatibus aut accidentibus deſumpta cognomina exhibent crebro vetuſta marmora, ut heic *Verecunda*, & alias *Colenda*, *Benigna*, *Candida*, *Venuſta*, *Modeſta*, *Honorata*, *Veriſſima*, & ſimilia.

515.

Q. LICINIVS EPAPHRODITVS . VIR . ET
Q. LICINIVS MOSCHVS ET . LICINIA
ATHNNS . F . LICINIAE . MVSAE . PIENTISSI
MAE . B . M . VIX . ANNIS . LX . M . III .

VIR. Maritus: ſic *vir*, *viro*, *virum* pro *Marito* paſſim in ſacris Litteris: paſſim etiam apud Tullium. Ovidius Metam. lib. I.

Imminet exilio vir conjugis, illa mariti.

ATHNNS. *Athenais*. Non filiæ (ſi de Filia heic eſt ſermo) ſed Parentum miror ætatem, qui filiæ plus quam ſexagenariæ ſuperſtites fuere.

P·GES-

516.

P.GESSIVS.S.P.L.IVCVNDVS
LABERIA . BIANDA
SVRAEGIT . CONIVGIS::

S.P.L. *Sp.* L.*Spurii libertus*. BIANDA. *Blanda*.

SVRAEGIT. Fabrilis error: legendum CVRA EGIT. immo *curam*; ideſt titulum poni curavit. Sic ſup. in Militaribus

CVRA EGIT
HERES SVBSTITVTVS

& in Præneſtina apud Leonardum Cecconium lib.I.

CVRA AGENTE.VALERIO
GALAGAERO

tandem apud Donium Cl.vi.

CVRA EGIT
M.VLPIVS.FLAVS

CONIVGIS.·. *Conjugi ſuo*, ut paſſim.

517.

L.PORCI.GALLIONIS
ARRIA.L.L.HILARA
ET.GLAPIRAE.DELICIO.SVO
ARRIA.C.L. ASIA
SIBI.ET.SVIS.FECIT
A PAR VIIII. Ɔ.ΛC. L.APOLLOPHANI.VIR.SVO
SIBI.ET.SVIS

GALLIONIS. L. Annæi Senecæ frater, *Gallio* cognominatus, Achajæ Proconſul, laudatur in Act. Apoſt. cap. xviii.

GLAPIRAE. *Glaphyræ*. Nomen tam viri, quam fæminæ. *Glaphyram* enim tibicinem habemus in *Antholog. ſel.* a diſertiſſimo Raymundo Cunichio latine edita ann.1771. *Glaphyræ* vero, trium Regum uxoris, meminit Joſephus *Ant. Jud.* lib.xvii. Omiſſam pariter adſpirationem notavi in aliis nominibus inter Gruteriana, in quibus ERODES, PILVMENAI, AGATOPVS, PILARGYRVS.

DELICIO. *Teneræ ætatis blanditiæ*, inquit Fabrettus Cap.I. pag.43. Verumtamen Titus Imp. quem Romani, humani generis *delicias* appellavere, teneræ haud erat ætatis, neque tale amantiſſimi Principis præconium *blandiendo* a militibus fundebatur. Præterea notandum in Gruteri ſaxis Salvidienam illam Fauſtillam HILARAE DELICIAS, quæ *moriendo reliquerat mammam ſuam gementem, plangentem, plorantem*, obiiſſe ætatis annorum xv., quæ *tenera*, potiſſimum in fœminis (quarum nonnullæ ea Matres evadunt) *ætas* dici nequit. At quid dicendum de quadam Claudia Pſmathe, quæ licet annor.xxiii. *delicium* vocatur in lapide ap.eumdem p.617.

D . M
CLAVDIAE
PSMATHE
VIX.ANN.XXIII
C.FVRINIVS.FAVSTVS
DELICIO SVO

Alumnam quoque ſuam nomine Biſsulam, *delicium* vocat Auſonius. Quamvis ergo vox
iſta

ista in puerorum puellarumque epitaphiis frequenter reperiatur, generalem tamen, atque indistinctum benevolentiæ, & amoris indicem censeo. Revera, quis ignorat Lesbiæ passerculum, *delicias suæ puellæ* Catullum vocitasse? Martialem, *Stellæ delicium* dixisse columbam? Cæteroquin in saxis, modo *delicium* legimus, modo *delicia*; sic *Jucunda* DELICIA P. *Marcii Philodami*. Hinc dativus singularis, uti *Psycharium libertæ*, & DELICIAE PAMPHILI. *Delicius* tandem, *Saturninus* dictus est in Fabretti marmore. *Glaphiræ* vero (quæ procul dubio fœmina) DELICIO, heic primum, ni fallor, occurrit.

A PAR. *A parte*; scilicet *pro parte nona*.

APOLLOPHANI. Hujusce nominis comicum habemus apud Svidam qui ejusdem fabulas commemorat; suntque *Iphigeron*, *Daulis*, *Cretes*, *Danae*, & *Centauri*.

VIR. SVO. *Viro suo*, idest *conjugi*; Virum enim pro Marito antiquos frequenter dixisse, nuperrime ostendimus.



ER-

ERRATA SIC CORRIGANTUR

N. 153.	SERVO	SVRO
N. 242.	VAXIIT	VAXIIX
N. 310.	TABVLIS	TABVLIIS *sic*
N. 317.	ABASCANTN	ABASCANTO

IN NOTIS

Pag. 8.	calcinantur	calciantur
10.	lateritium	lateritiam
20.	Reatima	Reatina
116.	MENECLAVOS	MENELAOS
117.	cati	Cati
141.	vocatus	vocatur
153.	eriam	etiam
159.	aſſervabit	aſſeverabit
221.	deſiderantur	deſideratur